

A
3



SELECTA AVREA
MORIENTIVM IVSTORVM ORE PROLATA.

A VARIIS PROBATISQVE AVCTORIBVS

PER IOANNEM SEVERANVM SANCTOSEVERINATEM
Congregationis Oratorij summo labore collecta.

Opus quidem

CONCIONATORIBVS OMNIBVS PAROCHISVE
apprime vtile & pernecessarium, pijsque viris Religiosis, & secularibus præclarum ad bene moriendum exemplar.

Quo in opere

PVLCHERRIMAE AVCTORIS ANNOTATIONES,
preces quoque morientium, fideique eorum testamenta accesserunt.

CVM TRIPLICI TABVLA.



ROMAE, Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. M.DC.XXIX.
Sumptibus Io. Baptistæ Brogiotti.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sac. Pal. Apost.

A. Episc. Bellicastren. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Lupus, Socius Reuerendiss. P. F. Nicolai Rodulfii, sacri Palatij Magistri, ac totius Ordinis Prædicatorum Vicarij Apostolici.

S. PHILIPPO NERIO.

NVNCVPATORIA EPISTOLA.



D qualecunque eſt Operis, quo mortales præmunirentur ad mortem, typis excudendum, edendumq. tradideram, nullius (vt ſolet) auſpicijs commendatum. Quale enim poterat ſibi ſperare patrocinium frequens narratio mortis, à morituris quidem hominibus, ſed de protrahenda vita, vel ſic ferente natura, plus nimio ſolicitis? Et verò pleriſque importunum, vel Muſicam impedire ſæculi, vel conturbare viuẽtes recordatione ſepulchri. Ne tamen, ob ipſum infauſti ominis nomen, ac titulũ, à vitæ cupidis, mortis narratio proſcribatur; ac mortem ſubeat, tutela viuentium deſtituta, ipſi Operi, fortè & moriẽtium vtilitati conſultum exiſtimans, Patronum, mutato conſilio, delegi; ſed eum, qui vitam im-

mortalem assecutus, atque in sempiternam receptus felicitatem, nec mortem amplius formidet, & in beata sit perennitate securus. Te iam PHILIPPE sanctissime, ac perbeate; Te inquam inuoco, Pater, Custos, & Auriga Congregationis nostræ: cui solemne semper fuit, suprema, tuis in Christo filijs, memorabilia proponere, tanquam singulare remediū ad quodcunq. facinus, peccatumq. vitandum: Mortis item assidua meditatione, ad vitam cælitus acquirendam (hoc est) ad commoriendū Christo Regi, cui omnia viuunt; ad animi demissionem; ad abiectam sui existimationem; atque contemptū (id quod præcipuè profitebaris) eosdē promouere; omni deniq. studio pietatis, morti proximos adiuuare. Vt propterea istius generis lucubrationes tuo patrocinio commendare iure optimo debeam; vel ea saltem exhibere lege, qua Patri debet quæsita filius: hoc enim me indignum dignatus es nomine, cum in tuorum numerum sacris excipere voluisti manibus; quibus oscula dedi; tunc sanè dulcia, & venerabunda, sed quæ chariore in dies,

& memo-

& memoria, & veneratione dulceſcunt. En igitur debitos, Pater optime, Pater mi (tenues licet) ex Oratorij vinea, quam plantauit dextera tua, tibi fructus offero. Hos ego, quaſi vitis erratica, natiua imbutos acerbitate deprompſi, vt charitatis tuæ calore maturati, cœleſtem dulcedinem ſortiantur; tuoq. inſignitos nomine, auidius morituri decerpant, atque ſuauius ſibi pro futuros deguſtent. Tu vitem, tui radijs patrocinij vide, viſita, foue iacentem: precum item beneficio recreatam, atque erectam, dulci Crucis alliga ligno, quo mors mihi ſoluta depereat, detur triumphus gloriæ, Amen.

AD

AD PIVM LECTOREM PRAEMONITIO.



IRABERIS (Lector) inexcogitatum hactenus Operis argumentum; non secus atque Scriptoris inané laborem. Ac meritò quidem. Rudi etenim, & inculto stylo seorsum congessisse Iustorum Obitus, quos in eorundem gestis paruo, ac nullo negocio perlegere quisque valeat, superuacaneum fuisse iure quidem optimo videri potest. Non eo inficias. Idipsum & ipse fateor: quin, & Opus ob id luce prorsus indignũ censeo. Quid igitur (inquies) illud in publicum proferre audes? Ex multis planè causis memorabo paucas, audire si libuerit. Sanctorum vitas, plurimis ab hinc annis (ex nostræ Congregationis instituto) in Oratorio enarrandas suscepi, iussus; easq. assidua (vt par erat) lectione percurrens; atque illorum præcipuè præclaros obitus, ac pietate insignes, diligenti sæpius animaduersione perpendens, concupiuit (fateor) anima mea mori morte istorum; & fieri nouissima mea horum similia. Proinde postrema eorum dicta, pariter ac facta annotare cœpi; eo tantum consilio, vt vnius libelli beneficio mihi consulens, meipsum ad benè moriendum compararẽ; atque alios in extremo vitæ discrimine constitutos (quos iuuare contingeret) admonerem. Non vtique, vt Opus in lucem edendum elaborarem (ex eorum etenim exemplo, rerumq. gestarum, lectione probè noueram nonnisi lucem perpetuam ab ipso Patre luminum, cum Sanctis suis mihi expetendã fore) sed illud

præter intentionem accidit, vt libellus in dies magis adactus, in manus peruenerit amicorum, qui eum (ex rei saltem argumento) plurimum, seu (verius) nimium commendantes, cauendum mihi esse proclamarunt, ne Dei munus, apud me vtcunque depositum, in aliorum detrimentum iniustè detinerem; & quod pluribus prodesse posset, mihi soli reseruarem. Prodesse namque putarunt mortalibus, Mortes simul collectas intueri posse Iustorũ, qui eorumdem Vitas, vel ignotas præ manibus habere non valerent; vel forsan longiores legere detrectarent. Vnde factum est, vt quem ego (dicam liberè cum Machabæorum matre) ne quidem noueram quomodo in vtero meo apparuisset, & ex vtero ad tumulum transferre decreueram, ne oculus illum videret, in hanc quam conspicis formam, ac methodum, Alphabetico nempè ordine, disposuerim. Temporis enim ratio in Iustorum mortibus describendis, haberi nequaquam potuit; cum eorum plurimi quando obierint ignoretur: & eò minus materiei, quæ in singulis ferè multiplex reperitur.

Obseruationes item nonnullas ad obscuriora quædam declaranda, vel Sanctorum res gestas insigniores recensendas, quas in eisdem perlegendis, pia quadam curiositate ductus, mihi annotaueram, simul prodire permisi: non omninò forsitan inutiles ad nostram in eosdem Sanctos pietatem excitandam. Consultò verò, vbi annotationes desiderantur, eas adijcere prætermisi, tum ne Opus in immensum excresceret; tum etiam quòd illustriorum facta virorum notissima cunctis esse soleant; vel breui elogio perstringi nequeant.

Orationes pariter ac Preces, quas viri Iusti in morte fuderunt, seorsum selegi.

Tri-

Triplicem insuper adduxi indicem: Primum nempè, Nominum Iustorum, quorum obitus recensetur.

Secundum, Dierum, quibus ijdem Iusti ex hac vita migrarunt; vt si ipsismet diebus nos migrare contigerit, eorumdem implorare auxilium, eosdemq. præcipuos nostri itineris comites habere valeamus. Hunc appellare Kalendarium libuit.

Tertium, Rerum, quæ in opere continentur, seu potius ipsiusmet operis Alphabeticum Compendium.

Præfationem tandem duxi præmittendam, in qua pariter vno (vt ita dicam) intuitu, ea omnia, quæ fusius in eodem opere pertractantur, aspicere valeas.

Cæterum (pie Lector) quæ communis consueuit esse plerisque Scriptoribus excusatio, vt scilicet lucubrationes suas nullo studio se effudisse profiteantur (quo ex huiusmodi negligentiæ simulatione cultus videatur vberior) ea mihi, quæ non modò nullo studio, sed (penè dixerim) casu eiusmodi exempla mihi congressi, propria est, & peculiaris. Attamen Opusculum istud, cui idem scrinium pro sepulchro assignaueram, quod nascenti fuerat hospitium, qualecumque sit, Tibi (vel inuitus) offero. Offero quod nihil magis meum, quàm tuum; nec amplius tuum, quàm alterius, & aliorum omnium, qui illo vti voluerint, futurum erit. Non enim peculiare alicuius existimandum, quod diuini beneficij esse dignoscitur. Vtere igitur eo (si libuerit) ac siquid emolumenti inde perceperis, mihi nullatenus, sed ei, à quo bona cuncta procedunt, acceptum omninò refer, Deo scilicet Optimo Maximo: cui soli honor, & gloria.

INDEX NOMINVM.

B.

Edul-

Io.Sca-

Radbo-

R

S

T

Troia-

FINIS.



KALEN-

KALENDARIVM.

Ianuar.

1 LARVS. pag. 141. Eugendus. 201
Euphrosina. 207. Fulgentius. 226
Odilo. 402
2 Adhelardus. 21. Petrus. 436
5 Eduuardus. 178. Aemiliana. 190
Ranimirus. 461. Simeon. 491
6 Andreas. 56. Erminoldus. 198
Gertrudis. 239. Lucianus. 331
Nilammon. 399
8 Hollonius. 268. Lucianus. 331
Laurētius. 318. Seuerinus. 484
10 Guillhelmus. 250. Paulus. 417
11 Anastasius. 53. Ioannes. 298
Theodosius. 522
12 Remigius. 463
13 Godefridus. 243
14 Felix. 214
Odo. 405
15 Bonitus. 116. Ioannes. 289
Maurus. 376
16 Honoratus. 269
17 Antonius. 67. Antonius. 71
Petrus. 434
18 Leobardus. 322
19 Launomarus. 321
20 Euthimius. 212
21 Epiphanius. 195. Meinard. 378
22 Blesilla. 115. Dominicus. 166
Gaudentius. 231
23 Amasius. 41. Clemens. 145
Ioannes. 295. Margarita. 358
24 Babilas. 88
25 Poppo. 453. Eusebia. 208
26 Bathildis. 96. Paula. 415
Theophanius. 525
27 Domitianus. 68. Io. Chris. 291
28 Iacobus. 279. Margarita. 360
29 Gilda. 240. Valerius. 532
30 Aldegundis. 34. Sabina. 475

Febr.

1 EPhrem. 191. Seuerus. 487
3 Verdiana. 535
4 Rōbertus. 462. Teophilus. 525
5 Agatha. 24
7 Romualdus. 470
8 Iuentius. 311
9 Ansbertus. 61
10 Austrebertha. 86. Guillhelmus. 252
Scholastica. 478
11 Castrensis. 127
Seuerinus. 482
13 Stephanus. 506
Stephanus. 509
Martinianus. 367
15 Decorosus. 160
Seuerus. 488
22 Petrus. 426
24 Eberardus. 196
25 Tarasius. 513
28 Romanus. 469

Mart.

1 LVcas. 330 Suuitbertus. 512
3 Chunegundis. 139. Vuinuualoeus. 552
4 Paulus. 419
5 Virgilius. 540
6 Coleta. 147
7 Thomas. 526
9 Catharina. 130. Francisca. 217

Ana-

Ioan:

Elzea-

FINIS.

PRAEFATIO.

Qua benè moriendi doctrina, à sanctis Viris, verbo, & exemplo tradita, breui Compendio continetur.



HOMINES, natura sua, scientiæ teneri desiderio, & cognitionis cupiditate trahi; adeò certum est, vt mirum videri non debeat, si plerique non modo res difficiles terra, mari, totoq. Cælo inuestigare non cessent, sed abditas penitus, quin & intimos animorum sensus, futurosq. rerum euentus inquirere, nequaquam dubitent. Mirum profectò est, quomodo multi multa sciant, seipsos tamen nesciant: nescientes pariter præcipuam eam esse scientiam, qua homo hominem se esse intelligit: ex humo nempe procreatum, ac proinde fragilem, & mortalem, in humum iterum reuersurum. Vnde meritò exclamat Propheta: Constitue Domine legislatorem super eos, vt sciant gentes quoniam homines sunt. Hæc est enim vera scientia (inquit D. Bernardus) scire nos mortales, & caducos, & fragiles esse; & in hoc exilio, & in hoc ergastulo, in hac peregrinatione, in hac valle lachrymarum dolendum, & lugendum esse.

Psal. 9.

Serm. de Don. Spiritus sancti.

Nouerat quippe eiusmodi hominis propensionem callidus humani generis hostis, qui, vt primos deciperet Parentes, illis vsus est, verbis: Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum; & ne ijdem se mortales post peccatum futuros intelligerent, Mortem nullatenus visuros asseruit, dicens: Nequaquam moriemini. Cuius quidem pessimi virus mendacij adeo

Gen. 3.

in omnem videtur manasse posteritatem, vt eodem infecti homines, Mortem singulis sibi momentis imminentem non aspiciant: & (quasi immortales se credant; nouissima sapere, & intelligere, nedum prouidere, omnino negligant: negligentes pariter eo, contra huiusmodi venenum, vti antidoto; quod pius, ac misericors Dominus (deceptum miseratus Protoplastum) ei propinare illicò, nobisq. parare dignatus est; dum eumdem de ipsius vilitate, ac miseria: deq. futuræ mortis necessitate verbis illis admonuit, dicens: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia Puluis es, & in puluerem reuerteris: dumq. post illi factas, atque circundatas tunicas pelliceas, mortalitatis eius pariter indices, eiusdem derisit insipientiam, adijciens; Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est sciens bonum, & malum; eiecitq. eumdem è Paradiso: Ne (inquiens) sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum.

Gen. 3.

Hoc nouerunt vtiquè Viri Dei Sancti, qui humanæ mentis dementiam, humaniq. cordis vecordiam mirantes, pariter, ac dolentes, in id solum omne direxerunt consilium, omnemq. reuocarunt prudentiam, vt præsentem vitam defluentem scirent, in eaq. ad extremi temporis articulum totos sese componerent, ac alios componere scriptis docèrent suis; dantes scientiam salutis plebi Dei.

Præstiterunt hoc plurimi sanctorum Patrum, quorum aliqui ex instituto, alij (obiter saltem) de Morte, eiusq. Necessitate, Vtilitate, Meditatiõne, ac Præparatione luculenter, & copiosè tractârunt: præcipuè verò Cyprianus *de Mortal. & lib. 4. ep. 2. ad Antonian.* Climacus *de memor. Mor. gra. 6.* Gregorius Nyssenus *lib. de Anim. & Resurrect.* Basilius *orat. de Morte, quæ desideratur in eius impressis operibus; habetur autem tom. 1. operum S. Ephrem.* Ephrem *ipse de record. mor.* Ambrosius *lib. de Bono mor. tom. 1. & lib. de Resurrect. tom. 3. lib. de Parad. tom. 4. c. 9. lib. super Beati immac.* Augustinus *lib. de cur. agen. pro mort. lib. de spiritu, & ani. c. 31. tom. 3. lib. de verb. Domini ser. 21. tom. 10. lib. quinquag. Homiliarum Hom.*

Hom. 13. *lib. de salutar. docum. c.* 34. *to.* 4. *lib. de Ciuit. c.* 5. 6. 10. *&c. to.* 5. *lib. de vita Christi. lib.* 2. *de doctrin. christian. lib. de grat. nou. Testam. lib. de verb. Apost. ser.* 5. *to.* 11. *alijsq. locis pluribus*, Io. Chrysostomus *in ps.* 110. 114. 124. *in Matth.* 10. *Hom. ij. ad Rom. in moral., Hom.* 5. 69. 70. *ad Pop. Antiochen. orat. de Anima, orat. de aduersa valetudine, & med. epist.* 2. 3, & 4. *ad Olimpiadem Diaconissam*. Andreas Cretensis, *ser. de Vit. hum., & de Mortuis*. Gregorius Magnus, *Hom.* 13. *in Euang. lib.* 4. *Dial. c.* 58, *lib.* 16. *Moral. cap.* 31. Isidorus, *lib. de sum. bono*. Anselmus *in suis Meditationibus*. Bernardus *serm. de primord. medijs, & nouiss. nostris, medit. c.* 2., & 3. Hugo à sancto Victore *lib.* 1. *de Anima c.* 2., & 3. (*qui liber, & Bernardo ab aliquibus tribuitur*) & alij plures.

Recentiorum quoquè Auctorum extant innumeri, qui de eàdem pias admodum, & copiosas edidere tractationes; ex quarum omnium diligenti (vt par est) & assidua lectione comparare quisque sibi poterit ab eisdem traditam benè moriendi doctrinam, ac scientiam; non modo perutilem, sed cunctis piè mori in Domino cupientibus necessariam.

Ad hanc tamen facilius capessendam, præstàre plurimum, fateri oportet, exitus intuèri Sanctorum; qui viam ingressi vniuersæ carnis, sua nobis proposuere, ac reliquere sectanda vestigia; quiuè id omne quod Theoricè de benè moriendi Arte alij tradiderunt; in semetipsis experti, nobis imitandum Practicè reliquerunt; adeout quasi viæ Duces, nostri comites facti sint itineris, atque monitores.

Collectæ igitur eorumdem infra descriptę Pretiosę Mortes Iustorum, eiusdem Artis, atque Doctrinæ suppeditabunt exempla; in ijs enim facilè erit inuenire eorum omnium Praxim, quæ in hoc supremo negociorum negocio vniuersi docuere scriptores. Hæc autem, ne operosæ lectionis molestia pręterminttantur, operępretium visum ẹst breui compendio hic enarrare, & in Methodum vtcumque redacta, eorumdem exemplis præmittere, quò faciliùs, & commodiùs quod rei op-

portunitate expedire visum fuerit desumi ex vtrisq; valeat.

Prædicti Auctores igitur hæc docent præcipuè, quæ sequuntur.

Primo Mortem non solum aliquando cuiq. necessariò obeundam, quod omnes (experientia saltem) nouerint, sed semel tantum, quod pauci perpendunt. Statutum est enim hominibus semel mori; adeout si tunc perperam hoc grande peragatur negocium, illud item non detur amplius iterandi, nec denuò peragendi facultas.

Hebr.9.

Secundo, Mortem docent horribilem quidem esse, vltimumque terribilium; quin & eius quoque memoriam amaram censeri, vt asserit Eccles. dicens; O Mors quàm amara est memoria tua. Non tamen à christiano viro Viatore, ac Peregrino talem credi, ac duci debere. Quamuis enim propter naturalem viuendi cupiditatem cuique insitam; Sancti quoque hanc animæ à corpore separationem horruerint; quinimò & Sanctus ipse Sanctorum Christus mortem timere visus fuerit, quando cœpit pauere, tædere, contristari, & mœstus esse; eiusdem tamen mortis commoda illi considerantes, dum ipsam metuebant, eius quoque bono simul gaudebant. Mortem enim memorare, non omnibus amarum esse dixit Ecclesiasticus, sed ijs tantum, qui (vt ibidem subdit) pacem habent in substantijs suis. Christianus siquidem, qui (Aduenam se esse sciens, ac Peregrinum in hoc seculo) à mundanis animum curis abducere satagit, & ad Patriam anhelat, quando de illa cogitat mœrere nullatenus potest; quinimo, præ huiusmodi cogitationis gaudio, graui se leuat itineris onere. Mors etenim cũ sit ostium vnicum ciuitatis permanentis, & futuræ, quam inquirit, eò moriturus per mortis contemplationem, cominus viso, lætatur plurimum, quia in Domum Domini est iturus, & ingressurus iam in locum tabernaculi admirabilis, vbi requiescat à laboribus suis.

Eccli.41 *Mat. 26.* *Marc.14.* *Psal. 38.* *Hebr.13.* *Ps.121.* *Ps. 41.* *Apoc. 14.*

Hac vtiq; de Causa plerique Mortem ardenti desiderio expetunt: plerique amplius proficere cupientes; vel imparati discedere formidantes, inducias aliquando rogarunt sibi dari;

dicentes

dicentes cum Propheta: Remitte mihi, vt refrigerer priuſquam abeam, & amplius non ero. & cum Iob: Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam; & opertam mortis caligine. Non mortem quidem detrectantes, ſed Veſtem nuptialem (quam ſordidatam videre ſibi videbantur) mundam habere cupientes; vt (ea induti) menſa cæleſti non cenſerentur indigni. Illi verò de Dei miſericordia confidentes, & ſtatum ſe adepturos conſiderantes, quo ſine vlla intermiſſione Deum amare, ac ſine timore poſſidere poſſent; exclamarunt cum Apoſtolo: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. & cum Propheta: Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo Domine: quin & moræ quodammodo impatientes, conqueſti ſunt ſæpenumero cum eodem Propheta dicentes: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt; multum incola fuit anima mea. &: Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei. & cum Apoſtolo pariter: Infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis huius?

Pſ. 38. *Iob 10.* *Mat. 22.* *Phil. 1.* *Pſ. 141.* *Pſ. 119.* *Pſ. 41.* *Rom. 7.*

Tertio denique docent mortis Præparationem; quam duplicem conſtituunt, Propinquam ſcilicet, & Remotam.

Remotam quidem ab ipſo rationis vſus exordio ineundam aiunt; adeo vt Vitam quiſque ſuam ducere talem ſatagat, qualem cupit futuram mortē. Mors enim (inquiunt) eſt Echo vitæ; vnde ſi vita dixerit Bonum, Bonum reſpondebit & Mors: ſi Malum, Malum pariter mors reſonabit. Et certum eſt, bonam, atque optimam eſſe mortis præparationem, bonæ, & honeſtæ vitæ ſtudium, quo bona coaceruamus opera in morte nos protegentia, & poſt mortē comitantia. Ea verò quibus in hac Præparatione eſt inſudandū, hæc aiunt eſſe præcipua.

Sancti, ac diuini timoris comparatio, ſtudiumq. iuge, in eo ſic vitam inſtituentes, ac ducentes, vt permaneat in ſæculum ſæculi. Timenti enim Deum (inquit Eccleſiaſticus) benè erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur. & in Prouerbijs legimus: In timore Domini eſto quotidie, & ſpem habebis in nouiſſimo.

Eccl. 1. *Prou. 23.*

Conſcientiæ, quotidiana ſaltem, examinatio, & diligens diſcuſſio. Si enim, inquit Apoſtolus, noſmetipſos iudicaremus,
1.Cor.31. non vtique iudicaremur.

Confeſſio peccatorum frequens, & deuota.

Oratio aſſidua, qua noſter aſſueſcat animus in Deum ſe iugiter erigere; quave cum ipſomet Deo piam quamdam, & humilem ineat conſuetudinem. Precatiunculas aliquas ad id accommodatas ſæpius iterando, & neceſſitatis extremæ tempus præuenientes, auxilium opportunè poſtulando, quemadmo-
Eccleſ. dum docet nos Eccleſ. verbis illis: Pro morte defluente de-
vlt. precatus ſum, inuocaui Dominum Patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ (mortis, ſcilicet) & in tempore ſuperborum (nempe Dæmonum) ſine adiutorio.

Ieiunium ſeu alia opera, quæ dicuntur Pœnalia, carnem debita cum moderatione caſtigantia.

Abſtinentia item à temporalibus, quæ tamquam præterlabentia docemur deſpicere, in eis cor noſtrum nullatenus apponētes; ſi verò iam eiſdem adhæſerit, opportune illud abducentes; eum imitantes, qui arborem altis humo fixam radicibus vult euellere; hic enim terram prius adhærentem remouet, vt illa facilius integra cadat.

Eleemoſyna, & in pauperes, ac egentes miſericordia, quæ
Tob.4. non patitur animam ire in tenebras, & in die mala miſeran-
Pſal.40. tem, atque commodantem liberat.

Eleemoſyna præcipuè ſpiritualis in animas fidelium, Purgatorij igne detentas, Suffragijs; Orationibus; Indulgētijs; Peregrinationibus; Ieiunijs; alijsque huiuſmodi Pietatis operibus eas adiuuando. Quæ quidem animæ è pœnis eductæ præſto nobis erunt in opportunitatibus, in tribulatione.

Erga Glorioſam Virginem Dei Genitricem Mariam peculiaris, & intima deuotio, eiuſque patrocinij iugis imploratio.

Sancti Michaelis item Archangeli, quem conſtituit Dominus ſuper omnes animas ſuſcipiendas.

Angeli pariter Cuſtodis noſtri fideliſſimi; quem præcipuè revereri, ac venerari nos vbique decet; cui certè gratias de-

beni-

benigna custodia agere, deq. nostra ingratitudine, atque inobedientia veniam sæpius ab eodem efflagitare debemus.

Sanctorum itidem crebra inuocatio: eorum aliquos in Patronos nobis eligendo pręcipuos, quos pio, & quotidiano prosequamur obsequio.

Patientia in aduersis, quæ cæli scala nuncupatur.

Iniuriarum tolerantia; qua præcipuè tuti, ac immunes reddimur à Dæmonum tentationibus, atque insidijs.

Humilis, ac prompta obedientia, propriæq. voluntatis omnimoda propter Christum, Abnegatio, quæ non modò tutum, sed lætum, ac hilarem reddit, suo tempore morientem.

Mortis tandem iugis, & intima Meditatio, qua nos diem quemlibet ducamus esse postremum. Vt autem salubris hæc, & sancta cogitatio menti nostræ fortius insigatur, optimum esse docent, morientes interdum aspicere, in eisque conspicere, quæ nobis proculdubio, ea cura solutis, & vacuis euenient. Sepulchra item crebrius inuisere mortuorum, quæ iccirco Monumenta vocantur: monent enim (ea intuentes) illud Ecclesiast. Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum. *Eccles.* Mihi heri, & tibi hodie. 38.

Hæc quidem pertinent ad Mortis Præparationem remotam.

Ad Propinquam verò, nempe quando, infirmitate correpti, quasi nocturno clamore excitamur ad colligendas sarcinulas; præcingendos lumbos; & lucernas parandas ardentes; vt (expediti ab omnibus) in occursum properemus venientis sponsi, hæc aiunt requiri præcipuè. *Matth.* 25. *Luc.* 12.

Vt, deposita in primis vana, & inutili vitæ prorogandæ fiducia, morituros nos ex eadem infirmitate credamus omninò: & (nihil eorum, quæ ad corporis curationem attinent, omittentes) ea parare diligenter, ac prouidere studeamus, quæ animæ nostræ ad mortis iter, quod tunc ingreditur, peragendum, opportuna sunt, & necessaria, nempe.

Peccata tempestiuè, & animo contrito confiteri.

Sacrosanctum Viaticum, & extremæ Vnctionis Sacramen-

tum humiliter postulare, libenterque, & deuotè, suo tempore suscipere.

Rem familiarem, ac temporalia omnia quantocyus disponere, & ab eis postmodum omninò se abdicare; vt animus ijs exoneratus, quæ sũt æterna, liberius cogitet, atque prouideat.

Oratione feruenti, ac iugi, in Dei Patris omnipotentis pijssimas manus animam commendare, ac ponere; suppliciter
Lucæ 15. *Matt*. 18 cum filio Prodigo; cum seruo nequam; cum Publicano, &
Lucæ 18. cæteris huiusmodi, peccatorum veniam, & remissionem efflagitantes.

Christi item Domini nostri pretiosa vulnera ardenter petere, piaque contemplatione ingredi; eisdem nos foueri velle proclamantes, atque defendi quibus redempti sumus.

Beatissimam quoque Virginem, ac Sanctos omnes (præcipue quos nobis Patronos delegimus) instantius inuocare, eorumque implorare auxilium: præces aliquas ad id accommodatas repetendo (quarum nonnullæ habentur infrà ex infrascriptis mortibus Iustorum seorsum collectæ.)

Ephes. 6. Tandem arma sumere ad luctam ineundam contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Cuius quidem luctæ magnitudo, & acerbitas, vel ex eo intelligi potest, quod pijssimus Dominus noster ad nos miseros, & inermes fulciendos, pro illius opportunitate temporis, & corroborandos, extremæ vnctionis Sacramentum instituere, ac nostræ necessitati prospi-
Gen. 3. cere voluerit. Dæmon etenim, qui obseruat calcaneum (nempe finem) nostrum, eique insidiatur, acriùs tunc, & fortius contra nos, vires exerendo, insurgit. Descendit namque
Apoc. 13. (vt ait Ioannes) ad nos Diabolus habens iram magnam, sciẽs, quia modicum tempus habet: contra quem non est nobis
Psal. 43. quidem nostris pugnandum viribus; nec in gladio, aut arcu sperandum nostro, sed spes in eo ponenda, qui saluat nos de affligentibus nos; & iuxta quem positi, cuiusuis manus non
Iob 17. timebimus contra nos pugnantis.

Humili igitur nostræ infirmitatis confessione, opem Dei
Rom. 13. implorantes, eique per fidem fortiter adhærentes, Christum induti,

nduti, fortes erimus in bello; & pugnabimus cum antiquo rpente, eius illæsi excipientes, ac retundentes tentationum culeos atque ictus. Qui quidem, etsi plurimi sint, ac varij; d hos tamen quinque rediguntur omnes, quos memorare poterimus ex versiculis illis Psalmi 90. nempe. Non timeis à timore nocturno: à sagitta volante in die: à negotio erambulante in tenebris: ab incursu: & Dæmonio meridiano. *Apoc.* 12. *Psal.* 90.

1 *A Timore nocturno.*

TImore igitur nocturno, qui insurgit ex phantasia,& imaginatione rei amplius non visæ, moriens corripitur, & à Dœmone pulsatur, dum vias alterius sæculi, sibi ignotas, ille roponit: dum peccata, ab ineunte ætate perpetrata, in mentem reuocat; infernique pœnas debitas, diuinæ rigorem stitiæ, & sexcenta alia inculcat, quibus miseram animam in esperationis barathrum perducat. Vnde meritò exclamare cogitur cum Propheta: Circundederunt me dolores mortis: torrentes iniquitatis conturbauerunt me: Inuenerunt me pecula Inferni, & similia, anxiò pauore concussa. *Psal.* 17. *Psal.* 114.

Huiusmodi autem ictum sic euadere docemur.

Diuinum scilicet, tunc auxilium suppliciter,& cum lachryis implorando (est enim Deus noster adiutor in opportunitatibus,in tribulatione, illud Ecclesiastici recolentes,& vsurantes, nempe, Vita mea erat appropinquãs in Inferno deorım: Circundederunt me vndique(Dœmones scilicet)& non rat qui adiuuaret; respiciens eram in adiutorium hominum, non erat; memoratus sum misericordiæ tuæ Domine, & ooperationis tuæ, quæ à sæculo sunt, quoniam eruis sustientes te, &c. Illud item Psalmi: Domine quid multiplicati nt, qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me, multi cunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo eius. Tu autem omine susceptor meus, appræhende arma, & scutum, & xurge in adiutorium mihi. Conclude aduersus eos, qui me ersequuntur, dic animæ meæ salus tua ego sum. Si verò ex *Psal.* 9. *Eccl. vlt.* *Psal.* 3. *Psal.* 34.

infirmitate

infirmitate hæc, & similia labijs pronunciari non possint, satis erit mente eiusdem Prophetæ verba illa concipere: Apud me
Psal. 41. oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo, susceptor meus es. Quare
Psal. 42. oblitus es mei, & quare contristatus incedo dum affligit me inimicus? (In desperationem scilicet adducens.) Domine
Psal. 37. ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus: Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum: Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me: Intende in adiutorium meum Domine Deus salutis meæ.

Agnoscendo item, & fatendo iniquitatem nostram, quia
Luca 15. scilicet peccauimus super numerum arenæ maris: bona cum filio prodigo à Patre cælesti nobis elargita, dissipauimus: indigni profectò sumus filij eius vocari, quin & videre altitudinem cæli præ multitudine iniquitatum nostrarum: irritauimus vtique iram suam, & malum coram eo fecimus; sperare
Ioan. 3. tamen de ipsius Patris immensa pietate, ac bonitate, qua ve-
Ioan. 6. nientes ad se, non eijcit foras: qua dedit, vt filij sui nominemur, & simus: quaue tandem hæredes, & cohæredes Christi
Rom. 8. nos facere dignatus est: merita eiusdem Christi filij sui pro nostrorum expiatione scelerum aspiciendo, pariter ac suscipiendo. Qui quidem & ipse, cum Regnum cælorum duplici possideat titulo (Hæreditate scilicet, Patris, & merito passionis) altero contentus, altero nos donat, quemadmodum eidem Dœmoni respondit D. Bernardus. Ea denique recolere, quæ spem erigant nostram, & nos doceant confidere in Domino, cui proprium est misereri semper, & parcere.
Gulielm. in vita S. Ber. lib. 1. c. 12.

2 *A sagitta volante.*

Non despondet autem animum idcirco Dœmon, sed quos desperatione ad se trahere non valuit, vulnerare
Psal. 10. sagittis aggreditur, quas in pharetra sua absconditas habet, vt sagittet in occulto rectos corde; bona scilicet opera pro-

ponendo, & commendando, quæ egimus, vt eisdem in occultam quamdam superbiam, & vanam elati præsumptionem, sagitta volante in die (bonorum nempe operum) feriamur, : lapsu grauiore ruamus. Quam sic euadere possumus.

Recolendo scilicet, immensa, & incompræhensibilia Dei udicia; quæ & ipsi Sancti ob oculos sibi ponentes, metuerũt alde, & exclamarunt: Non intres in iudicium cum seruo *Psal.* 14. uo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis iuens: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus *1.Cor.* 4. um: Si iustus vix saluabitur, impius, & peccator vbi pare- *1.Pet.* 4. unt? Vnde exclamat iugiter Ecclesia (morientium, & iudicandorum angustias repræsentans) quid sum miser tunc dicturus? quem patronum rogaturus? cum vix iustus sit securus.

Operum item nostrorum imperfectionem considerando. ustitiæ etenim nostræ (vt ait Isaias) quasi pannus sunt men- *Isai.* 64. truatæ. Conditionem pariter cælestis gloriæ expendendo, uæ quidem non est nostris meritis coæquanda. Non sunt *Rom.*8. nim condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, uæ reuelabitur in nobis.

Sic igitur Dei Tribunal horrificum, & iustum eius iudicium ontemplantes, non vtique nostris extollemur operibus; sed ademmet cum Iob verebimur; scientes, quia non parcit *Iob* 9. lelinquenti Deus.

3 *A negotio perambulante in tenebris.*

AGgreditur tunc Dæmon alia nos tentatione, atque sagitta, quæ dicitur, negotium perambulans in tenebris: nentem enim nostram tenebris infidelitatis obnubilans, fidei dogmata quæcumq. in dubium reuocat; & animæ nostræ, nostræq. salutis negotium in eisdem tenebris perambulare, non in fidei petra firmiter stabiliri, satagit.

Huiusmodi igitur sagittæ ictum sic declinare monemur.

Fidei scilicet, Catholicæ & Apostolicæ Rom. protestationẽ publicè emittendo, quæ quidem habetur in Ritualibus; Apo-

stolorum

ſtolorum item, vel S. Athanaſij Symbolum recitando, ſeu Preces aliquas ad id accommodatas, certis verbis pronunciando. Optimum autem erit eamdem proteſtationem, mente ſaltem, concipere, & iterare in Sacroſancti Viatici, & Extremæ Vnctionis ſuſceptione: in Crucifixi Domini noſtri imaginis crebra exoſculatione: in carnis propriæ contactu, illud Iob enunciando: Scio quod Redemptor meus viuit, & in
Iob 19. nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. In Cerei item accenſi geſtatione, per quem in fidei lumine proteſtamur exire: quemadmodum enim, qui in tenebris infidelitatis decedunt, in tenebras ire ſcimus exteriores; ita nos cum tali decedentes lumine fidei, in lucidas ſperamus pergere Patris noſtri manſiones, vbi cum Sanctis eius lux nobis lucebit perpetua.

Sic fortes in fide, nullam omninò cum aduerſario diſputationem inire iubemur, ſed penitus obmuteſcere, dum conſiſtit peccator aduerſum nos, illud Iſaiæ recolentes, in ſilentio,
Pſal. 38. *Iſaia 30.* & in ſpe erit fortitudo veſtra.

4 *Ab incurſu.*

SI verò ſagittas ſuas incaſſum emiſſas, quin & reuerberatis earumdem ictibus, percuſſum ſe conſpiciat Dæmon, in rabiem vtiquè vertitur, & furoris, ac iræ ſuæ magnæ ſtimulis accenſus, & exagitatus, nullum non mouet lapidem, quo nos in impatientiam impellat; ſubitaneos quoſdam in nobis iræ motus excitando, quibus noſter frangatur animus, & pati amplius iam doleat, ac recuſet infirmitatis incommoda.

Contra huiuſmodi autem incurſum, & impatientiæ tentationem, ſic (ſuſtinendo) pugnare docemur, & hoſte ipſo euadere fortiores.

Lucæ 21. Recolentes nempe illud Lucæ: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. & illud Pauli: Patientia vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem.
Hebr. 10

Martyres

Martyres intuentes, & ipſum caput Martyrum: quem ſic oportuit pati, & ita intrare in gloriam ſuam. *Luc.* 24.

Recolentes item, & ſcientes, quod momentaneum hoc, & leue tribulationis noſtrę, in peccatorum purgationem, & ſatisfactionem nobis computatur: quin & ęternum gloriæ pondus ſupra modum in ſublimitate operatur. *2. Cor.* 4.

Dei noſtri itidem memorantes repromiſſionem, qua nobiſcum in tribulatione ſe futurum ait, vniuerſum ſtratum in infirmitate verſando: qui & Extremæ Vnctionis Sacramentum ad hoc præcipuè (vt dictum eſt) inſtituit, eo enim per id temporis alleuiat nos Dominus, vt aſſerit Iacobus. *Pſal.* 90. *Pſal.* 40. *Iac.* 5.

5 *A Dœmonio meridiano.*

Tandem, qui ſagittas ſuas in pharetra abſconditas, fruſtra ſe ex inſidijs iacere, & conſumere nouit, foras egreditur Dœmon meridianus, & aperto Marte morientem terroribus, minis, ac varijs infeſtationibus aggreditur: Illuſionibus quoque eundem decipere plerumque ſatagit, transfigurans ſe in Angelum lucis, vt mendacijs ſuis fidem inueniat. *2. Cor.* 11.

Nihil autem timere prorſus eiuſmodi meridiani, & viſibilis aduerſarij ſtratagemmata monemur.

Sed conſiderare, nihil prorſus pro ſui arbitrio ab illo fieri poſſe, niſi quod Deus ipſe permiſerit.

Angelorum inſuper auxilium pro nobis pugnantium, & Angeli præſertim cuſtodis noſtri, qui immittit in circuitu auxiliares copias, vt eripiat nos. *Pſal.* 33.

Plura denique nobis arma ſuppetere, quibus hoſtem prodigemus, & ſtatim euaneſcere cogamus.

Sanctæ ſcilicet Crucis ſignum: Sanctorum Reliquias: Aquam benedictam: pias ac feruentes Preces: Candelæ benedictæ lumen, & cætera huiuſmodi, quæ in hunc vſum, pia Mater noſtra prouidit Eccleſia.

Hæc ſunt igitur, quæ nos mortales ſapere, & intelligere, *Deut.* 32.

pariter

pariter ac prouidere monemur. Hæc certamina, quæ si bona, in consummationis pręcipuè cursu, fidem seruantes, certauerimus, corona iustitiæ nobis reposita redimitos, in cęlesti Regno collocabunt. *2.Tim.4.*

Hi sunt denique clypei, quibus aduersarij tela reijcere possumus: Qui quidem ex infra descriptis Iustorum mortibus, tamquam ex turri Dauidica, pendent multiplices; adeo vt vnusquisque aptare sibi quem libuerit, eoque se tutari quandocumq. valeat. *Cant.4.*

Eorumdem verò discrimen, & vsum, rerum Iudex suppeditabit vberius.



PRE-

PRETIOSAE MORTES IVSTORVM.

I.



BBACYRVS Monachus in Aegypto, post decem, & septem annorum exercitationem (quo tempore multipliciter à fratribus probatus, & iniurijs etiam lacessitus fuerat) ad coronã tandem à Domino vocatus, & in extremis iam positus, eosdem sibi adstantes, sic est allocutus: Gratias ago Domino, & vobis Patres, quod me ad salutem meam tentastis iugiter. Hac enim de causa immùnis à tentatione Dœmonum hactenus euasi. Quibus dictis quieuit in pace. *Ioan. Climacus Gradu.4. de obed. Carthus. ibidem.*

ANNOTATIO.

Opportunè quidem primo loco (alphabetico ordine) Mors occurrit describenda Abbacyri, qui suæ exemplo tolerantiæ docet nos quo pacto reddantur irriti Dœmonum in morte conatus. Quod certè morituris exoptandum in primis est, atque curandũ.

Huius Abbacyri exercitationem, & tolerantiam admiratus Climacus (qui tunc ad illius diuerterat Monasterium) enarrat his verbis.

Admirabar ego (illic præsens) nouiter è sęculo venientium fidem, & tolerantiam; atque in ignominijs, & contumelijs, & aliquando etiam persecutionibus, insuperabilem patientiam. Itaque ædificationis gratia, quemdam ex fratribus sciscitatus sum, qui annos quindecim in Monasterio egerat, nomine Abbacyrum, quẽ

maximè

maximè affici iniurijs ab omnibus videbam: Nonnumquam verò etiam à ministris ex mensa fugari (erat enim frater ille naturaliter, linguæ aliquantulum incontinens) dicebam itaque ad illum: Quid est frater Abbacyre, quod te quotidie à mensa expelli video, ac nonnumquam dormire incęnatum? Qui ad hæc ita respondit: Crede mihi Pater probant me Patres mei, vtrum Monachus esse cupiam, non autem verè id faciunt: quam ego Patris, & aliorum intentionem non ignorans, leuissimè, ac sine vlla molestia tolero. Et ecce iam decimumquintũ annũ egi, istud cogitans; sicut & ipsi (quando ad Monasterium intraui) dixerunt mihi, quod vsque ad trigesimum annum renuntiantes probare solerent, & rectè quidem (Pater Ioannes) sine probatione enim aurum non perficitur. Hic igitur egregius Abbacyrus secundo anno postquam aduenissem, migrauit ad Dominum, &c. & infra.

Quem etiam tamquam Confessorem, & cum his, qui obierant Sanctis dignissimè equissimus Pastor sepeliri iussit. Pergit narrare Climacus ibidem aliorum exempla Monachorum, qui à Patribus sic exerceri consueuerunt; præsertim Innocentij; de quo, pariter, ac de Stephano B. Nili discipulo, iniurijs lacessito, & colaphis etiam vsque ad senectam percusso; deque Anonimo iniurias æquo animo ferente (cuius peccatorum chirographum Angelus conscidit) habetur infra suis locis, quæ quidem suppeditabit Index.

Illud verò notandum (quod obseruat Carthusianus) nempe pro iniurijs intelligẽdas esse correctiones, seu pænales exercitationes Præsidentis. Quæ quidem dicuntur iniuriæ, non quod fuerint iniustæ, sed quod eas ille non meruerit, quamuis piè, & rationabiliter sibi infligerentur, vt in vera virtute proficeret.

II.

ABENNER Indorum Rex Idolis deditus, & Christi fidei cultoribus (Monachis præcipuè) valde infensus; quorum plurimos affecit, ac donauit Martyrio; monitis tandem, & exemplo Iosaphat filij sui pijssimi, ad fidem conuersus, post peractam in solitudine quatuor annorum pœnitentiam, in lethalem morbum incidit. Cumque sibi vitæ finem imminere conspiceret, in metu, animique anxietate versari cæpit; mala (quæ à se perpetrata fuerant) in memoriam reuocans. Iosaphat autem coortum ei mæroris onus, his verbis vtens, subleuare curauit.

Quare

Quare tristis es ò Pater? & quare teipsum conturbas? spera in Deo, & confitere ipsi, qui est spes omnium finium terræ,& in mari longè: Qui per Prophetam clamauit: Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; discite bene facere; & si fuerint peccata vestra sicut coccinum, tamquam nix dealbabuntur: & si fuerint rubra sicut vermiculus,tamquam lana alba erunt. Quocirca ne timeas, ò Pater, nec dubio animo sis; neque enim eorum, qui ad Deum sese conuertunt peccata immensam ipsius bonitatem vincunt. Illa enim quocumq. tandem numero fuerint, sub mensuram cadunt: Hanc autem nec metiri, nec numerare quisquam potest. Quo circa fieri non potest,vt quod mensuræ subiicitur, id, quod nulla mensura comprehendi potest, superet.

Huiusmodi verbis ipsius animum leniens, eum ad bonam spem reuocauit. Vnde Pater (extensis manibus) gratias ipsi egit, ac benè precatus est: Beneficia recolens,quæ per ipsum à Domino se consecutum fuisse cognouerat: & demum,cum charissimum filium sæpius exosculatus fuisset, ac deinde preces fudisset, pronuncians illa verba, in manus tuas (ò benigne Deus) commendo spiritum meum, quieuit in pace. Quem filius lachrymis prosecutus, non Regia veste, sed cilicio obuolutum sepeliuit.

S. Io. Damascenus in vita Barlaam, & Iosaphat.

ANNOTATIO.

Idem Io. Damascenus de eiusdem conuersione, & pœnitentia hæc ait. Porro Rex Abenner ad hunc modum ab improba, & flagitiosa vitæ ratione sese remouens, ac de perpetratis sceleribus pœnitentiam agens, Regium omne Imperium filio tradidit. Ipse autem in solitudine degens, caputque cinere sine vlla intermissione aspergens, & graues gemitus edens, ac sese lachrymis abluens, solus cum eo solo, qui vbique præsens est colloquebatur; noxarum suarum veniam ab eo petens. Quin in tantam compunctionis, atque humilitatis abyssum sese demisit, vt ipsum quoque

Dei nomen labijs vsurpare recusaret; ac vix tandem à filio admonitus, illud pronunciare auderet, & paulò post.

Cum autem quatuor annis hoc pacto in pœnitentia, & lachrymis, atque omni virtutis genere transegisset, in læthalem morbum incidit.

Narrationem hanc Damasceni de Barlaamo, & Iosaphat veram esse historiam, non sub historiæ specie, tacitam vitæ monasticæ collaudationem (vt quidam voluerunt) probat Bellarminus lib. de Scriptor. Eccl. in Io. Damasceno, & Herebertus in vit. Patrum, Not. in Barlaam.

III.

Iun. 29. ABIBAS Dei famulus in sæculo degens, sed sæcularia fugiens, mortuo Patre, distribuit suis hæreditatem, suamque assumens portionem, pauperibus eam tradidit. Fecit autem sibi breuem cellulam, in qua solitarius viueret; sed ea consummata, mox infirmatus est ad mortem. Aderat verò illic frater eius, cui dixit: Vade frater, fac domui tuæ consolationem (erat quippe celebritas Sanctorum Apostolorum). Dixit ei frater: Quomodo dimittam te? Respondit Abibas, vade, & cum venerit hora mea, ego te vocabo: cum ergo venisset hora, surrexit ad fenestram, & pulsauit. Intendit autem in eum frater eius, & ille ipsi annuit, dicens, veni. Statim verò vt venit frater eius, tradidit spiritum. *Prat. spir. c.* 102.

ANNOTATIO.

Fuerat Abibas hic ab annis puerilibus continentiæ rerum omnium assuetus, habens in votis sedere in solitudine. Cumque Pater eius vellet eum sæcularibus implicare negocijs, nec posset, obiurgabat illum assiduè; ipse verò sustinebat tacens. Pater igitur moriturus, cum ab amicis rogaretur, ne Abibam velut inobedientem exhæredaret; accersiuit eum ad se, tenuitque pedes eius plorans, & dicens: Ignosce mihi fili mi, & ora Deum, ne mihi imputet, quoniam afflixi te: Tu enim quærebas Christum, & ego sæculariter mouebar. Vocauit quoque alios filios, & ait illis: Hic Dominus, & Pater vester est: Quidquid dixerit facite; & quod vos habere voluerit in ipsius potestate erit. *ibid.*

Simile quodammodo habetur infra in Luberto.

IV.

ABRA Virgo S. Hilarij Pictauienſis filia, cum interrogaretur à Patre, num vellet cæleſtem Sponſum, quem ei prouiderat, ac promiſerat in exilio poſitus? reſpondit ſe libenter ac deſideranter, vt celeriter ipſi iungeretur, optare. Hilarius igitur, eius voluntate cognita, intentus orationibus non ceſſauit, donec Abra, incolumis, ſine dolore, ſine contagio, ſe præſente migraret ad Chriſtum: Quam proprijs quoque manibus tradidit ſepulturæ.

Mater autem hoc intuens, poſtulauit ab eodem Hilario, vt & ipſa de mundo erepta, cum filia præſentaretur ad Regnum: cuius vota conſiderans vir ſanctus, aſſidua oratione, & ipſam ante ſe tranſmiſit ad gloriam.

Mombritius in vita S. Hilarij Pictau. tom. 2. Sur. tom. 1. in vita eiuſdem. In initio operum S. Hilarij habetur quoque eiuſdem vita à Fortunato presb. deſcripta, vnà cum epiſtola, quam exul ad filiam dederat, lectu digniſſima.

ANNOTATIO.

Optauerat quidem Hilarius filiam ſuam Abram Virginem permanere; cumque in exilio poſitus, Spiritu ſancto reuelante didiciſſet, eandem à iuuene quodam in coniugem poſtulari, mox manu propria ſubſcriptam eidem filiæ direxit Epiſtolam; indicans ei, quod talem ſponſum prouidiſſet, cuius nobilitas cælos aſcenderet; & diuitiæ intra ſe Regna concluderet. Addiditque monitis, vt nulli ſe prius coniungeret, quàm vt Patrem expectaret, & Sponſum ſibi pollicitum cum promiſſione venturum. Quam admonitionem Abra ſecuta, cæleſti Sponſo à Patre ſibi promiſſo, in ſuo ab exilio reditu dignata eſt. *Idem Fortunat. ibid.*

Bar. Annal. t. 3. anno Chriſti 355. hæc habet de Abra, & Hilario. Electus eſt (Hilarius nempe) Pictauien. Ciuitatis Epiſcopus, quantumlibet coniugatus eſſet, & filia vna auctus. Cur autem coniugatos contigerit eligi Epiſcopos, rationem reddit S. Hieronymus contra Iouinianum lib. 1. Noſque de his (inquit) 1. tomo Annalium pluribus egimus, &c. Cæterum ſic electorum, ea ex legibus Eccleſiaſticis conditio erat, vt quod ad procreationem liberorum ſpectat, deſinerent eſſe mariti: & infra: Quod

quidem præstitum esse à S. Hilario quis poterit dubitare? cuius animus virginalis, amantissimus integritatis, filiam quoque suam, quam vnicè diligebat, Virginem conseruari, atque Deo dicare quantopere expetierit, quæ ad eam scripta ab ipso extat epistola, docet. Hæc Baronius. Habetur simile de S. Odone Cluniacen. qui orauit Dominum, vt baptizatum nepotem ad se euocaret, & obtinuit. apud Sur. tom.6. Nou.18. in vita eiusdem Odonis lib.3. cap.7. & infra in Bathilde.

V.

Iun. 11. ACHAS Puer annorum septem, cum in extremis positus exoptaret valde Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento se communiri; nec sibi daretur ob ætatem incongruam; conuersus ad Dominum, maxima cum anxietate, ait. Tu nosti Domine Iesu Christe, quod summum desiderium meum est habere te. Petiui te; feci quod debui. Scio quia tua me dignaberis præsentia. Quibus dictis expirauit, anno Domini 1220. die 11. Iunij.

Io. Molanus in Natalibus Sanctorũ Belgij, hac die. Barnabas de Montaluo in Chron. S. Bernardi Hispanicè lib.5. c.38. Thom. Cantiprat. lib.2. cap.28. De eodem etiam Meirus in Annal. Flandr. eodem anno.

ANNOTATIO.

Puer hic apud Torothios in Flandria natus, cum adhuc esset quinquennis habitum S. Francisci ex parentum deuotione indutus est; & cum ipso habitu visus est simul quoque indui eiusdem Sancti virtutes: Exinde enim nudipes incedere cæpit; durum funem gestare; nuda in humo dormire; Ecclesiam frequentare; diuinis laudibus interesse: Et quæcumque à fratribus agi vidisset (quos auidus, & attentius intuebatur, & obseruabat) eadem ipse quoque peragere studuit: quæve itidem fratres cauebant, ea admittere nullatenus audebat. Vnde cum quidam negociatores ad eius Patris hospitium diuertentes, ea de Puero audissent, & explorare voluissent, in calicem, quo bibiturus erat, nummum argenteum iniecerunt. Puer vero (fraudis ignarus) vinum ebibens, & nummum aspiciens, valde commotus, vas proiecit, & oculis, ac manibus in cælum erectis, ait: Tu nosti Domine, quod nesciens ordinem

tem meum violaui; moxque pallere, ac in mortem cadere cæpit nisi à circumstantibus sublatus, reuocatusq. fuisset: nec quieuit, donec Sacerdos venisset, eumque confitentem absoluisset.

Aetate, ac sapientia proficiebat Puer; sæpe enim in foro (scamnum ascendens) sermonem habebat ad eò conuenientes pueros, aliósque ætate prouectos; acriter vitia reprehendendo; Bonis, Paradisi gaudia: Malis inferni pænas proponendo: Orationem suadebat: Salutationem Angelicā frequenter inculcabat. Patrem quoque suum, si quando vel irascentem, vel iurantem, vel temulentum vidisset, cum lachrymis arguebat, dicens: Nonne concionator in Templo minatus est, qui talia agunt Regnum Dei non possessuros?

Matrem pariter vanitati nimium addictam, quadam die (dum secum esset in Ecclesia) humiliter admonuit, & in Crucifixi Domini nostri imaginem digitum intendens, sic ait.

Intuere Mater, intuere Christum in cruce nudum, sanguine rubentem: Tu verò in eius contumeliam, pretiosis his vestibus ornata incedis? Caue mater ne pro rubore vestium, ignem æternum mereare. Quibus verbis compuncta, vanitatibus nuncium remisit, & ad meliorem frugem se recepit.

Post pueri autem obitum, parentes ambo (facultatibus in pauperes diuisis) ingressa est hæc Monasteriū Cisterciensis Ordinis; ille S. Dominici Religionem; vt reliquum temporis in Dei seruitio expenderent; & demum cum filio simul æternis gaudijs potirentur. *Ex ijsdem.*

VI.

ADHELARDVS Corbeiensis in Gallia vitæ suæ terminum instare prænoscens, conuocatis fratribus, præcepit eis vt humi sederent, quatenus ipse eorum ora, ipsique os eius, erectis oculis, intueri possent: deinde sic eos est allocutus. *Ian. 2.*

Ego quidem iam migraturus, de creditis mihi ouibus rationē reddere cogor: Vos autem paulò post eodem vocandi, de obedientia, & rebellione sententiam excepturi estis. Quarè attendite animis. Mementote nos vni quandoque, eidemq. Iudici sistendos; singuli pro singulis rationem reddituri. Ego, si fortè sciens, aut ignorans, offendiculo vobis fui, quæso indulgete; & precibus, ac votis miserum subleuate. Equidem vicissim (si quid est) quod meum sit indulgere vobis, Christi

vico lubens relaxo. His dictis, Deum his verbis enixè rogauit; dicens:

Domine pone me iuxtà te, & cuiusuis manus pugnet contrà me: alioquin turmas non effugiam iniquorum; quia Tu solus inuentus es inter mortuos liber. Venit enim ad te exactor, & non inuenit quidquam, quod suum esset. Idcirco fac me firmius in te inhærere, vt & ipse per te in tuo corpore, mali totius inueniar liber.

Diligenter etiam conscientiæ suæ penetralia rimatus est; si quid in ea esset, de quo (in iudicium venturus) foret sibi meritò pertimescendum: cumque inuenisset aliqua, nondum (vt sibi videbatur) exhausta, voluit ea fratribus quibusdam exponere; interrogans eos, an de ijs rationem esset redditurus? Quibus auditis fratres, dixerunt, ad eum non pertinere, quæ ipse quasi sua plangebat. Validissima interim correptus febri, ad vigilias nihilominus Natiuitatis Domini (noctis medio) cum alijs fratribus, iuxtà consuetudinem in Templo adesse voluit; vbi quantò altius canebant Chori, eò amplius ipse flebat in iubilo. Inualescente deinde morbo, multisque doloribus pressus, non relaxabat spiritum, sed semper erat Deo intentus. Disponebat quoque omnia prouidus; ac si nihil mali pateretur; instituens, & ordinans ita singulas officinas, vt nihil eius finis imperfectum inueniret.

Ad Oratorium S. Martini (Patroni sui præcipui, ac dilectissimi) ibat quotidiè; Missas ibi audiens; & Sacrosanctam Eucharistiam percipiens ad vltimum vsque vitæ suæ diem.

Audiens autem Hildemannus Episcopus (quem ipse Monachum nutrierat) Sanctum ægrotare Adhelardum, aduenit illicò, & excubauit iugiter ante eum, donec viuendi finem fecit. Qui dum aduenisset, gauisus est vir sanctus alacritate maxima, & gratias egit Deo immensas, dicens: Deus omnium Institutor, & Rector, gratias tibi ago, quia non sum fraudatus à desiderio meo.

Interrogatus num vellet Oleo Sancto perungi? erectis in cælum oculis, obsecrauit vt fieret; & eo munitus, extendens

in cælum manus, ait: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace; quia percepi omnia tui Mysterij Sacramenta; & nunc quid superest, nisi vt ad te veniam? Non sicut ego volo, sed sicut tu vis; tantũ fiat voluntas tua.

Sic tali resignatione se diuinæ subdidit voluntati; quamuis iam diu cuperet dissolui, & esse cum Christo: vnde frequenter se solabatur dicens: Hinc ibo, & ad Deum meum veniam: lætus moriar; lætusque transibo ingentes huius vitæ foneas; quoniam ad gaudia peruenturus sum sempiterna, longè mihi ante promissa.

Cum igitur quotidie se Deo taliter commendaret votis, ac laudibus; contigit aliquando (dum solus apud se ageret) vt ad eum ingrederetur Episcopus, ad quem continuò exclamans, ait: Ecce Dominus meus Iesus Christus mihi famulo suo adesse dignatur, curre velociter, ô Episcope, & Sanctos eius osculare pedes. Quo dicto, recepit se sub silentio, & quieuit. Tandem appropinquante sui exitus hora, quam concupierat, & per reuelationem didicerat, cæpit vrgere fratres, quatenus matutinas ocyus præuenirent. Quibus recitatis (Sacro munitus Viatico) inter psallentium Choros feliciter migrauit ad Dominum, anno Christi 822.

Sur. tom. 1. Io. Molan. in Natal. SS. Belg.
De eo Baron. Annal. tom. 9. ann. 822.

ANNOTATIO.

Fuit Adhelardus Pipini magni Nepos, & Caroli item magni Consobrinus: sub Pipino autem iuniore Italiam disponebat: inter ipsas nihilominus Palatij, & Populorum frequentias, dum Rex, & Consiliarij eius aliud quid intenderent, ac turba (more solito) vndique perstreperet, sæpe (eorum in medio positus) lugebat. Ibi enim residens, alibi cælorum Regi attendebat. Gratia quippe lachrymarum præcipua donatus fuit Adhelardus; quam admirãs Rathbertus Paschasius eius discipulus (qui eius postea vitam conscripsit) requisiuit ab eo tanti fletus causam; cui sic respondit: Plango, fili, me plango: non quasi humiliando flere me conueniam, aut vt altiora cæli Sacramenta conspiciam; sed me (inquam)

quid sim considerans, plangendo lugeo. Plango quidem, non quia sic me vellem plangere, sed quia me ita plangendum noui, procul dubio plango. Ibidem.

VII.

Febr. 5. AGATHA Virgo, cum post illata sibi tormenta, ducta esset ad carcerem, extensis in cælum manibus, in hunc modum orauit. Gratias tibi ago Domine, qui me custodisti ab infantia: qui abstulisti à me amorem sæculi; qui me dignam censuisti, quæ pro sancto nomine tuo decertarem: & me carnificum tormentis superiorem præstitisti. Tu ergo Domine exaudi me in hac hora. Accipe animam meam, & dignare ancillam tuam relinquere hunc mundum, ac peruenire ad diuitem, & magnam misericordiam tuam. Peractis autem precibus, protinus migrauit in cælum, anno Domini 254. *Breuiarium Rom. Sur. tom. 1. Annal. tom. 2.*

VIII.

AGATHON Abbas dum moreretur, triduo, apertos oculos tenuit, eos nullatenus mouens. Fratres autem tangentes eum dixerunt: Vbi nunc es Abbas? At ille dixit: in conspectu Iudicij Dei sto: & dicũt ei fratres: Numquid & tu times? Quibus ille respondit: Interea (quantum fuit ad virtutem meam) semper cõsideraui, vt mandata Dei mei faciam, sed homo sum; & vnde scio, si opera mea placent Deo? cui fratres dixerunt: Non confidis, quòd opera tua secundum Deum sunt? at ille respondit: Non confido in conspectu Dei; quia aliud est iudicium Dei, aliud hominum. Cum autem vellent eum adhuc interrogare alium sermonem, dicit eis: ostendite charitatem, & nolite mecum loqui, quia occupatus sum. Quo dicto statim cum gaudio emisit spiritum. *Vit. Patrum par. 2. §. 151. & in nouissimis ab Hereberto collect. lib. 3. num. 161. & lib. 5. libello 11. num. 2.*

ANNOTATIO.

Venerat aliquando Agathon in Ciuitatem, vt opera sua venderet, sed inueniens Peregrinum quemdam iacentem in Angipor-

tr infirmorum; nullum habentem, qui ei curam adhiberet, per-
nansit ibi; conduxitque sibi cellam, atque ex opere manuum
suarum præstitit infirmo illi obsequium quatuor mensibus, donec
sanaretur. Tunc autem ad cellam suam reuersus est.

Vit. Patrum par. 2. §. 146.

De eodem Agathone illud notandum præcipuè, quod habetur in
iisdem. *Vit. Patrum lib. 5. libell. 15. num. 40. his verbis.*

Sedentibus nobis aliquando cum Abbate Pastore, nominauit
Abbatem Agathonem; & diximus ei: Iuuenis est, quare appellas
eum Abbatem? & dixit Abbas Pastor; quia os suum fecit eum
appellare Abbatem. Iuuenis enim os suum refrenans, Abbas vo-
cari potest.

I X.

AGIBODVS Monachus in Monasterio S. Attalæ Abba- *Aug. 19.*
tis, in angoribus positus, sui exitus expectabat horā: cumque
fratres adstarent, qui animæ suprema officia persoluerent, ac
(de more) ad psallendi munus se præpararent, elapsa è cor-
pore (vt sibi videbatur) anima, vidit lucem paratam, solemq.
miro fulgore micantem: & cum obstupesceret, dixit ei An-
gelus, noueris te hodie venturum ad nos, & huius lucis fore
habitatorem: Reuersus igitur, vale dic fratrum collegio, atque
ita porrò ad nos redibis. Tunc ad se reuersus Agibodus, &
interrogatus vbi tam diu ancipiti exitu moratus esset; indica-
uit quid vidisset; quanta claritas sibi esset promissa: quodque
eadem hora, postquam Viaticum perceperit, & fratribus va-
ledixerit, esset obiturus. Sumpto igitur sacratissimo Domini
corpore, omnibusq. osculatis fratribus, rogauit eos, vt cha-
ritatis officium, eius impenderent corpori; animamque com-
mendarent Creatori: & mox, à sæculo migrans, ad promissæ
sibi claritatis splendorem, euolauit.

Beda tom. 3. in vita S. Bertolfi. Sur. ex eodem t. 4.

ANNOTATIO.

Apud Surium vbi sup. legitur Agibodum gubernasse Monaste-
rium Monialium; in Beda autem non monialium, sed Molendi-
num Monasterij: quod magis est consentaneum obedientiæ, ac
mortificationi eiusdem sancti viri; ait enim idem Beda (post nar-

ratam

ratam migrationem) reliquisse cum posteris exemplum beatæ conuersationis; vt qui eius coronam (ante exitum promissam) cognouissent, puritatis nihilominus eius, & religionis, in omnibus imitatores existerent. Is enim (subdit Beda) fuerat à pueritia sub regularis disciplinæ norma eruditus (sub B. Columbano à sæculo conuersus) simplex, & omni bonitate inter fratres habitus: obedientia, & religione pollens: malitia omninò (iuxtà Euangelium) paruulus existens. Et quid aliud fuerat, quod clementissimus rerum Creator exeunti de mundo voluerit monstrare qualis futurus esset, nisi quod hi, qui simplicitate viuunt, & obedientiæ, ac mortificationi voluntariè se subijciunt, similem retributionem expectent?

I X.

Sept. 15. AICHADRVS, siue AICHARDVS Abbas Gemmeticensis in Normandia, cum per reuelationem didicisset, vitæ terminum iam sibi imminere; ne grex, ei à Domino creditus (nongentorum scilicet Monachorum) post mortem suam rursus mundi illecebris irretiretur, petiuit à Domino, vt illum in pace secum susciperet; aut si pro ouibus suis adhuc eum laborare iuberet, ipsa quauis consilij sui dispensatione, tanti oneris alleuaret sarcinam. Cum igitur fratres membra quieti tradidissent, & ipse stratu suo cilicino accubuisset, vidit Angelum miro aspectu, & habitu coruscantem; ac virgam manu gestantem: qui post longam cum Dæmone (ex aduerso stante) altercationem, hisce eum verbis affatur. Exaudita est oratio tua, Nam in proximo est horum fratrum vocatio. Interrogatus, qui, & quot ex familia vocati? Media pars (respondit Angelus) ad expeditionem est adscripta; quam hac virga designari mox considerabis. Quæritur tunc Aichadrus, cur Pater filijs consocius non procedat? Cui respondit Angelus: venies quidem, sed non modo. Postquam igitur deambulauit per dormitorium Angelus, tangendo quos vocabat, & iam videretur abire, clamauit ad eum Pater, dicens: Si nos hinc (habiturus) relinquis Domine, quem familiæ tuæ custodem relinquis? aut quod ad officium exterminatorem hunc nobis residere voluisti? (aderat enim illic Sathanas,

quorum prius ipſe pugnauerat) cui Angelus : ne verearis (inquit) à facie eius; nulla ei in hac Chriſti familia ad nocendum data eſt poteſtas; præterquam animabus è corpore exituris, viſione ſua expiabilem terrorem incutere; vt ſi in eis aliquid eſt, quod reſecari debeat, horrendo illius viſionis terrore expietur : ſed neque ego locum iſtum (ex die, qua fundari cœpit) deſerui nec deſero. Quibus dictis diſparuit.

Vir igitur Sanctus noctem illam duxit inſomnem, & prima luce fratres in adiutorium collegit; intellectisq. ſingulorum eadem nocte habitis viſionibus, earumdem myſteria illis expoſuit, ac demum cuncta, quæ & ipſe viderat, atque audierat, eis ex ordine manifeſtauit; cunctosq. ad inſtantem vltimi certaminis horam iuſſit eſſe paratos, nec mora : Corpora nuda certatim virgis cædere; pugnis, conſcientiæ pectora tundere; pura (amariſſimis admixta lachrymis) confeſſione, alijsq. pœnitentiæ operibus contractas animæ ſordes expurgare; atque (omnis corporis alimenti expertes) diem extremum expectare cæperunt.

Quarti ergo diei Aurora illuceſcente, fratres omnes in Monaſterium conueniunt; vbi poſt Miſſam Dominicam expletam, à B. Patre abſolutionem ſacram acceperunt. Deinde (ſacramentis cæleſtibus refecti) Pacis ſibi oſculum dederunt; ſicq. in Capituli locum (ſubſequente Patre) ſe contulerunt. Ibi ſe, ſuasq. animas ſibi inuicem commendarunt. Cum autem nihil ſupereſſet, niſi horam vocationis expectare. Vir ſanctus ſingulis adhibuit cuſtodes, qui obeuntes attentius obſeruarent;& exitum eorum diuinis pſalmodijs præmunirent. Illicò viſæ ſunt ſingulorum migrantium facies indicibili claritatis ſpecie clareſcere : iamq. hora diei tertia adueniente, Pars vna (tamquam ſomno quietis reſoluta) dulci quieuit in pace : Hora autem ſexta, Pars altera (manibus in cælum erectis) ſeipſam Domino commendauit: ſimili modo, hora diei nona, Pars tertia expirans obdormiuit in Domino. Veſpere autem facto, ſubſequenter Pars, quæ reſidua erat (facta oratione) ſpiritum reddidit. Quia enim erant Cor-

poris

poris Christi membra, congruum fuit, vt suum sequentes caput, hora, qua Christus ad Passionem ductus; qua Crucis patibulum sustinuit; qua etiam spiritum reddidit; imò, qua sanctum eius corpus fuit sepulchro conditum, ipsi quoque terræ corpora, Christo beatas animas redderent.

Doluit postea Vir sanctus illorum mortem, & eiusdem se reum, & auctorem accusabat: sed Angelus eum est consolatus; & de proximo suæ quoque vocationis tempore certiorem fecit. Gratias igitur tunc egit sanctus: commendauit Deo reliquos discipulos suos; eosdemq. per septem dies pijs exhortationibus instruere non destitit. Demum septima die febri correptus, collegit se in lectulo, & eleuatis in cælum oculis reddidit spiritum, anno Domini 680.

Sur. to. 5. Molan. in Indiculo SS. Belg.

ANNOTATIO.

Cum causis Monasterij occupatus per quoddam sabbatum teneretur Aichadrus, adeò vt nec puncto temporis ab instanti negocio posset se eximere, immemor sui, dum cæteri fratres (ex consuetudine) nouitia agerent, ipse sub horam nonam tardius agebat. Accito itaque tonsore, capillos capitis forcipe iussit sibi æquari. Quod cum ageretur, ecce Diabolus intra tenebrosum cellæ angulum se continebat, nefandam cautionem in manibus tenens, & semper (vt attonsa coma deorsum influebat) ipse colligere, & in numerum, capillaturam omnem redigere videbatur. Vt ergo Vir Dei inuisam faciem recognouit, malignum artificem interrogauit dicens: quid (animarum prædo) hoc nostri habitaculi diuersorium insidiaturus obsedisti? Ad hæc verba respondit Diabolus, Quid tu velut ignarus requiris? Si nescis, meum officium est seruorum Dei habitacula reuisere, & offensas singulorum Breuiario meo adnotare, & sic Principi nostro referre; ne (ad Concilium ipsius reuertentem vacuum) supplicijs durioribus iubeat excruciari. Nam hodie de te singularem apud Principem meum palmam obtinebo; dum te Dominicæ noctis tempus, illicito opere transgredi renuncio; qui te formam, & Speculum Religionis, cæteris exhibere debueras. His, & alijs huiusmodi procaciter insultante nequitiæ ministro, Vir prudens opus imperfe-

ctum

ctum dimisit; deinde eidem respondit dicens. Iure tibi contigit, quod dum seruos Dei culpis irretire moliris, tibi potius pœnales cruciatus emercaris; nam apud Dominum meum Iesum Christum, Veniale est, quodcumque simplici mente à suis cultoribus agitur; cum scilicet (in causis sibi dicatis occupati) tardius mundandis corporibus curam impendimus; & quantumcumque sit genus hoc delinquendi, hic remitto, non sine damnosa sorte Iudicij tui; quia mox vt confessus pœnitentiam egero, videbis fraudis tuæ chirographum adeò elimatum, & erasum, vt nec recolligere possis, quod commisi. His dictis arrepto baculo, & signo Crucis, Vir Dei in hostem cursu cum his verbis inuehitur: exi hinc immunde spiritus, & ad latebras tuas redi; nec vltra seruorum Dei habitacula infestare præsumas. Mox hostis improbus se è cella proripuit: Aichadrus autem (conuocatis fratribus) rem ex ordine aperuit; culpam est fassus, & veniam poposcit, ita omnibus in commune pro excessu Patris Dominum orantibus, mira res! tonsura nulla, nec vlla Capilli incisio apparuit: in signum quod iuxta verbum ipsius de infideli charta character omnis euanuerit.

Ex eodem Surio in vita ipsius.

XII.

AIDANVS Episcopus Lindisfarnensis, cum nihil propriæ possessionis; (excepta Ecclesia sua cum adiacentibus agellis) haberet, ægrotans voluit sibi tendi tentorium ad occidentalem Ecclesiæ partem; ita vt parieti Ecclesiæ hæreret: vnde accliuis Destinæ, quæ extrinsecus eidem Ecclesiæ pro munimine erat apposita, spiritum vitæ exhalaret. anno Domini 651. *Aug. 31.*

Sur. to.7. ex Beda de Gestis Anglorum lib.3. à cap.3. ad 17. qui hæc subdit de Destina.

ANNOTATIO.

Cum vicus ille in quo Antistes obijt, vnà cum Ecclesia flammis consumeretur; sola illa Destina, cui incumbens obijt sanctus, ab ignibus circumcincta vorantibus, absumi non potuit, & cum magno vtique miraculo, ipsa eius foramina ingrediens, quibus ædificio erat affixa, perderet: ipsam tamen lædere nullatenus sineretur. Vnde iterum ædificata ibi Ecclesia, non vt antea deforis in

ful-

fulcimentum domus apposuerunt, sed intrò ipsam Ecclesiam in memoriam miraculi posuerunt. Quin etiam Assulis ex ipsa Destina excisis, & in aquam missis, plures sibi, suisq. languorum remedia conquisiere.

Accersitus fuerat Aidanus è Scotia in Angliam ab Anglorum Rege Osuualdo, vt eius Doctrina ac Ministerio, gens (quam regebat) Dominicæ fidei, & dona disceret, & susciperet sacramenta. Qui quidem Rex sæpius (Euangelizante Antistite, qui Anglorum linguam perfectè non nouerat) interpres existebat verbi;

Die autem sancto Paschæ, cum Rex idem, vnà cum Aidano, consedisset ad Mensam, & positus coram eo esset discus argenteus, regalibus epulis refertus, audiuit à Ministro (cui suscipiendorum inopum erat cura delegata) multitudinem pauperum vndecumque aduenientem per plateas sedere, postulantem eleemosynam, vnde subitò dapes sibi appositas deferri pauperibus, & discum confringi, atque eisdem minutatim diuidi præcepit. Quo viso Aidanus appræhendit dexteram eius, dicens, nunquam inueterascat hæc manus. Quod & factum est; hactenus enim incorruptam eam perseuerasse testatur Beda, suo tempore.

Pauperum amator Aidanus, cuncta quæ sibi à Regibus vel Diuitibus sæculi donabantur, mox pauperibus erogabat. Vnde cum Osuuinus Rex (Osuualdi successor) Equum optimum Viro sancto donasset; paruo interiecto tempore pauperi cuidam sibi occurrenti, & eleemosynam petenti, desiliens illicò, præcipit Equum, (ita vt erat) stratum regaliter, dari. Quod cum Regi esset relatum, dixit Episcopo: Quid voluisti Domine, Equum regium, quem te conueniebat proprium habere, pauperi dare? Numquid non habuimus Equos viliores plurimos, & alias species, quæ ad pauperum dona sufficerent, quamuis illum eis Equum non dares? Cui statim Episcopus: quid loqueris (inquit) Rex? Num tibi carior est ille filius Equæ, quam ille filius Dei? Quibus dictis intrauit cum Rege ad prandium. Porrò venerat Rex de venatu, & cæpit (consistens ad focum) calefieri. Repentè autem inter calefaciendum, recordatus verbi, quod dixerat illi Antistes, discinxit se gladio, & festinus ad Episcopi pedes corruit, postulans vt sibi placatus esset, quia nunquam (inquit) deinceps aliquid loquar, aut iudicabo, quid, vel quantum de pecunia nostra filijs Dei tribuas. Quod videns Episcopus statim exurgens leuauit eum, & cum lachrymis plorans dixit Presbytero suo lingua patria (Regi ignota) scio, quod non multo tempore victurus est Rex.

Nun-

nequam enim vidi ante hac similem Regem; vnde animaduerto
us illum ex hac vita rapiendum. Non enim digna est hæc gens
m habere Rectorem. Nec multo post Pius Rex (proditione
ici sui) occisus, migrauit ad superos anno Christi 651. Quo
o obijt & Aidanus, duodecima post Regis occisionem, qua
edixerat, die. *Beda vbi sup. lib. 3. cap. 14.*
Aidani animam, cum Cuthbertus Pastor ouium (de quo infra)
isset in cælum ferri, relictis ouibus factus est Monachus. *Idem*
da in vita S. Cuthberti.

XIII.

ALBERTVS Carmelita cernens propè adesse extremum *Aug. 7.*
vitæ diem, accitis fratribus, sic eos est allocutus. Cu-
dissolui & esse cum Christo. Hoc ipso die spiritus meus
arnis ergastulo liberabitur; eodemque temporis puncto,
igrabit mecum pariter soror mea (quæ quidem ad 260.
liaria inde aberat) orante igitur illo, & grauiter laborante,
res apud eum vigilabant pariter, & orabant. Sub horam
em vespertinam, sentiens corporis iam sibi imminere dis-
utionem, in genua se submisit, & coram fratribus sic orauit.
Domine Iesu Christe, qui cuncta creasti, & omnia pro tua
untate disposuisti, conseruasq. ea sapientia & prouidentia
, conserua animam meam ineffabili misericordia tua:
ere eam ab hoste maligno, & perduc eam in consortium
ectorum tuorum.
Deinde legit Psalmum 53. Deus in nomine tuo salum me
, &c. cui adiunxit Psalmum 30. In te Domine speraui, &c.
o absoluto, cum dixisset semel Orationem Dominicam, &
Salutationem Angelicam, repetijt iterum eundem Psal-
m, In te Domine speraui, &c. Inde sublatis in cælum ocu-
animam suam Deo, & Beatissimæ Virgini commendauit,
paulò post alta voce exclamauit: In manus tuas Domine
mmendo spiritum meum. Quibus dictis, anima eius instar
umbæ candidissimæ visa est à fratribus orantibus, vno vola-
ex ore ipsius, rectà in cælum tendere. Eodemq. momen-
compertū est obijsse sororem suam, sicut ipse prædixerat.

Sur. tom. 4. Baptista Mantuanus Carmelita. Petrus de Natal. in append. c. 13.

ANNOTATIO.

Obijt Albertus anno Domini 1292. & ad eius obitum, campana, quam ipse fieri curauerat, per se ipsam, nullo mouente, insonuit.

XIV.

Nou. 15. ALBERTVS Magnus Ord. Præd. de imminenti sibi excessu admonitum se esse cognoscens, gratias (velut alter Simeon) Deo egit, quod iam aduenisset hora, quam concupierat; hilarique, ac læto vultu diem exinde sui expectauit excessus; vnde (abiecta iam omni cura legendi, atque scribendi) soli Deo vacabat; & quotidie sepulturæ locum inuisens, ibidem exequias sibimet agebat, officium recitando Defunctorum, quousq. (breui interiecto tempore) suprema aduenit sui exitus hora; Qua instante in cubiculo sedens, cum circumstantes vbertim flentes, ad integritatem vitæ, ac Religionis Obseruantiam esset adhortatus; multaque de Deo, ac de cælesti patria suauissimè disseruisset; Ecclesiasticis Sacramentis munitus; fideique protestatione publicè facta, octuagenario maior, inter adstantium lachrymas feliciter obdormiuit in Domino anno salutis 1280. 15. Nou.

Leand. Albertus de vir. Illustr. Ord. Præd. lib. 3. Ferdinand. de Castell. hist. Ord. Præd. par. 1. lib. 3. cap. 47.

ANNOTATIO.

Fuerat Albertus ab Alex. IV. summo Pont. Ecclesiæ Ratisponen. præfectus, quãuis inuitus; sed postea eamdẽ Ecclesiã (eius precibus annuente Clem. IV.) dimisit; & Coloniã ad cellulã summòperè desideratam redijt. Vbi dum (admodum senex) de more profiteretur publicè, memoria lapsus est; cumque aliquandiu reticuisset, & omnes obstupescerent, resumpto tandem animo fari cæpit, & huiusce rei causam exposuit; nempè se olim cum iuuenis adhuc esset, ac recens diui Dominici Miles effectus magnum à Dæmone (primis præcipuè illis mensibus) substinuisse certamen; eò quod per id tempus hebetudine ingenij laboraret: Vnde iam decreuerat ad pristinam redire vitam, sed adfuisse sibi Beatissimam Virginem

quæ cum

ıæ eum consolata fuerat, & confirmauerat, pollicens ei Philoso-
niæ scientiam, quam cupiebat, pariter ac desperabat. Insuper
ım dubitaret postea ne Philosophorum illaqueatus rationibus, à
hristi fide aberraret aliquando, certiorem ab eadem gloriosissi-
ıa Virgine fuisse redditum, se in nullo defecturum; ac integra
de ab hac vita discessurum: in cuius rei signum, cum instaret sibi
bitus, futurum, vt dum publicè profiteretur, subitò in memoriæ
ıpsum incurreret. Auditoribus igitur (his dictis) valedixit, &
x eo loco abiens, ad mortem se parauit.

XV.

ALBERTVS alter Ord. Præd. (B. Dominico cum primis
ımiliaris, & addictus) cum eiusdem Sancti corpus post
ıortem, in Ecclesia delatum esset, ruit cum mærore maxi-
ıo in ipsius pia oscula, charosque amplexus; nec inde rece-
ere voluit, donec mortis suæ meruerit habere responsum.
Quo accepto, surrexit, ac iucundo, & hilari vultu, ait: fide-
s sermo, & omni acceptione dignus, Magister Dominicus
ıe complexans, dixit mihi: Hoc anno sequeris ad Christũ.
Quod & factum est; eodem enim anno obijt, sicut Sanctus
rophetauerat.

Sur. tom. 4. in vita S. Dominici lib. 5. cap. 4. Ferdinand. Castell. in hist. Ord. Præd. par. 1. lib. 1. cap. 56.

XVI.

ALBERTVS, seu CHALBERTVS, Sabaudus Ord.
Præd. Vir pius & animarum zelator maximus, cum vltra vi-
ginti annos per Alpes, ac montes Allobrogum concionatus
uisset, diuertens ad vicum (cui nomen Aquabella) vbi pri-
mum sacrificium ante plurimos annos Deo immolarat; &
plures concionibus suis à vitijs ad virtutes reuocarat, diem
ltimum sibi imminere præsentiens, dixit adstantibus: Hìc
primam rem diuinam peregi: hìc extremam peragere cupio:
hìc pariter locum requiei extremæ peropto. Ad sacrificium
igitur celebrandũ, & ad me sepeliendũ necessaria præparate.
Ridebant aliqui; alij mirabantur, hominem vegetum, &
ıcolumen, subitaneam somniare mortem. Paruerunt nihi-
lominus; & ille cum lachrymarum imbre sacra fecit.

Deinde oleo Sancto se perungi à Sacerdote voluit; ad singulas verborum formulas, alacriter respondendo. Quibus peractis, animam purissimam in conditoris manus feliciter efflauit, anno Christi 1265.

Leander Albertus lib.5. de vir. Illustr.Ord.Præd.

ANNOTATIO.

Huius Alberti Sanctitatem pluribus post mortem voluit Deus testatam esse miraculis; vt idem asserit.

XVII.

Ian 30. ALDEGVNDIS Abbatissa Monasterij Malbodiensis in Hannonia, obitum suum instare cognoscens, multis precibus, ac lachrymis à Domino postulauit, vt hìc per aduersitates, & flagella purgari mereretur, quò (post hanc vitam) Dei posset statim perfrui conspectu. Non multò post, morbus, qui cancer vocatur, mammillam eius dexteram inuasit; qui corpus illius exæstuans, vsque ad vltimum vitæ diem depastus est. Ipsa verò, (tamquam accepto diuinitus dono) congaudés, diuinæ benignitati gratias agebat. Cum autem suæ resolutionis dies, ab Angelo sibi reuelatus, iam aduenisset; nullaque tunc molestia corporis fatigaretur, apparente sibi rursus Angelo, cæpit ipsa cum eo conqueri, cur à Regno sibi parato differretur? Cui ille scias (inquit) Sanctos Angelos hoc tibi à Domino impetrasse, vt ad perfectionem virtutum adhuc habeas temporalis vitæ spatium.

Correpta demum tertiana febri, tantus illam (immittente Diabolo) sitis ardor inuasit, vt nisi mox biberet videretur exanimari: cumque reluctans viriliter, à potu vellet abstinere, ad orationem confugit; & oratione sitim extinxit. Illicò autem vidit Sathanam tetra, & horrenda specie sibi apparentem, qui dixit ei, Dura, & arcta adhuc restat superanda via; nec tu tibi de perseuerantia quidquam polliceri potes: Cui Virgo, Dominus (inquit) mihi adiutor, non curo minas tuas. Quibus dictis continuò Dæmonem in fugam vertit.

Dum

Dum adhuc in lecto decumberet sanauit paruulum sibi oblatum (cuius vita, ob morbi vehementiam in desperatio-nem venerat) iubens illum ante cornu Altaris deponi; vbi protinus integram recepit sanitatem. Alium quemdam mentis insania, cum extremo vitæ periculo, laborantem, in conspectu eius adductum, Crucis signi impressione, mente, & corpore sanum effecit. Post hæc tertio ante obitum die, splendor ingens refulsit supra domum, in qua Virgo aduentum Christi præstolabatur; & cum ipsa luce ad eundem Christum veram lucem cōmigrauit, circa annum Dom. 646.

Sur. tom. 6. 13. Nou. qua die habetur eius translatio. Molanus in notis ad Vsuardum, & in indiculo Sanctorum Belgij. De ea etiam Baron. in Annal. tom. 8. & idem Sur. tom. 5. in vita S. Gisleni. Vide infra de eadem in S. Humberto.

ANNOTATIO.

Cum per visum ALDEGVNDIS edocta esset ab Angelo de S. Amandi Episcopi excessu, & gloria; & eandem ipsa S. Gisleno retulisset visionem, dixit ei vir sanctus: Quandoquidem & transitum, & remunerationem tanti Præsulis (Virgo Christi) videre meruisti, vna hac re, duo tibi à Domino indicata noueris: Vt scilicet sine intermissione bonis operibus intenta sis: & certum habeas breui, te quoque præmia à fideli Remuneratore percepturam; quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Itaque si te morbus occupauerit, Deo semper gratias agas, qui quos diligit corripit. Quod & fecit.

Sur. in vita S. Gisleni tom. 5.

XVIII.

ALDOBRANDESCA Pontia Senensis, vltima correpta infirmitate, lecto decumbere noluit, sed per Xenodochiū (in quo vitam agebat) perambulans, vigore spiritus debilia membra sustentabat. Sentiens autem sui transitus horam appropinquare, genuflexa, se in orationem dedit; & in ea aliquandiu perseuerans, spiritū Deo reddidit. anno sal. 1310. *Apr. 26.*

Vita eiusdem, Senis impressa 1529. 1586. 1588. Auctor. Greg. Lombardello Italicè.

XIX.

ALEXANDER Cilix Abbas (circa finem vitæ ſuæ) lectulo decubuit, quaſi menſes tres. Ante decem verò dies, quàm ad Dominũ migraret, arreptus eſt à Dęmone, cui dixit ſenex, ad veſperã veniſti miſer. Hoc magnum nõ eſt, quoniam in lectulo ſum, & moueri non poſſum. Oſtendiſti miſerrime imbecillitatem tuam. Nam ſi potens, & valens eſſes, ante hos quinquaginta, vel ſexaginta annos debueras appropinquare mihi. Ego enim per confortantem me Chriſtum oſtendiſſem tibi infirmitatem tuam; deieciſſem, rugitum tuum atque contriuiſſem rigidam illam tuam inflexamq. ceruicem: Nunc autem non mea imbecillitas, ſed infirmitas eſt quæ premit me. Gratias tamen ago Deo; ad quem proficiſcens, oſtendam iniuriam, quam abs te paſſus ſum: quia poſt tot annorum labores, & fatigationem circa exitum ſic atrociter in me inuaſiſti. Hæc & alia plurima, horis ſingulis, dicens, decima die cum omni quiete ſpiritum Deo reddidit.

Io. Moſch. in Prato ſpir. cap. 182. & Herebertus in Vit. Patrum lib. 10. c. 182.

XIX.

ALEXANDRIA, ſiue ALEXANDRA Virgo cum ſederet intra quoddam ſepulchrum; per foramen exiguum neceſſaria alimenta ſuſcipiens; & neque viros, neque mulieres vnquam videns: duodecimo anno dormitionem ſuam adueniſſe cognoſcens; ſe ipſam compoſuit, & feliciter ad Deum migrauit.

Palladius in lauſiaca cap. 5. & Vit. Patrum in Appendice in Heraclidis Paradiſo cap. 1. ex Palladio.

ANNOTATIO.

De ipſa referebat Melania Romana (quæ ad eam venerat) ſe vultum eius videre quidem non potuiſſe; ſtantem autem ad foramen ſepulchri petijſſe, vt ei diceret cauſam, ob quam ſe in illo ſepulchro concluſerat. Quæ per memoratum foramen locuta: [illegible] animus (inquit) in me læſus erat quondam; & nè vide- [illegible] vel contriſtare, vel perdere, malui me ipſam in ſepulchro

ro (dum viuo) recludere, quàm nocere animæ ad similitudinem
ei factæ. Qua dicente rursus, quemadmodum igitur pati potes,
neminem prorsus videas, sed in solitudine tali contra acediam,
l cogitationes habeas tam iuge certamen? Hoc illa respondit:
principio (inquiens) diei nonam vsque horam, orationi vaco;
lino opus per horas singulas faciens: Reliquo autem temporis
atio, cogitatione discurro per sanctos Prophetas, Apostolos,
que Martyres, & Patriarchas; Cæteris verò horis cibum panis
pio: Appropinquante Vespera, cum maxima quiete Dominum
eum glorifico; finemq. vitæ meæ cũ spe bona patienter expecto.
Ibidem.

XX.

ALEXIVS Romanorum Nobilissimus, post Illustrium *Iul. 17.*
rbis terræ Ecclesiarum peregrinationem, Romam rediјt, &
Patre suo tanquam alienus pauper hospitio acceptus; cum
ud eum (omnibus incognitus) decem & septem annos vi-
sset, relicto scripto sui nominis, sanguinis, ac totius Vitæ
rsus, migrauit in cœlum.

Breu. Rom. hac die. de eo Mombrit. to. 1. Lippom. to. 7. Sur.
4. ex Metaphraste. Petr. Damian. de eo pariter sermonem
bet to. 2. Vbi fusius eiusdem celebrat Encomia.

XXI.

ALFERIVS Abbas Cauensis, ante sextum sui exitus *Apr. 12.*
em à Domino (sibi apparente) ad Cœnam inuitatus, ma-
nia lætitia, & gaudio exultans, diẽ tantæ promissionis præ-
olabatur; & eo tandem adueniente (Cœnæ scilicet Do-
ini) celebrauit Missarum solemnia; fratrum pedes abluit;
uperibus dona distribuit, & dimissis fratribus cum designa-
o successore ad Refectorium, ipse cellulam speluncæ, in qua
anere consueuerat intrauit; se in orationem dedit; atque
ter orationis verba, spiritum Deo tradidit, anno sal. 1098.
orpore genuflexo remanente.

Sur. to. 2. ex incerto Auctore, qui vitam Alferij collegisse
it ex scriptis Desiderij Abb. Cassin. qui fuit postea Victor
apa III.

Ferrarius ex Paulo Regio de Sanctis Regni Neapolit.

ANNOTATIO.

Fuerat Alferius hic Salernitanus, Salernitano Principi charus, à quo in Germaniam ad Imperatorem missus, in itinere in morbum incidit; ex quo si conualesceret, se soli Deo inseruiturum vouit: sanitate itaque recuperata, statim ad Monasterium Cluniacense se contulit, vbi sub Odilonis disciplina mirè profecit.

Obijt senex ætatis annorum centum viginti ita sanus, & fortis vsque ad extremam horam mortis, vt nec caligaret, nec aliqua debilitate deficeret; semper clarissimè legerit, ac scripserit; missas celebrauerit; & omne Pastoralis sui ordinis ministerium (ad extremum vsque suæ vitæ tempus) valenter exhibuerit.

Post mortem lampas vitrea super eius tumulum fuit apposita, quæ plerumque lapsa, non solum frangi non potuit, sed quandoque (vt erat) plena permansit.

Cum plurimis Alferius clareret miraculis (etiam dum viueret) Energumenus quidam fuit ad eum perductus, ferro vinctus, vt ab eo liberaretur; Vir autem sanctus ait: Hic non me viuente, sed moriente sanabitur. Quod profectò ita impletum est. Nam vbi Sanctus obijt, ab eodem obsesso ad eius tumulum delato, immundum spiritum eiecit.

XXII.

Oct. 9. ALOYSIVS Bertrannus Ord. Præd. cum tota Vita sua infirmitatibus pluribus decoctus esset, vltimis duobus, vel tribus annis, Ventris fluxu laborauit assiduo; hoc tamen, & alijs morbis laborans, pronunciabat frequenter illud Augustini: Domine hìc vre, hìc seca, vt in æternum parcas. Ad extrema deueniens, cælesti voluit refici viatico; ante cuius perceptionem, fidem professus est catholicam: Rogauitq. Dominum ne mortis reuocaret sententiam, & animæ suæ misereretur, meritis sacratissimæ Passionis suæ, & intercessione Beatissimæ Virginis, Angelorum, & omnium Sanctorum; præcipuè Dominici, & cæterorum sui ordinis. Sumpta Eucharistia (tanta cum deuotione, vt circumstantes etiam ad lachrymas prouocaret) conualuit aliquantulum, & prorogatus est exitus eius in aliquot dies; quibus quidem orationi iugiter vacauit, vespere præsertim, & manè, quo tempore

nullum

ullum admisit, qui visitationis tantum causa ad eum veni-
et. Quando etiam poterat, surgebat ad celebrandum in
)ratorio; sed quia post celebrationem aliquando deficiebat
iribus, dictum est ei, vt à celebrando abstineret: Respondit
utem Vir Dei: Sancta sacramenta Ecclesiæ neminem inter-
ciunt.

Sacerdotum manus ad se venientium osculari, & ab eis-
em supra se Euangelium legi volebat.

Aliquando ab amicis adducebantur, qui musicis concen-
ibus eum releuarent; quorum audiens melodiam erumpe-
at in lachrymas; operiebat se linteo; & cælestia contem-
labatur.

Tandem cum optata aduenisset hora, signari se à Patriar-
ha præsente fecit in capite, & corde; ac legi Euangelium
icens: en morior. Rogauit deinde adstantes fratres, vt se-
ies recitarent orationem Dominicam & salutationem An-
elicam (iuxta ritum Ordinis, & eiusdem priuilegia) inter
uorum orationes, spiritum Deo reddidit, die nona Octobris,
cut ipse prædixerat: interrogauerat enim die Veneris, sexta
iusdem mensis, qua die contingeret festum sancti Dionysij;
cum dictum sibi esset, quod Lunæ; cœpit digitis numerare
licens: dies Veneris, Sabbati, Dominica, dies Lunæ: Be-
edictus Deus, non desunt nisi quatuor dies: fiat volunras
)ei; & hac ipsa die obijt.

Franciscus Diagus in Hist. Prou. Arag. Ord. Præd. lib. 2.
ıp. 75. & seq. Hispanicè. Vincentius Iustinianus in Vita ipsius.
)e eodem Vide infra in Barth. in Dominica Torres. in Mi-
ıaele. & in Myco.

XXIII.

ALQVIRINVS Monachus Cisterciensis, olim Me-
icus, qui summa charitate infirmos curabat; cum ad vitæ
nem peruenisset, & ab Abbate visitaretur, dixit eidem in-
errogánti, se benè habere, benèq. secum agere Deum; ad
uem videndum, & fruendum iam proficiscebatur; subdidit
bbas: quare non permisisti, vt exhiberetur tibi eadem cha-

ritas, quam Tu alijs exhibuisti, nec medicinam corpori tuo adhibere curasti? Non times fortasse mortem, ac rigorem extremi finis? Nescis eam esse vltimum terribilium? Quomódo eam expectas tam hilaris, & lætitia plenus? Ne mireris hoc (respondit Alquirinus) quia quidquid considero, & quodcumque oculis aspicio, materia mihi efficitur gaudij, & exultationis: præuenit enim me Dominus in benedictionibus dulcedinis; abstulit à corde meo omnem tristitiam, & ex corpore omnem languorem. Interrogatus qua forma vidisset Christum? Respondit, suas ei plagas ostendisse apertas, dicens: tua peccata sunt iam dimissa, osculare hæc vulnera, quę in minimis meis adeò dilexisti, & veneratus fuisti. Idcirco non timeo mortem; immò cupio dissolui, & esse cum Christo. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. In cuius veritatis signum, quando Missa celebrabitur in Ecclesia, ex hac vita discedam: sicque eadem hora ad cælestia Regna migrauit.

Barnabas Montaluus in hist. S. Bernardi Hispanicè lib. 4. cap. 56. ex exord. Cister. lib. 4. cap. 1.

ANNOTATIO.

Medebatur Alquirinus pauperibus solummodo, ex charitate; in hisque curandis totus erat, præcipuè in ijs, quos vlceribus obsitos inueniebat; horum enim vlcera non solum curabat, sed osculabatur etiam, ac si Christi Domini vulnera conspiceret. Vnde & ipse Dominus oranti sibi apparuit aliquando, à planta pedis, vsque ad verticem capitis (vt sibi videbatur) vulneratus, & è vulneribus vbertim sanguinem fundens: Cui compatiens Vir Sanctus, cæpit vnà cum Angelis sanguinem decurrentem colligere, & mederi pariter vulneribus illis; pannos sanguine madidos, quibus eadem tergebat, in sinu suo recondens. Ob quod præstitum famulatum, idem Dominus ei benedixit, & exinde (maiori cum pietate, & charitate) pauperum curationem toto tempore vitæ suæ fuit prosecutus. *Idem.*

XXIV.

Oct. 19. AMABILIS Presbyter Aruernensis à Domino se euocari sentiens, lætus expectabat suæ migrationis diem; conuocatisque

tisque discipulis, de seruanda disciplina; & charitate, pace, : sanctimonia sectanda eos admonuit. Deinde iussit omnem cciri Populum ad Ecclesiam. Quo conuocato, indicauit ei ni corporis sibi iam imminere dissolutionem; vnde magnus xtitit mœror, ac luctus omnium: Cernens itaque Vir Santus adeò lamentari eundem Populum; lachrymas, & ipse ohibere non potuit; corde tamen in Deum defixus, rogauit os, vt domum redirent; osculatusque eosdem, & illis benè recatus, dimisit à se. Postea febri correptus, cæpit acri faigari dolore; sed quamuis corporis deficerent vires: ille amen Psalmos, & Hymnos promere non cessabat. Tandem uæ vitæ terminum adesse sentiens, sacro se communiuit Viatico, & deinde in cilicium & cinerem se prosternens, cæestis patriæ ciues ad se venientes conspicere visus est. Quoum visione exhilaratus, feliciter migrauit ad Dominum.

Sur. tom. 5. Lipp. tom. 8.

ANNOTATIO.

Ad huius Amabilis tumulum, cum Dux Victorius despexisset orare, substitit immobilis è regione equus: Quem cum flagris, timulisque vrgeret, & ille (quasi æneus) staret immobiils; tandem liquando Dux à suis commonitus, ad orationem descendit. Cumque fideliter orasset, quò voluit iuit.

Idem Sur. ibidem ex Greg. Turon. de glor. conf. cap. 33.

X X V.

AMASIVS Episcopus Theanensis, intelligens sibi humanæ peregrinationis adesse finem, Cæmeterium cum columnis, in quo suum corpus conderetur, iuxta sepulchrum S. Paridis (quem in vita dilexerat) ciuium auxilio construi curauit. Quibus cũ salutis monita multa dedisset, suam impertiuit benedictionem dicens: senui, & incanui (filioli mei) conuersatus coram vobis ab hora, quæ Deo placuit, vsque ad hanc diem; pro animabus vestris nequaquam laborem recusaui: Nunc verò Dominus vocat me, cui præstò sum. Estote ergo fideles, & operamini in dilectione Dei, & proximi vsque ad

mortem,

mortem, & regnabitis in æternum. Benedicat itaque vobis Deus manuum vestrarum de excelso solio omne opus; & crescere vos faciat de charitate in charitatem, vt sitis ante faciem eius in fine sæculi, mundi, & immaculati.

Profusis deinde lachrymis, sacrum sumpsit Viaticum: & demum, die migrationis adueniente, Psalmis Pœnitentialibus deuotè recitatis: Crucifixi imaginem sæpè amplexatus, ac deosculatus: omnibusq. Ecclesiæ Sacramentis communitus (conformatis in Crucis similitudinem manibus) erexit oculos in cælum, & pronuncians: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, spiritum Domino reddidit. Anno sal. 350.

Paulus Regius de SS. Regni Neapolit. lib. 2.

Vita ipsius in off. impresso Romæ 1600. Ferrar. in Catal. SS. Italiæ

ANNOTATIO.

AMASIVS hic ab Arrianis Soræ, pugnis, ac fustibus vsque ad mortem cæsus fuit: sed eis discedentibus, à loco in quo iacebat, paulatim surgens, ea vrbe relicta, Theanum se contulit; vbi paulò ante S. Paris Episcopus (sibi familiaritate coniunctus) migrauerat. eius Ciuitatis igitur Episcopus ipse eligitur, & Populum assiduis cōcionibus non solum ab Arriana labe immunē, sed à vitijs (quantum fieri poterat) alienum seruare studuit. Sorani verò pœnitentia ducti, & Ecclesiæ catholicæ conciliati, templum ei (post eius obitum) construxerunt. *Iidem qui supra.*

XXVI.

Maij. 1. AMATOR Episcopus Antisiodorensis diuina reuelatione suæ discessionis tempus agnoscens; & eiusdem Ciuitatis Ducem, ac præfectum, nomine Germanum, sibi successorem futurum præuidens, eum totondit, rogauitque Populum, vt sui loco reciperent. Deinde morbo correptus est lethali, quo tamen grauatus, non omisit prædicationibus plebem confirmare; eandemque lugentem, ac suum dolentem discessum flere prohibuit. Adueniente tandem sui exitus hora,

ad

d sanctam Ecclesiam, suorum se manibus, deportari fecit; ccclesiam autem ingressus, Pontificalem ascendit thronum; ı eoque residens, inter crebros singultus, & eiusdem Populi mentationes, animam Deo tradidit; quæ visa est in colum- æ specie in cælum ferri, anno Domini 421.

Sur. tom. 4. in vita S. Germani Antisiodorensis.

ANNOTATIO.

Post mortem S. Amatoris sanatus fuit Paralyticus, aqua lotus, ua sacrum eius corpus perfusum fuerat. *Idem Sur.*

XXVII.

AMATVS Abbas Monasterij Romerici, de sui obitus die, *Sept. 13.* nte annum edoctus, voluit à discipulis culcitram è cinere, & ilicio confectam (in qua peccatorum suorum pœnitentiam geret) sibi præparari. In ipsa igitur prostratus, culpas, quas dmisisse meminit, coram fratribus voce publica confessus t; in eademq. toto anno decumbens, diù, noctuque precibus acabat, & quamuis incōmoda corporis laboraret valetudi- e: ac perpetuo cruciaretur dolore (carnibus enim excesis, uda iam ossa patebāt) mirificè tamen exultabat in Domino.

Sub mortem iussit sibi afferri S. Leonis epistolam ad S. Fla- ianum datam (in qua Catholicæ fidei ratio plenissimè con- netur) eaque sibi lecta, dixit: Sic credo ò Trinitas ineffabi- s: ita confiteor. Deus omnipotens: ita de te sentio fili Dei Christe Iesu: sic de te intelligo Spiritus sancte æterne Deus: que vnum Deum in Trinitate, triniumque in vnitate onfiteor.

Iussit deinde fodi sepulchrum in ipso Basilicæ aditu (in- ignum se putans, qui intra Ecclesiæ septa sepeliretur) vo- itq. in eo Epitaphium huiusmodi, à se compositum, apponi cilicet.

Omnis homo Dei, qui in hunc locum Sanctum ad oran- um introieris, si merueris obtinere, quæ postulas, pro ani- na Amati pœnitentis hic sepulti Dominum misericorditer

depre-

Deinde oleo Sancto se perungi à Sacerdote voluit; ad singulas verborum formulas, alacriter respondendo. Quibus peractis, animam purissimam in conditoris manus feliciter efflauit, anno Christi 1265.

Leander Albertus lib.5. de vir. Illustr.Ord.Præd.

ANNOTATIO.

Huius Alberti Sanctitatem pluribus post mortem voluit Deus testatam esse miraculis, vt idem asserit.

XVII.

Ian 30. ALDEGVNDIS Abbatissa Monasterij Malbodiensis in Hannonia, obitum suum instare cognoscens, multis precibus, ac lachrymis à Domino postulauit, vt hic per aduersitates, & flagella purgari mereretur, quò (post hanc vitam) Dei posset statim perfrui conspectu. Non multò post, morbus, qui cancer vocatur, mammillam eius dexteram inuasit; qui corpus illius exæstuans, vsque ad vltimum vitæ diem depastus est. Ipsa verò, (tamquam accepto diuinitus dono) congaudés, diuinæ benignitati gratias agebat. Cum autem suæ resolutionis dies, ab Angelo sibi reuelatus, iam aduenisset; nullaque tunc molestia corporis fatigaretur, apparente sibi rursus Angelo, cæpit ipsa cum eo conqueri, cur à Regno sibi parato differretur? Cui ille scias (inquit) Sanctos Angelos hoc tibi à Domino impetrasse, vt ad perfectionem virtutum adhuc habeas temporalis vitæ spatium.

Correpta demum tertiana febri, tantus illam (immittente Diabolo) sitis ardor inuasit, vt nisi mox biberet videretur exanimari: cumque reluctans viriliter, à potu vellet abstinere, ad orationem confugit; & oratione sitim extinxit. Illicò autem vidit Sathanam tetra, & horrenda specie sibi apparentem, qui dixit ei, Dura, & arcta adhuc restat superanda via; nec tu tibi de perseuerantia quidquam polliceri potes: Cui Virgo, Dominus (inquit) mihi adiutor, non curo minas tuas. Quibus dictis continuò Dæmonem in fugam vertit.

Dum

Dum adhuc in lecto decumberet sanauit paruulum sibi
blatum (cuius vita, ob morbi vehementiam in desperatio-
em venerat) iubens illum ante cornu Altaris deponi; vbi
rotinus integram recepit sanitatem. Alium quemdam
nentis insania, cum extremo vitæ periculo, laborantem, in
onspectu eius adductum, Crucis signi impressione, mente, &
orpore sanum effecit. Post hæc tertio ante obitum die,
plendor ingens refulsit supra domum, in qua Virgo aduen-
um Christi præstolabatur; & cum ipsa luce ad eundem
Christum veram lucem cōmigrauit, circa annum Dom. 646.

*Sur. tom. 6. 13. Nou. qua die habetur eius translatio. Mola-
nus in notis ad Vsuardum, & in indiculo Sanctorum Belgij.
De ea etiam Baron. in Annal. tom. 8. & idem Sur. tom. 5. in
vita S. Gisleni. Vide infra de eadem in S. Humberto.*

ANNOTATIO.

Cum per visum ALDEGVNDIS edocta esset ab Angelo de
S. Amandi Episcopi excessu, & gloria; & eandem ipsa S. Gisleno
etulisset visionem, dixit ei vir sanctus: Quandoquidem & transi-
um, & remunerationem tanti Præsulis (Virgo Christi) videre
neruisti, vna hac re, duo tibi à Domino indicata noueris: Vt
scilicet sine intermissione bonis operibus intenta sis: & certum
habeas breui, te quoque præmia à fideli Remuneratore percep-
turam; quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor homi-
nis ascenderunt. Itaque si te morbus occupauerit, Deo semper
gratias agas, qui quos diligit corripit. Quod & fecit.

Sur. in vita S. Gisleni tom. 5.

XVIII.

ALDOBRANDESCA Pontia Senensis, vltima correp- *Apr. 26.*
ta infirmitate, lecto decumbere noluit, sed per Xenodochiū
(in quo vitam agebat) perambulans, vigore spiritus debilia
membra sustentabat. Sentiens autem sui transitus horam
appropinquare, genuflexa, se in orationem dedit; & in ea
aliquandiu perseuerans, spiritū Deo reddidit. anno sal. 1310.

*Vita eiusdem, Senis impressa 1529. 1586. 1588. Auctor.
Greg. Lombardello Italicè.*

XIX.

ALEXANDER Cilix Abbas (circa finem vitæ suæ) le-ctulo decubuit, quasi menses tres. Ante decem verò dies, quàm ad Dominũ migraret, arreptus est à Dęmone, cui dixit senex, ad vesperã venisti miser. Hoc magnum nõ est, quoniam in lectulo sum, & moueri non possum. Ostendisti miserrime imbecillitatem tuam. Nam si potens, & valens esses, ante hos quinquaginta, vel sexaginta annos debueras appropinquare mihi. Ego enim per confortantem me Christum ostendissem tibi infirmitatem tuam; deiecissem, rugitum tuum atque contriuissem rigidam illam tuam inflexamq. ceruicem: Nunc autem non mea imbecillitas, sed infirmitas est quæ premit me. Gratias tamen ago Deo; ad quem proficiscens, ostendam iniuriam, quam abs te passus sum: quia post tot annorum labores, & fatigationem circa exitum sic atrociter in me inuasisti. Hæc & alia plurima, horis singulis, dicens, decima die cum omni quiete spiritum Deo reddidit.

Io. Mosch. in Prato spir. cap. 182. *& Herebertus in Vit. Patrum lib.* 10. *c.* 182.

XIX.

ALEXANDRIA, siue ALEXANDRA Virgo cum sederet intra quoddam sepulchrum; per foramen exiguum necessaria alimenta suscipiens; & neque viros, neque mulieres vnquam videns: duodecimo anno dormitionem suam aduenisse cognoscens; se ipsam composuit, & feliciter ad Deum migrauit.

Palladius in lausiaca cap. 5. *& Vit. Patrum in Appendice in Heraclidis Paradiso cap.* 1. *ex Palladio.*

ANNOTATIO.

De ipsa referebat Melania Romana (quæ ad eam venerat) se vultum eius videre quidem non potuisse; stantem autem ad foramen sepulchri petijsse, vt ei diceret causam, ob quam se in illo sepulchro concluserat. Quæ per memoratum foramen locuta: cuiusdam animus (inquit) in me læsus erat quondam; & nè viderer eum, vel contristare, vel perdere, malui me ipsam in sepulchro

ro (dum viuo) recludere, quàm nocere animæ ad similitudinem
ei factæ. Qua dicentē rursus, quemadmodum igitur pati potes,
neminem prorsus videas, sed in solitudine tali contra acediam,
l cogitationes habeas tam iuge certamen? Hoc illa respondit:
principio (inquiens) diei nonam vsque horam, orationi vaco;
lino opus per horas singulas faciens: Reliquo autem temporis
atio, cogitatione discurro per sanctos Prophetas, Apostolos,
que Martyres, & Patriarchas; Cæteris verò horis cibum panis
pio: Appropinquante Vespera, cum maxima quiete Dominum
eum glorifico; finemq. vitæ meæ cū spe bona patienter expecto.
Ibidem.

XX.

ALEXIVS Romanorum Nobilissimus, post Illustrium *Iul.* 17.
rbis terræ Ecclesiarum peregrinationem, Romam redijt, &
Patre suo tanquam alienus pauper hospitio acceptus; cum
pud eum (omnibus incognitus) decem & septem annos vi-
sset, relicto scripto sui nominis, sanguinis, ac totius Vitæ
ursus, migrauit in cœlum.

*Breu. Rom. hac die. de eo Mombrit. to. 1. Lippom. to. 7. Sur.
4. ex Metaphraste. Petr. Damian. de eo pariter sermonem
bet to. 2. Vbi fusius eiusdem celebrat Encomia.*

XXI.

ALFERIVS Abbas Cauensis, ante sextum sui exitus *Apr.* 12.
iem à Domino (sibi apparente) ad Cœnam inuitatus, ma-
ima lætitia, & gaudio exultans, diē tantæ promissionis præ-
olabatur; & eo tandem adueniente (Cœnæ scilicet Do-
ini) celebrauit Missarum solemnia; fratrum pedes abluit;
auperibus dona distribuit, & dimissis fratribus cum designa-
o successore ad Refectorium, ipse cellulam speluncæ, in qua
nanere consueuerat intrauit; se in orationem dedit; atque
nter orationis verba, spiritum Deo tradidit, anno sal. 1098.
Corpore genuflexo remanente.

*Sur. to. 2. ex incerto Auctore, qui vitam Alferij collegisse
it ex scriptis Desiderij Abb. Cassin. qui fuit postea Victor
Papa III.*

Ferrarius ex Paulo Regio de Sanctis Regni Neapolit.

ANNOTATIO.

Fuerat Alferius hic Salernitanus, Salernitano Principi charus, à quo in Germaniam ad Imperatorem missus, in itinere in morbum incidit; ex quo si conualesceret, se soli Deo inseruiturum vouit: sanitate itaque recuperata, statim ad Monasterium Cluniacense se contulit, vbi sub Odilonis disciplina mirè profecit.

Obijt senex ætatis annorum centum viginti ita sanus, & fortis vsque ad extremam horam mortis, vt nec caligaret, nec aliqua debilitate deficeret; semper clarissimè legerit, ac scripserit; missas celebrauerit; & omne Pastoralis sui ordinis ministerium (ad extremum vsque suæ vitæ tempus) valenter exhibuerit.

Post mortem lampas vitrea super eius tumulum fuit apposita, quæ plerumque lapsa, non solum frangi non potuit, sed quandoque (vt erat) plena permansit.

Cum plurimis Alferius clareret miraculis (etiam dum viueret) Energumenus quidam fuit ad eum perductus, ferro vinctus, vt ab eo liberaretur; Vir autem sanctus ait: Hic non me viuente, sed moriente sanabitur. Quod profectò ita impletum est. Nam vbi Sanctus obijt, ab eodem obsesso ad eius tumulum delato, immundum spiritum eiecit.

XXII.

Oct. 9. ALOYSIVS Bertrannus Ord. Præd. cum tota Vita sua infirmitatibus pluribus decoctus esset, vltimis duobus, vel tribus annis, Ventris fluxu laborauit assiduo; hoc tamen, & alijs morbis laborans, pronunciabat frequenter illud Augustini: Domine hìc vre, hìc seca, vt in æternum parcas. Ad extrema deueniens, cælesti voluit refici viatico; ante cuius perceptionem, fidem professus est catholicam: Rogauitq. Dominum ne mortis reuocaret sententiam, & animæ suæ misereretur, meritis sacratissimæ Passionis suæ, & intercessione Beatissimæ Virginis, Angelorum, & omnium Sanctorum; præcipuè Dominici, & cæterorum sui ordinis. Sumpta Eucharistia (tanta cum deuotione, vt circumstantes etiam ad lachrymas prouocaret) conualuit aliquantulum, & prorogatus est exitus eius in aliquot dies; quibus quidem orationi iugiter vacauit, vespere præsertim, & manè, quo tempore

nullum

nullum admisit, qui visitationis tantum causa ad eum veniret. Quando etiam poterat, surgebat ad celebrandum in Oratorio; sed quia post celebrationem aliquando deficiebat viribus, dictum est ei, vt à celebrando abstineret: Respondit autem Vir Dei: Sancta sacramenta Ecclesiæ neminem interficiunt.

Sacerdotum manus ad se venientium osculari, & ab eisdem supra se Euangelium legi volebat.

Aliquando ab amicis adducebantur, qui musicis concentibus eum releuarent; quorum audiens melodiam erumpebat in lachrymas; operiebat se linteo; & cælestia contemplabatur.

Tandem cum optata aduenisset hora, signari se à Patriarcha præsente fecit in capite, & corde; ac legi Euangelium dicens: en morior. Rogauit deinde adstantes fratres, vt sexies recitarent orationem Dominicam & salutationem Angelicam (iuxta ritum Ordinis, & eiusdem priuilegia) inter quorum orationes, spiritum Deo reddidit, die nona Octobris, sicut ipse prædixerat: interrogauerat enim die Veneris, sexta eiusdem mensis, qua die contingeret festum sancti Dionysij; & cum dictum sibi esset, quod Lunæ; cœpit digitis numerare dicens: dies Veneris, Sabbati, Dominica, dies Lunæ: Benedictus Deus, non desunt nisi quatuor dies: fiat voluntas Dei; & hac ipsa die obijt.

Franciscus Diagus in Hist. Prou. Arag. Ord. Præd. lib. 2. cap. 75. & seq. Hispanicè. Vincentius Iustinianus in Vita ipsius. De eodem Vide infra in Barth. in Dominica Torres. in Michaele. & in Myco.

XXIII.

ALQVIRINVS Monachus Cisterciensis, olim Medicus, qui summa charitate infirmos curabat; cum ad vitæ finem peruenisset, & ab Abbate visitaretur, dixit eidem interroganti, se benè habere, benèq. secum agere Deum; ad quem videndum, & fruendum iam proficiscebatur; subdidit Abbas: quare non permisisti, vt exhiberetur tibi eadem cha-

ritas, quam Tu alijs exhibuisti, nec medicinam corpori tuo adhibere curasti? Non times fortasse mortem, ac rigorem extremi finis? Nescis eam esse vltimum terribilium? Quomodo eam expectas tam hilaris, & lætitia plenus? Ne mireris hoc (respondit Alquirinus) quia quidquid considero; & quodcumque oculis aspicio, materia mihi efficitur gaudij, & exultationis: præuenit enim me Dominus in benedictionibus dulcedinis; abstulit à corde meo omnem tristitiam, & ex corpore omnem languorem. Interrogatus qua forma vidisset Christum? Respondit, suas ei plagas ostendisse apertas, dicens: tua peccata sunt iam dimissa, osculare hæc vulnera, quę in minimis meis adeò dilexisti, & veneratus fuisti. Idcirco non timeo mortem; immò cupio dissolui, & esse cum Christo. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. In cuius veritatis signum, quando Missa celebrabitur in Ecclesia, ex hac vita discedam: sicque eadem hora ad cælestia Regna migrauit.

Barnabas Montaluus in hist. S. Bernardi Hispanicè lib. 4. cap. 56. ex exord. Cister. lib. 4. cap. 1.

ANNOTATIO.

Medebatur Alquirinus pauperibus solummodo, ex charitate; in hisque curandis totus erat, præcipuè in ijs, quos vlceribus obsitos inueniebat; horum enim vlcera non solum curabat, sed osculabatur etiam, ac si Christi Domini vulnera conspiceret. Vnde & ipse Dominus oranti sibi apparuit aliquando, à planta pedis, vsque ad verticem capitis (vt sibi videbatur) vulneratus, & è vulneribus vbertim sanguinem fundens: Cui compatiens Vir Sanctus, cæpit vnà cum Angelis sanguinem decurrentem colligere, & mederi pariter vulneribus illis; pannos sanguine madidos, quibus eadem tergebat, in sinu suo recondens. Ob quod præstitum famulatum, idem Dominus ei benedixit, & exinde (maiori cum pietate, & charitate) pauperum curationem toto tempore vitæ suæ fuit prosecutus. *Idem.*

XXIV.

Oct. 19. AMABILIS Presbyter Aruernensis à Domino se euocari sentiens, lætus expectabat suæ migrationis diem; conuocatisque

catisque discipulis, de seruanda disciplina; & charitate, pace, ac sanctimonia sectanda eos admonuit. Deinde iussit omnem acciri Populum ad Ecclesiam. Quo conuocato, indicauit ei sui corporis sibi iam imminere dissolutionem; vnde magnus extitit mœror, ac luctus omnium. Cernens itaque Vir Sanctus adeò lamentari eundem Populum; lachrymas, & ipse cohibere non potuit; corde tamen in Deum defixus, rogauit eos, vt domum redirent; osculatusque eosdem, & illis benè precatus, dimisit à se. Postea febri correptus, cæpit acri fatigari dolore; sed quamuis corporis deficerent vires: ille tamen, Psalmos, & Hymnos promere non cessabat. Tandem suæ vitæ terminum adesse sentiens, sacro se communiuit Viatico, & deinde in cilicium & cinerem se prosternens, cælestis patriæ ciues ad se venientes conspicere visus est. Quorum visione exhilaratus, feliciter migrauit ad Dominum.

Sur. tom. 5. Lipp. tom. 8.

ANNOTATIO.

Ad huius Amabilis tumulum, cum Dux Victorius despexisset orare, substitit immobilis è regione equus: Quem cùm flagris, stimulisque vrgeret, & ille (quasi æneus) staret immobiils; tandem aliquando Dux à suis commonitus, ad orationem descendit. Cumque fideliter orasset, quò voluit iuit.

Idem Sur. ibidem ex Greg. Turon. de glor. conf. cap. 33.

XXV.

AMASIVS Episcopus Theanensis, intelligens sibi humanæ peregrinationis adesse finem, Cæmeterium cum columnis, in quo suum corpus conderetur, iuxta sepulchrum S. Paridis (quem in vita dilexerat) ciuium auxilio construi curauit. Quibus cũ salutis monita multa dedisset, suam impertiuit benedictionem dicens: senui, & incanui (filioli mei) conuersatus coram vobis ab hora, quæ Deo placuit, vsque ad hanc diem; pro animabus vestris nequaquam laborem recusaui: Nunc verò Dominus vocat me, cui præstò sum. Estote ergo fideles, & operamini in dilectione Dei, & proximi vsque ad mortem,

mortem, & regnabitis in æternum. Benedicat itaque vobis Deus manuum vestrarum de excelso solio omne opus;& crescere vos faciat de charitate in charitatem, vt sitis ante faciem eius in fine sæculi, mundi, & immaculati.

Profusis deinde lachrymis, sacrum sumpsit Viaticum: & demum, die migrationis adueniente, Psalmis Pœnitentialibus deuotè recitatis: Crucifixi imaginem sæpè amplexatus, ac deosculatus: omnibusq. Ecclesiæ Sacramentis communitus (conformatis in Crucis similitudinem manibus) erexit oculos in cælum, & pronuncians: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, spiritum Domino reddidit. Anno sal. 350.

Paulus Regius de SS. Regni Neapolit. lib. 2.

Vita ipsius in off. impresso Romæ 1600. Ferrar. in Catal. SS. Italiæ

ANNOTATIO.

AMASIVS hic ab Arrianis Soræ, pugnis, ac fustibus vsque ad mortem cæsus fuit: sed eis discedentibus, à loco in quo iacebat, paulatim surgens, ea vrbe relicta, Theanum se contulit; vbi paulò ante S. Paris Episcopus(sibi familiaritate coniunctus)migrauerat. eius Ciuitatis igitur Episcopus ipse eligitur, & Populum assiduis côcionibus non solum ab Arriana labe immunê,sed à vitijs(quantum fieri poterat) alienum seruare studuit. Sorani verò pœnitentia ducti, & Ecclesiæ catholicæ conciliati, templum ei (post eius obitum) construxerunt. *Iidem qui supra.*

X X V I.

Maij. 1. AMATOR Episcopus Antisiodorensis diuina reuelatione suæ discessionis tempus agnoscens; & eiusdem Ciuitatis Ducem, ac præfectum, nomine Germanum,sibi successorem futurum præuidens, eum totondit, rogauitque Populum, vt sui loco reciperent. Deinde morbo correptus est lethali, quo tamen grauatus, non omisit prædicationibus plebem confirmare; eandemque lugentem, ac suum dolentem discessum flere prohibuit. Adueniente tandem sui exitus hora,

ad

l sanctam Ecclesiam, suorum se manibus, deportari fecit; cclesiam autem ingressus, Pontificalem ascendit thronum; eoque residens, inter crebros singultus, & eiusdem Populi mentationes, animam Deo tradidit; quæ visa est in columæ specie in cælum ferri, anno Domini 421.

Sur. tom. 4. in vita S. Germani Antisiodorensis.

ANNOTATIO.

Post mortem S. Amatoris sanatus fuit Paralyticus, aqua lotus, ıa sacrum eius corpus perfusum fuerat. *Idem Sur.*

XXVII.

AMATVS Abbas Monasterij Romerici, de sui obitus die, *Sept. 13.* ıte annum edoctus, voluit à discipulis culcitram è cinere, & licio confectam (in qua peccatorum suorum pœnitentiam ;eret) sibi præparari. In ipsa igitur prostratus, culpas, quas lmisisse meminit, coram fratribus voce publica confessus t; in eademq. toto anno decumbens, diù, noctuque precibus cabat, & quamuis incōmoda corporis laboraret valetudi- :: ac perpetuo cruciaretur dolore (carnibus enim excisis, ıda iam ossa patebāt) mirificè tamen exultabat in Domino.

Sub mortem iussit sibi afferri S. Leonis epistolam ad S. Flaanium datam (in qua Catholicæ fidei ratio plenissimè con- ıetur) eaque sibi lecta, dixit: Sic credo ò Trinitas ineffabi- : ita confiteor. Deus omnipotens: ita de te sentio fili Dei hriste Iesu: sic de te intelligo Spiritus sancte æterne Deus: que vnum Deum in Trinitate, trinumque in vnitate nfiteor.

Iussit deinde fodi sepulchrum in ipso Basilicæ aditu (ingnum se putans, qui intra Ecclesiæ septa sepeliretur) voitq. in eo Epitaphium huiusmodi, à se compositum, apponi ilicet.

Omnis homo Dei, qui in hunc locum Sanctum ad oranım introieris, si merueris obtinere, quæ postulas, pro aniıa Amati pœnitentis hic sepulti Dominum misericorditer

depre-

deprecari digneris, vt si quid mea prauitas de meis peccatis obtinere non potuit (tepidè pœnitendo) obtineat vestra tantorum charitas, sedulè Domini misericordiam deprecando.

Tandem congregatis fratribus, & Euangelia, Psalmos, & Hymnos apud lectulum eius decantantibus, sub his vocibus veniam ab omnibus petens, omnibusq. vale dicens, migrauit ad Dominum anno 660.

Sur. tom. 5. Ado. Trithemius lib. 3. cap. 88. & 90. Baron. in Annal. tom. 8.

ANNOTATIO.

Habebat infra cellulam Amatus hic, Molam, quam tunc consueuerat manu versare, quando canenti ei, & defatigato, somnus obreperat: Illud autem spacium, in quo molendi causa nudos pedes extendere solebat, minutis, ijsque peracutis lapillis plenum erat; sicque carnis tentationes, & corporis somnum molendi abigebat labore.

Seductus quippe olim fuerat ab Agrestino schismatico Pseudo Monacho, qui insurrexerat contra Regulam S. Columbani; sed postea resipuit, & verè se pœnitentem exhibuit. De Agrestino, vide infra in Eustachio.

De epistola S. Leonis Encyclica (quæ est 10. inter eiusdem Pontif. epist.) habetur miraculum in Prato spirituali cap. 147. & 148.) De eadem Baronius Annal. tom. 6. anno Christi 443. pluribus.

XXVIII.

Maij 18. *Aug.* 31. AMATVS Nusci Episcopus migraturus à vita, Missam celebrare voluit; qua peracta, cum (post exhortationis verba) Populo benedixisset, inter Sacerdotum manus animam Deo reddidit xv. Cal. Iunij Anno sal. 1193. Eius autem solemnitas habetur in Martyrol. 31. Aug.

Ferrar. Paul. Reg. ex Fel. Renda.

ANNOTATIO.

Hic cum quadam die in venatores incidisset, ab eis grauiter fuit in capite percussus; sed cum percussor in carcere detentus, capita-

pitalem ſententiam ſubiturus eſſet, facti pœnitens, Sancti im-
ɔrauit auxilium; qui ſibi (quamuis abſens) affuit, & vinculis Apr. 4.
utum, è çarcere liberum abire permiſit: tres alios quoque
mpeditos, etiam in carcere detentos, ipſum inuocantes, ſimili
ɔdo liberauit.

XXIX.

AMBROSIVS Epiſcopus Mediolanenſis, dum in lecto Dec. 7.
cumberet, graui correptus infirmitate, Comes Stilico (qui
nto viro recedente de corpore, totius Italiæ interitum im-
inere dicebat) conuocatis ad ſe nobilibus viris illius Ciui-
tis, quos diligi à ſancto cognouerat, partim interminatus
illis; partim blando ſermone perſuaſit, vt pergerent ad
nctum Sacerdotem; ſuaderentque illi, vt ſibi viuendi
teret à Domino commeatum. Quod Ambroſius vbi au-
uit, reſpondit: Non ita inter vos vixi, vt pudeat, me viuere;
c mori timeo, quoniam bonum habemus Dominum.

Morti cum iam proximus eſſet, Honoratus Sacerdos Ec-
eſiæ Vercellenſis (in ſuperiori parte domus ad dormiendũ
mpoſitus) tertiò vocem vocantis ſe audiuit: ſurge, feſtina,
ia modò eſt receſſurus. Qui deſcendens obtulit ei Sacro-
nctum Domini Corpus; & (eo accepto) conformatis in
rucis ſimilitudinem manibus, poſt diutinam orationem ex
c vita migrauit, bonum ſecum ferens Viaticum, anno
hriſti 397. ætatis 64.

Sur. tom. 2. Lippomanus tom. 1. & 5. Baron. Annal. tom. 4.
in vita ipſius à ſe deſcripta.

ANNOTATIO.

Ante paucos dies quam lecto detineretur Ambroſius, cum 43.
almum dictaret (excipiente Paulino) ſubitò in modum ſcuti bre-
s, ignis caput eius cooperuit, atque paulatim per os ipſius
anquam in domum habitator) ingreſſus eſt: poſt quod facta eſt
çies eius ſicut nix; poſtea verò reuerſus eſt vultus eius ad ſpe-
em ſuam. Quod cum fieret, ſtupore percuſſus Paulinus obri-
iit, nec potuit ſcribere, quæ ab illo dicebantur, niſi poſtquam
iſio tranſibat. Scribendi autem, vel dictandi ipſo die finem fecit
in

in illis verbis, quare faciem tuam auertis,&c. nec ipsum Psalmum explere potuit. . Voluit quidem Dominus eiusmodi visione, veluti sigillo apposito, consignasse ostendisseque, tantum in Ecclesia Doctorem, non pro humani sensus arbitrio; sed ex ore Domini, diuino afflatum spiritu, docuisse, scripsisse, atque dictasse ea, quibus vel Populum erudiuit, vel Hæreticos confutauit.

Hæc Paulinus idem in vita ipsius, quam scripsit rogatu S. Augustini sibi familiaritate coniunctissimi: fuit autem hic Paulinus, Clericus minoris ordinis, qui militabat in Ecclesia Mediolanensi, sub cura (vt ipsemet ait) Casti Diaconi, & erat Ambrosio à manu; diuersus à Paulino Episcopo Nolano.

Dum infirmus decumberet, iacebant in porticus extrema parte, in imo positi, Castus, Polemius, Venerius, & Felix (tunc Diaconi) secumque tractabant voce ita repressa, vt vix inuicem se audirent, quis post obitum illius esset ordinandus Episcopus; & de Sancto loquebantur Simpliciano; approbans autem Ambrosius, exclamauit tertiò (quamuis longè positus) Senex, sed Bonus. Qua voce audita, expauescentes fugerunt. Defuncto autem eo, S. Simplicianus ordinatus est Episcopus.

Sepulturam sibi elegit S. Ambrosius apud SS. Martyres, in Ambrosiana scilicet à se erecta Basilica, in quam transtulerat corpora Sanctorum Martyrum Geruasij, & Protasij; maiores imitatus, de quorum instituto, hæc ait, sermone 77. edit. Paris. De SS. Mart. Octauio Aduētitio, & Solutore Tauric: Ideò à Maioribus prouisum est, vt sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, vt dum illos Tartarus metuit, nos pœna non tangat: Dum illos Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum Sanctis ergo Martyribus quiescentes, euadimus inferi tenebras, eorum proprijs meritis; attamen consocij sanctitate. quamuis alij hunc sermonem tribuerint S. Maximo Taurinensi, & inter eiusdem sermones reposuerint.

Hoc idem sensit S. Paulinus Episcopus Nolanus, qui ad finem Panegirici Celsi pueri, hos habet versus.

Quem Complutensi mandauimus vrbe propinquis
Coniunctum tumuli fœdere Martyribus.
Vt de vicino Sanctorum sanguine ducat
Quò nostros illo purgat in igne animos.

Qui etiam literis interpellauit S. Augustinum, vt eodem argumento scriberet Commentarium: Vtrum scilicet prosit alicui post mortem, quod corpus eius apud Sancti alicuius memoriam sepeliatur.

liatur.

ur. Præstititq. id, ipse Augustinus, cum de cura agenda pro
tuis, ad eundem Paulinum tractatum scripsit.

Librum etiam edidit ipse S. Ambrosius de Bono mortis, qui ha-
ur tom. 1. operum eius, & in precatione 2. præpar. ad Missam,
et Morituros, quæ postulent, his verbis, nempe.

Illud etiam magnoperè peto, vt diem obitus; diem extremi
icij; damnationem æterni supplicij; beatitudinemq. Regni fu-
i semper meminerim. & infra.

Quid sum Domine, nisi tu qui iustè iudicas, misericorditer etiã
endas? Recordare quia aduocatus meus es ipse, qui iudicas.
ed si etiam in illo adhuc sæculo aliquid in me iudicandum re-
nas: Peto, ne me potestati Dæmonum tradas. dum scelus
m purgatoria pœna detergis.

Docet etiam in Commentar, in Luc. lib. 7. super illa verba: sunt.
ic stantibus, &c. quomodo iusti non timeant mortem, dicens: si
mus morte non timere, stemus vbi Christus est; vt & de nobis.
atur verè; sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem.
n satis est stare, nisi vbi Christus est stetur: soli enim non
unt gustare mortem, qui possunt stare cum Christo.

Hæc satis de Ambrosio, cuius vita integra, & opera omnia
essent recensenda.

X X X.

AMBROSIVS Sansedonius Ord. Præd. infirmitate vltima *Mar. 20.*
reptus, ne à contemplatione diuinorum impediretur, me-
i tantummodo visitationem admittebat; eademque de
usa, sæpius ad parietem se conuertens, quietus orabat.
Proximus iam morti, aduocatis patribus & fratribus, eis
e vltimum dixit; eosque sermone mellifluo monitos dimi-
: quibus recedentibus, & clauso ostio, visus est per rimulas
nuflecti, & magna deuotione, & humilitate Deum exorare.
Demum adueniente sui exitus hora, Viaticum, humilitate
xima, ac reuerentia, genuflexus accepit; sacroque inungi
o (ad cubile reuersus) voluit. Amplexatus deinde & os-
latus dulciter fratres suos, eosdemque (eleuatis in cælum
ulis) benedictione postulata, communitos, amisit loque-
n, & emisit animam, anno Domini 1286. 20. Martij.

Iulius Sansedonius Episcopus Grossetanus in vita ipsius.

Leand.

Leand. Alber. lib. 5. hist. Dominic. lib. 3. par. 1. Ferrarius hac die.

ANNOTATIO.

Ægrotans Ambrosius in itinere (quando Lutetiam Parisiorum ad operam Theologiæ dandam sub Alberto Magno proficiscebatur) reiecit Dœmonem, reuersionem in Italiam ei suadentem, & sanitatem pollicentem.

Nouennis, officia pietatis exercens, cum à Patre impetrasset, vt Sabbato peregrinos quinque alere posset, inter eos excipere Angelos meruit.

Delectabatur plurimum Ambrosius Sacerdotibus sacra facientibus ministrare. Ipse verò celebraturus, cum totus in lachrymas resolueretur, & nonnumquam extra se etiam raperetur, conspectum hominum euitabat; & non nisi in aliquo secretiori loco, semotis arbitris sacra operabatur. Idem dicitur de S. Philippo Nerio in eius vita.

Concionandi, & Confessiones Pœnitentium audiendi studium numquam intermisit, donec Quadrgesimali tempore quadam die (cum acrius contra fœneratores inflammatus inueheretur) rupta semel, & iterum pectoris vena, & sanguine copioso exuberante; dicendi pariter, ac viuendi paulò post finem fecit.

Iidem Leander lib. 5. & Iul. Sansed.

X X X I.

Nou. 2. AMICVS Monachus Cassinensis, & Eremita Auellanæ, cum obitum suum, ante septem menses præsciuisset, & fratribus prænunciasset, eundem trepidè præstolabatur; donec graui dentium dolore grauatus, expectatam incurrit ægritudinem, octauo scilicet die ante Sanctorum omnium solemnitatem; in qua nihilominus ad mysteria diuina peragenda cum fratribus procedere voluit; & imminentis tuitionem itineris, sacratissimi corporis & sanguinis D. N. Iesu Christi curauit se perceptione muniri.

Crucis imaginem postea ad se deferri præcepit; cumque eam eminus videret, fusis lachrymis coram ea diutius orauit his verbis: Te deprecor ineffabilis misericordiæ clementissime Deus, ne me sinas in perpetuum perire, neque condem-

s cum his, qui descendunt in lacum mortis; neque obliui-
ris in finem; sed iubeas me ab Angelis tuis suscipi, & ad
triam Paradisi perduci; quem generi humano per Crucem
Passionem tuam aperuisti, & ascendens in altum captiuita-
n nostram tecum captiuam duxisti, gratisque dona homi-
bus dedisti: Vbi te credo verum Deum, & vnicum Patris
um cum Spiritu sancto regnantem in sæcula sæculorum.
nen.

Te iterum, atque iterum totis visceribus flagito, vt per
tutem huius vitalis ligni, vbi tu Sacerdos, & hostia pro sa-
e totius Mundi fieri voluisti; quod sacris humeris (de præ-
io exiens) baiulasti; in quo Diabolum, & Tartareas legio-
s roseo cruore captiuasti, vt hoc signum sanctæ Crucis sit
hi ad te reuertenti scutum inexpugnabile contra omnes
cusatores tenebrarum quærentes animam meam. Sed
que Princeps tenebrarum occurrat mihi gaudens, sed con-
us, & irretitus procul absistat.

Oratione peracta, interrogatus vbi vellet sibi parari sepul-
rum? in fouea (respondit) extra Basilicam, sicut dignum
, ligantes mihi funem in pede, ac trahentes extra fores Ec-
siæ, sic indefossum me sepelite. His dictis, sine vllius ho-
nis adminiculo, ad proprium regressus est stratum, cinere,
cilicio decorum; in quo recubans vsque ad vesperam, non
ssauit omnibus ad se ingredientibus spiritualia præbere ali-
enta. Exitus tandem imminente iam hora, cunctos ad se
tres reuocari voluit; qui cum venissent, vt Sancti Patris exi-
n pariter conspicerent; & domus, in qua ille iacebat eos
pere non posset (erat enim ab angulo ad angulum mensu-
quinque pedum) rogauerunt omnes Abbatem, quatenus
atum virum peteret egredi de illa cellula; vt antequam
fungeretur, eius frui possent benedictione, ac præsentia:
veritus Abbas ne fortè sancto viro molestus esset, profite-
tur, se dicere non audere: Ille autem hoc (Deo sibi reue-
nte) cognoscens, in capaciorem domum se introduci iussit:
quam perductus, mox à fratribus pro sui communitione,

Psalmos cum solemnibus orationibus recitari voluit; & illis instanter orantibus migrauit in cælum, ætatis annorum fermè 120.

Bernard. Monach. Cassinen. in M. S. Bibliotheca nostra Vallicellana, Ferrar. in catal. Nou. 2. qui eum appellat Eremitam Auellana, & Arabona in Piceno.

ANNOTATIO.

De Amico Ramibonensi, miraculis coruscante, & absque solemni ritu in Sanctorum numerum relato, meminit Baron. Annal. tom. 10. ann. 997. & tom. 11. ann. 1027. & 1052. & Petr. Damian. epist. 29. ad Henricum Episcopum Rauennatem, quæ habetur t. 1. operum eiusdem, & in Bibliotheca Patrum tom. 3. eiusque fragmentum infra in Romualdo: extant quoque adhuc in Piceno propè montem Melon. (vt inquit idem Ferrarius) nec procul à Ciuitate sancti Seuerini, insignis Monasterij Ramibonensis vestigia; & ibidem Ecclesia sub inuocatione sanctæ Mariæ de Rambona; in qua sacrum eiusdem Amici corpus conditum esse, pia, veterique traditione creditur: ijsdemque ad hanc vsque diem coruscare miraculis, norunt Piceni ferè omnes, & nostri præcipuè Seuerinates. Frequens enim perseuerat adhuc ad eandem Ecclesiam, Populi ex vicinis locis vndequaque concursus, ob sanitatum miracula, quæ ibidem (Sancti viri intercessione) iugiter operari, cereæ plurimæ imagines, pictæque testantur tabellæ: tantaque viget Populi eiusdem erga sanctum deuotio, vt pro magno munere quisque ducat, de sepulchro eius (quod in eadem videtur Ecclesia) parum aliquid abrasi pulueris secum deferre.

Cum igitur Ferrarius asserat eundem esse amicum Auellanensem, & Ramibonensem: Bernardus item Cassinen. dicat Auellanensem Camerini ortum, & in Piceno apud Esculum, locaque adiacentia diuersatum diù fuisse, eundem & ipse credideram, quem in Ramibonensi nunc Ecclesia miraculis coruscare scimus. Verum, cum hic Abbas, ille Monachus fuerit; istius corpus in Ecclesia S. Petri de Auellana in Vmbria publicè colatur; illius verò in Ramibonensi æde in Piceno; cumque hic demum, ante Petrum Damianum (qui obijt anno Domini 1072.) floruerit; & à Petro Diac. Cassinensi (qui claruit circa annum 1125.) in Catalogo Sanctorum Cassinensium (ab ipso, summa diligentia elaborato) non

reponatur; dicendum videtur illum non fuisse Monachũ Cas-
ensem, quem certè Petrus non præterijsset: Alterum verò (quem
nardus Casinensem appellat) eadem ratione cogimur dicere,
gè post Ramibonensem, & ipsum quoque Petrum Diaconum
uisse; cum idem Petrus nec eius meminerit, quamuis sanctita-
& miraculis celeberrimi.
His acceptis ab eruditissimo, & sacræ historiæ studiosissimo vi-
Domno Constantino Caetano, Abbate S. Baronti Congreg.
sinen. eius auctoritati, ac testimonio inhærere libuit; diuer-
que ambos proculdubiò asserendum duxi.

XXXII.

ANASTASIA Patricia Constantinopolitana, cum sub Mar. 10
habitu, in Monasterio diu latuisset, ne Imperatori fieret
gnita, diuinitus sibi extremum vitæ diem instare cognoscẽs
ipsit in testula ad Danielem Abbatem epistolium in hæc
ba: Venerande Pater adduc tecum quamprimum Alum-
m illum tuum, qui mihi ferre aquam consueuit; sumeque
rumenta sepulturæ, & veni, vt cures funus Anastasij Eu-
chi (sic enim appellabatur) scripto hoc Epistolio, & pro
ibus cellæ suspenso, Daniel (per nocturnam speciem edo-
s) discipulum est alloquutus dicens: propera ad Spelæum,
quo frater noster Anastasius Eunuchus degit; & animad-
te ad speluncæ ostium pendere testulam literis exaratam,
am ad me reuersus quamcelerrimè deferas: abijt frater,
ulitque epistolium; quod cum legisset Pater, illachrymans
m discipulo, rebus ad fodiendum tumulum præparatis, ad
um est profectus, vbi Eunuchum febrientem offenderunt.
nc Pater, in pectus illius procumbens, plorauit, & ait: fe-
es frater Anastasi, quod de hac hora semper solicitus, ter-
um regna contempseris; nobis ergo tuis votis Dominum
opitia; tum illa: ego potius (inquit) Pater in hoc vitæ arti-
lo multis precibus indigeo; & senex; si ego ante te diem
eum obijssem, pro te vtique rogassem; tum residens in * Te-
te Anastasia, Senis caput osculata, benè precata est ei; &
ter; Alumnum suum ad pedes illius collocans: Benedic
quit) huic discipulo meo, filio tuo; & illa: Deus (ait) qui in

hac hora migrationis meæ mihi adstitit; qui nouit statum vitæ meæ in hoc antro, propter nomen suum; & hunc morbum, & ærumnas meas, faciat, vt quiescat spiritus Patrum super eum, quemadmodum requieuit spiritus Eliæ super Eliseum; & versa ad Patrem: per Dominum (inquit) rogo te Pater, noli mihi post mortem detrahere vestes, quibus tegor, nullique aperias conditionem sexus, & status vitæ meæ. Perceptisq. sacris Eucharistiæ mysterijs: signa me (ait) signo Christi, & preces ad Deum pro me fundite. Respiciensq. versus orientem, perinde vultus illius in specu radiauit, ac si ibi lampas aliqua præferretur. Signauit demum se signo Crucis, & dicens: In manus tuas Domine commendo spiritum meum; spiritum exhalauit.

Metaphr. in vita S. Sabæ tom. 6. cap. 73. Matthæus Rader. viridar. Sanct. 10. Martij par. 1. ex Metaphraste Baron. Annal. tom. 7.

ANNOTATIO.

a Teges, & Psiathium. Græcis est idem quod storea ex Iunco & Papyro confecta, qua pro lecto vtebantur Monachi Aegyptij.

Illustris fuit Anastasia Pompei (Consobrini Imperatoris Iustiniani) Vxor, & Iulianæ illius prædiuitis, Cognata; de qua Cyrillus æuo Iustiniani, & Baron. Annal. tom. 7. anno 527. Quæ quidem inter Palatinas Imperatoris Iustiniani Patricia, Imperatricis inuidiam fugiens, cœleste Imperium sibi procurare statuit. Nauigio etenim conducto, parteq; aliqua auri secum accepta, cæteris omnibus relictis, venit Alexandriam; Vbi condito Cœnobio, vitã cœlestem duxit. Imperatrice autem aliquanto post tempore mortua, Imperator, Patriciæ recordatus, eam inquiri iussit; Quod vbi illa sensit (relicto sub noctem Monasterio) in Scetanam properauit solitudinem ad Abbatem Danielem; à quo virili induta veste, & dicta pro Anastasia Anastasius Eunuchus, deducta est ad antrũ quoddam admodum à Laura remotum; ibiq; inclusæ, leges viuendi Daniel præscripsit; interdicens ei, ne vnquam è cella sua pedem efferret, nec quemquam vspiam ad se admitteret; vniq. ex fratribus designauit locum, qui hebdomadatim illi vas aquæ deferret, atque ante cellulam deponeret, ac statim recederet.

Octo

Octo igitur & viginti annos per neminem adita, aut visa, à praescripta Danielis norma ne latum quidem vnguem discessit Matrona; Senatorij ordinis; in Palatijs, ac Regijs Imperatorum semper versata; in tantis virorum fœminarumq. Turbis iactata.

De eadem Baron. in Annal. tom. 7. anno Christi 519. hæc ait.

Ad postremum verò clarissimarum quoque fœminarum Hormisda Papa (datis ad eas literis) ad rem benè conficiendam implorauit auxilium. Non enim despiciendas eas esse putauit, quæ tempore persecutionis Anastasij Imperatoris, pro Cattholica fide, non solum steterunt inconcussæ; sed & virorum animos perstare in sententia suaserant, atque in Pietatis officio continuerant; vt planè, acciderit, sicut tempore Passionis Dominicæ, cum, Apostolis fugientibus, mulieres Dominum Iesum nunquam, vsque ad obitum, deseruerunt: Ita in tanto fidei naufragio, quamplurimis Episcopis fugam accipientibus; imò & ad hostium castra se conferentibus, fœminæ, fidem Catholicam profitentes, inuicto steterunt animo. Eminebant inter eas Anastasia, atque Palmatia, Senatoriæ, ac Patriciæ clarissimæ fœminæ, ad quas perbreuem Hormisda Papa dedit Epistolam. Hæc Baronius.

Habetur ibidem eadem Epistola, & ea, quam scripsit Anastasia Hormisdæ; qui quidem, & aliam eidem postea dedit. Extantq. omnes inter eiusdem. Hormisdæ Epistolas tom. 1. Epist. Pont. & Conc. tom. 2. Binij.

XXXIII.

ANASTASIVS Monachus Abbas Suppentoniæ apud Nepitam, ante mortem, è rupe, quæ cœnobio in Monte præeminebat, vocem audiuit dicentis: Anastasi veni. Quo vocato, alij quoque septem fratres vocati sunt ex nomine: Paruo autem momento, ea, quæ emissa fuerat vox siluit, & octauum fratrem vocauit. Intra paucos igitur dies, primus Anastasius, cæteri autē eo ordine ex carne educti sunt, quo de rupis vertice fuerant vocati: frater verò ille, ad quem vocandum vox parum siluit, morientibus alijs, paucis diebus vixit, & tunc vitam finiuit. Dum autem Anastasius de corpore exiret, frater quidam super eum viuere nolens, prouolutus eius pedibus, cum lachrymis illum adiurauit, vt per eum, ad quem ibat, taliter ageret, ne septem dies in Mundo ei superuiueret. Ante verò septem dies etiam ipse defunctus est.

Ianuar. 2.

Anon. obit.

Greg. Dialog. lib. 1. cap. 7. & 8. Idem in Regist. lib. 2. ep. 50. c. 89. ind. ij. vbi appellat eum Anastasium de Pencumis. Ferrar. hac die.

ANNOTATIO.

Fuerat Anastasius primò Romanæ Ecclesiæ Notarius, posteà Monachus, mira fulgens sanctitate, Religione, ac pietate; Miraculis etiam clarus.

XXXIV.

ANAXANON Abbas Galata circa extrema vitæ suæ, ventris, & viscerum doloribus affectus, in Sanctam Ciuitatem delatus est, in domum infirmorum, quæ sub Patriarchæ erat cura, vt ibi curaretur. Vt autem hoc audiuit Abbas Conon, misit ei Sudarium, vnam habens benedictionem, & sex numismata; ita illi significans: ignosce mihi, quia non permittit me ægritudo ascendere, & te salutare: senex autem benedictionem quidem retinuit, nummos autem remisit dicens: siquidē voluerit Deus, vt in hac vita durē, habeo (Pater) nummos decem; cum autem eos expendero, significabo vobis, & mittetis istos. Vt autem sciatis (Pater) post duos dies sæculum istud derelinquo, quod & fecit.

ANNOTATIO.

Sancta Ciuitas, in quam delatus fuit Anaxanon, Antiochia fuisse creditur, quæ dicta fuit Theopolis, quando toties terremotu concussa, Deus religioso cuidam homini, peruisum præcepit, hæc verba pro foribus domorum cuiusq. inscribere Christiani, nempè: CHRISTVS NOBISCVM STATE.

Baron. Annal. tom. 7. anno Christi 528. ex Nicephoro lib. 17. c. 3. Cedreno item & Miscellæ Auctore.

XXXV.

ANDREAS Apostolus ad locum Martyrij perductus, cū Crucem sibi paratam, à longe vidisset, exclamare cœpit: Salue Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorum eius margaritis ornata. securus & gaudens venio ad te; ita & tu exultans suscipias me, discipulum eius, qui pependit in te;

Nou. 30.

quia

quia amator tuus ſemper fui, & deſideraui amplecti te: ò bona Crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini ſuſcepiſti; diù deſiderata; ſolicitè amata; ſine intermiſsione quæſita; & aliquando cupienti animo præparata; Accipe me ab hominibus, & redde me Magiſtro meo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit.

Ad vltimum in cruce ſuſpenſus, in ea Populum docens, biduò ſuperuixit, noluitq. à Proconſule (Populi tumultum timente) deponi, ſed rogauit Dominum dicens.

Ne permittas Domine Ieſu Chriſte, me famulum tuum (qui propter nomen tuum pendeo in Cruce) ſolui; ſed ſuſcipe me tu Magiſter mi Chriſte, quem dilexi, quem cognoui, quem confiteor, quem videre deſidero. Suſcipe Domine ſpiritum meum in pace, quia iam tempus eſt, vt ad te veniam. Suſcipe me Domine Ieſu Chriſte, magiſter bone; neque permittas me ex hac Cruce deponi, niſi prius ſpiritum meum ſuſceperis. Quibus dictis circundatus eſt magno ſplendore de cœlo, & abſcedente poſtmodum lumine, emiſit ſpiritum.

Lippom. tom. 1. ex Metaphraſte. Sur. tom. 6. Breuiar. Rom. omnes autem ex epiſtola Presbyterorum Achaiæ.

De Actis paſsionis Sancti Andreæ vide Baron. Annal. to. 1. anno Chriſti 69.

ANNOTATIO.

Similis docendi Populum ardor, & in martyrio pro Chriſto vitam ponendi, fuit in S. Quirino: de quo hæc habet Martyrol. Rom. 4. Iunij: Siſciæ in Illirico S. Quirini Epiſcopi, qui ſub Galerio Præſide pro fide Chriſti, molari ſaxo ad collum ligato, in flumen præcipitatus eſt; ſed lapide ſupernatante, cum circumſtantes Chriſtianos, ne eius terrerentur ſupplicio, neuè titubarent in fide diù fuiſſet hortatus, ipſe vt martyrij gloriam aſſequeretur, precibus à Deo vt mergeretur obtinuit.

De eodem Quirino Pruden. cecinit hymno ſacro, meminitq. Venantius Fortunatus lib. 7. & extant acta apud Mombrit. to. 2.

XXXVI.

Ianuar. 6. ANDREAS Corsinius Episcopus Fesulanus reuelatione accepta à B. Virgine (dum in nocte Natiuitatis Domini rem diuinam faceret) de sui obitus die, tanta perfusus est lætitia, vt qui prius, ob victus parcitatem, squalidus, ac macilentus fuerat, Seraphico penè colore apparuerit. Morbo igitur correptus, eo die, quem Virgo gloriosa prædixerat, nempè Epiphaniæ Domini, ad eundem feliciter migrauit, anno salutis 1373.

Sur. tom. 1. Siluanus Razzius de Sanctis Hetruriæ. Franciscus Diacetus de Vitis Episcoporum Eccl. Fesul. Ferrarius in Catal. Sanctorum Italiæ 14. Ianuarij.

ANNOTATIO.

Singulari in pauperes charitate emicuit pius Episcopus; qui proprijs manibus ægrotis ministrans, vnique eorum Tibiam vlceribus plenam manu sua attingens, mirabiliter illicò sanauit.

Anon. obit. Andreæ huius deuota virgo (cui ipse dum adhuc viueret, mortis eundem diem prædixerat, ea nocte, qua vir Sanctus obijt, alta voce clamare audita est: Eia Christi Præsul expecta me, vt vnà cœlestem Patriam ingrediamur. Quibus dictis, ad cœlum supplices manus extendens, ab hac luce, & ipsa migrauit.

Sur. ibidem.

XXXVII.

ANNA de Vvylier Basilien. Diœcesi. Virgo Deo deuota, quæ virginitatis propositum semper dilexerat, cum à parentibus nuptui, vt vnica, tradenda esset, nec illi auderent eius quærere propositum, violentia quadam putantes eam emollire, præpararunt omnia futuris necessaria nuptijs, & ordinauerunt, vt Virgo, die, qua marito præsentari deberet, in cuiusdā viduæ domum duceretur, quæ consensum procuraret, imminentibus nuptijs. Sed is qui in cœlis est, irrisit hæc fraudis commēta; nam præcedentibus octo diebus, ante nuptiarum tempus condictarum, Virgo, ignara fraudis, febre correpta est, & lecto decubuit: Morbo dietim se intendente, vocatus est Confessarius; sumptisq. Ecclesiæ Sacramentis, vitæ interitus Vir-

ini visus est appropinquare. Volens autem mater, virginitatis morem in filia verius comprobare, interrogauit eam dicens: Quæso te filia charissima in veritate dicas, iam diuino proxima examini, eligisnè, potius mori, quàm viuere, & maritum aliquem habere legitimum? Cui virgo cum gaudio respondit: Potius moriar. Quo dicto deuotissima virgo vita functa est; eaq. ipsa die, qua homini terreno desponsata præsentari debuit, cœlesti sponso iuncta est in cœlis.

Io: Nyder formic. lib.4. c.4.

ANNOTATIO.

Hæc ipsa virgo (paulò post vitæ exitum) apparuit cuidam sanctimoniali, à qua flagitauit Missam vnam, qua se dixit egere, & rogari voluit suo nomine matrem, vt ob reuerentiam Gloriosæ Virginis, tunicā meliorem, quam ipsa habuerat, pauperibus erogaret.

Idem ibidem.

XXXVIII.

ANNON Episcopus Coloniensis; de obitu suo imminen- *Dec. 4.*
, per visum edoctus, intentissimis precibus Deum obsecrait pro defensione corporis, & animæ suæ; pro Ecclesiæ pace; ro loci conseruatione; & pro salute animarum sibi creditaum; ad singulas preces se prosternens, manusq. & oculos in œlum attollens: Demum signo Crucis filijs suis consignas, dum (petiturus Monasterium) exiret ostium, oblata est ei atenula quædam ferrea, eius olim iussu confecta, sed non nisi a hora (Deo disponente) exhibita: eodem igitur momento troucrtens, locum sepulchri designauit, & catenulam illam er tabulata submitti iussit, ad lucernam ante idem sepulchrū ibuehendam. Interrogatus autem à quodam milite, cur non choro (sacratiori templi loco) potius vellet humari? Respōit: id Ego ea de causa nolo, ne tu, tuiq similes ad sepulchrū ieum orandi causa venturi, fratribus diuina officia persoluenbus, molestiam exhibeatis; Tum etiam vt pateat ad sepularum meum aditus pauperculis fœminabus, ex rure, pro deotione sua, poma, vel oua, aut quodlibet aliud sanctæ sim-

pliçitatis

plicitatis munuſculum allaturis; quarum cum deuotio tantò ſit gratior Deo, quantò vita ſimplicior, non parum honori meo detraheretur, ſi illarum, reiectis lachrymis, & quærimonijs, ad monumentum meum ſolis nobilibus pateret acceſſus. Igitur exemplo Domini mei, duo minuta viduæ accipientis, Ego quoque harũ, & munuſcula complexurus, & admiſſurus preces, omnibus expoſitũ habere volo ſepulturæ meæ locũ.

Podagræ demum doloribus cum ad extrema perductus eſſet, aſſidentibus iuxta ſe fratribus, cum Abbate, confeſſione publica ſe reum, ſe peccatorem proclamauit; indignum planè, qui hactenus tanti Sacerdotij titulis ornaretur; ſtolamq. Pontificiam à ceruice remouens, eis obtulit dicens: ab hac Ego meritis longè alienus, vobis eam reſtituo, non enim elata ceruix mea diutius illa abutetur, qua meo iudicio nunquam ſum vſus. Reclamarunt autem vniuerſi; ſed victus tandem Abbas, ab offerente eam recepit; moxq; eidem, in virtute obedientię mandauit, vt denuò ipſam reciperet. Quod, & fecit Annon reſiſtere non auſus; eaq. ſuſcepta, id ſolum egit, vt certus Miſſarum aliarumq. precum numerus deſignaretur, quem ſinguli pro peccatis, quæ ipſe confeſſus fuerat perſoluerent.

Fecit poſteà ſacras Reliquias ad Eccleſiam deportari, & ipſe eleganti habitu Primarij Decani indutus, cum proprium non haberet, voluit, ſellæ impoſitum, ſe eis obuiam ferri. Ad ſingulas autem Sanctorum Reliquias prætereuntes, caput inclinans; vbi poſtremò Sancti Seuerini ſacra pignora cominus adeſſe vidit, in ingentes prorumpens lachrymas, coram eius theca, de ſella pronum ſe deiecit in cœnum; adeò vt veſtis illa candida, & magni pretij, maxima ex parte luto fœdaretur. Reliquijs in ſummam Aedem importatis, vir Sanctus eò perductus, poſt exactam in diuinis laudibus noctem, ob expianda peccata, Miſſarum celebrationem rogauit accelerari. Deinde cum honoris plurimum eiſdem Sacris Reliquijs impendiſſet, & illæ iam in ſua loca reportandæ eſſent, cum lachrymis eis vale dicens; eorumdem Sanctorum patrocinijs animæ ſuæ ſalutem commendauit.

Morti

Morti iam proximus, videns Diabolum ex aduerſo ſtantẽ, ait ad eum. Quid tu hìc agis ſceleratiſsime? Quanquam non mirum eſt, ſi nos exiguos, & nullis fretos meritis attentes; quãdo nec B. Martini ſanctitate abſterritus es, quominus eius quoque extremis inſidiareris. Exclamans deinde, num quis opem ſibi ferre vellet? accurrerunt adſtantes omnes, à quibus Aquam benedictam petijt; & eam celerrimè exhibitam, aſpergillo cum impetu iniecit in Dęmonem, qui continuò diſparuit.

Ad extremum ſtolam ſuam accipiens iterum, quaſcunque ob cauſas quemquam ligaſſet, abſoluit, & ab omnibus humiliter veniam petijt: conteſtans omnes, ne ſe celarent ſi quid in his ab ipſo foret prætermiſſum.

Accitis deinde rerum Epiſcopalium Procuratoribus, mandauit, vt in perſoluendo ære alieno (quod non exiguũ diſpergendo, & dando pauperibus contraxerat) iuſtè ſine perſonarum acceptione redderent omnia; certam eis pecuniam aſsignans, quam in hos vſus, & exequiarum ſuarum eleemoſynas, menſæ ſuæ cautè ſubtraxerat; præter quam pecuniam (eo defuncto) nec teruncius vnus repertus eſt, qui debitorum ſolutionibus, eleemoſynarumq. in funere erogationibus ſupereſſet.

In extremis demum iam agenti, aderant Lectores quatuor, qui per vicem legentes, ſi inter legendum nonnihil erraſſent, ab illo (manu agitante) illicò corrigebantur: & ſi vel parum à legendo ceſſaſſent, oculos ille, vi quadam aperiens, eos progredi cogebat.

Tandem extollens manus, & exclamans: Sancta Maria ſuccurre miſeris, ſuccurre Coloniæ; eidemq. Glorioſæ Virgini (quam videre præſeferebat, plurimum ſe commendans; ac aliorum Sanctorum Patrocinium efflagitans, migrauit ad Dominum, anno ſal. 1075.

Sur. tom. 6. Baron. in Annal. tom. 11. Molan. in addit. ad Vſuard. Marian. Scot. Herman. Contract. & Lambert. in Chronicis.

A N-

ANNOTATIO.

Quandoque febri laborans Annon, & ministerium sacri mandati, quod cupiebat(Cænæ Dominicæ instante die) implere se posse desperans; igne charitatis, febrium ignes mitigante, surrexit, & pedes abluit (de more) suorum. Quo peracto dolore correptus, ad lectum reportatur; in quo triduò iacuit, donec respiciente Domino piam eius solicitudinem, qua timebat ne suus Grex sacri verbi pabulo per sancta solemnia careret, in ipsis Dominicæ Resurrectionis vigilijs mirabiliter sanatus est. Cum etenim Matutinalia insonuissent signa, repentè è lecto prosilijt, & à reclamante Cubiculario (qui eum doloris insania agitari suspicabatur) calceamenta cum vestibus vix extorquens, ad Ecclesiam lætus processit, & incolumis adstitit.

Dum esset aliquando vir Sanctus apud Sigebergenses (quibus plurimum fidebat, & cordis eius arcana credebat) dixit ad fratres illic manentes: Simeon ille nominatissimus, quo Treuiris inclyto gloriatur Patrono; sed & Bardo Sanctissimus, vrbis Moguntinæ decus, omni quidem reuerentia sunt colendi; verum, quia magni prædicantur, & sunt, donarijs amplis honorari satagunt; at mihi meritis eorum non equè consociando, post depositionem huius corporalis sarcinæ, non erit ingrata quantumlibet parui Xenij deuotio; suscipiamq. breuissimæ ceræ, linique munusculum. Ad quod eius dictum arridentibus, qui assederant senioribus, & an & ipse post mortẽ signis crebrescere vellet insistentibus, cũ magna fiducia Respondit: Voluntatis huius magnitudinẽ profectò verbis aperire non sufficio; tamen ne secretorum meorum aliquid vestris inquisitionibus denegetur, huius me desiderij semper, & fuisse sciatis, & esse; vt in eorum oculis, qui me, vitamque meam insectantur, adhuc aliqua signa per me dignetur exhibere Christus: Tum & pro sui nominis augenda gloria: Tum & pro meo auferendo opprobrio; dum illi placens apparuero, qui nunc in omnium reprehensione sum positus. Prænunciauit deinde signa post eius mortem futura, aliaque multa de se vera prædixit.

Sur. ibidem lib. 2. cap. 2.

Deuotissimus fuit S. Seuerino Coloniensi, cui cum extruxisset Ecclesiam, & quadam die ad eam solemniter consecrandam pergere instituisset, imbrium vehementia fuit detentus: Cum autem plurimum orando, pluuiam sistere non valeret, velut, ex magna

iam

m commotione vocem concipiens, ipsi B. Seuerino charitatis
inas intulit dicens: si me tuis auxilijs in hac pellenda inundatio-
e, quamcelerrimè prosecutus non fueris, certè tantis irritatus
duersitatibus, ad tui nominis reuerentiam Ecclesiam prorsus re-
igio consecrare: Mira res! Mox vt dictorum finem fecit, re-
entina redijt serenitas. *Idem ibidem lib.2.cap.13.*

Duo innocentes iuuenes sententia mortis damnati, dum ad su-
pendium, ducerentur exorarunt Dominum, vt per interuentum
uiuscunque serui sui, quomodo vellet, à morte liberarentur; ipse
utem Dominus apparuit eis in forma Annonis, eosdemque à su-
pendio seruauit, ac liberauit. *Idem ibidem cap.14.*

Rogans aliquando suos, vt post mortem in Siceberg reponerent
orpus eius, pollicitus est protectionem suam dicens: Si desiderij
nei, vobis insistentibus processerit effectus, per misericordiam
ostri Redemptoris, vestræ (vt spero) de me haurient adhuc au-
es, quod in magnæ consolationis, in magnæ spei patrocinium
obis, & Coloniæ vestræ ante Deum proficiat. *Idem ibidem
ap.24.*

Per iocum prædixit cuidam claudo cum Scipione vtcunque
radienti; tantisper (inquiens) huic inniteris Scipioni, donec à
ne curatus illum abijcias. Qui postea ad eius tumulum quadam
e inuigilans, vis inuisibilis eum è sede expellens, totum humi
oram tumulo strauit. Scire ille volens, cuius impulsu id patere-
ur, dum circumfert oculos, conaturq. surgere, toto corpore se
entit incolumem. *Idem lib.3.cap.18.*

XXXIX.

ANSBERTVS Episcopus Rothomagensis imminentem
gnoscens suæ vocationis horam, conuocauit fratres, fecitq. *Febr. 9.*
bi Missarum solemnia celebrari. Deinde sacri Corporis,
t preciosi sanguinis Domini perceptione se muniens, ac san-
tæ Crucis signo se, circumstantesque consignans, somno vl-
mo exceptus feliciter obdormiuit in Domino anno sal. 695.
Sur tom.1. Tritbemius lib.4. cap.52. Molan. in indic.

ANNOTATIO.

Huic iuueni, nobilis fuit desponsata puella; sed cum ambo ca-
itatem seruare cuperent, orauit puella, vt speciositas sua in de-
formi-

formitatem verteretur; & illicò exaudiuit eam Dominus: facies enim eius ita exulcerata, ac immundissima lepra cooperta mox apparuit, vt ab hominum consortio segregandam decernerent; sed statim ac (de viri consensu) sacrum accepit velamen, sua etiam rediit pulchritudo.

X L.

ANSCHARIVS Episcopus Hamburgensis, cum ad obitum properaret, percepta Dominici Corporis, & sanguinis communione, Dominum exorabat, vt quicunque in eum quouis modo peccasset, diuina hoc ei pietas remitteret. Deinde versiculos istos cæpit frequentius repetere, nempè: Secundum misericordiã tuam memento mei tu propter bonitatem tuam Domine, &: Deus propitius esto mihi peccatori, &: In manus tuas commendo spiritum meum. Deficiente autem halitu, & iam eos frequentare non valens, cuidam fratri (S. Remberto scilicet) præcepit, vt eosdem frequentando caneret. Sicque oculis in cælum intentus, Domino spiritum commendatum tradidit, Anno Domini 865.

Sur. tom. 1. in vita S. Remberti. Albertus Crant. in hist. Eccles. Saxon. l. 1. c. 19. & seqq. & in Saxon. lib. 2. c. 25. Trith. de vir. Ill. lib. 4. cap. 84. Baron. in Annal. tom. 10. ann. 865.

De eodem Anschario, & de Remberto pariter, infra in Remberto.

ANNOTATIO.

Ansgarium hunc appellat Albertus Crantius in Saxon. lib. 2. cap. 25. vbi hæc de ipso ait.

Adolescens erat admodum ANSGARIVS cùm de Francia transferretur, & creuit in Apostolum magnum omnium Aquilonarium Regionum, &c. Translationem autem huiusmodi describit in Metropoli, seu historia ecclesiastica Saxonum lib. 1. cap. 19. his verbis.

Iam tum multis compertum erat B P. Ansgarii Corbeiæ Monachi, & inter alios Viri doctissimi, feruens pro Christo desiderium; sed interpellare eum desuper nemo præsumpsit. Terrificum enim videbatur, gentem de crudelitate famosam, noua prædicatione adoriri.

dor iri. Ita (cunctis mussitantibus) Ansgarius cum se Domino precibus commendasset, obuium se ferebat quærentibus Prædicatorem: ecce (inquit) ego, mitte me.

Regem igitur Danorum, Ericum nomine, ex persecutore Christianorum, fidelem fecit catholicum. *Idem Albertus ibidem cap.36.*

Ericum quoque Regem iuniorem, qui Sacerdotes expulerat, & ecclesias claudi iusserat, sic placatum reddidit, vt Christianus & ipse fieret. *Idem ibidem cap.41.*

Castigauit Phrysios pro labore Dominicæ diei. Pertinaciùs verò agentes, igne cælesti mulctauit, *Ibidem.*

Ad curam pauperum, & susceptionem peregrinorum multis in locis Hospitalia præparauit; quorum vnum, ac præcipuum habuit Bremæ; quò per se ipsum quotidie veniens, infirmis non erubuit ministrare; eorumque plurimos, verbo, vel tactu sanauit. *Ibidem; ubi sancti viri narrationem hoc claudit Encomio, nempe.*

ANSGARIVS captiuos redimendo; tribulatos refouendo; Domesticos erudiendo; Barbaris euangelizando; foris Apostolus; intus Monachus: nunquam visus est ociosus.

X L I.

ANSELMVS Episcopus Cantuariensis diutina infirmitate decoctus, cum omnes cibi, quibus humana natura vegetatur, & alitur, in fastidium ei versi fuissent, vim suæ naturæ faciens, eosdem sumere nitebatur; sicque per dimidium circiter annum, vitam quoquo modo transegit, sensim corpore deficiens. Spiritu itaque fortis (quamuis carne nimium fragilis) pedes Oratorium adire non valens, diebus singulis illuc se deferri in sella faciebat; consecrationi Dominici Corporis (quod speciali quodam deuotionis affectu venerabatur) interesse volens: A quo dum, qui ei seruiebant, eum declinare niterentur, quia multum exinde fatigabatur, vix quinto ante suum exitum die, euincere potuerunt. Exinde ergo assiduè lecto decumbens, anhela voce omnes ad eum accedentes, in suo quenque ordine, Deo viuere hortabatur. *Apr. 2.*

Illucescente interim Dominica Palmarum, vnus ex eis, qui ibi adstabant dixit: Domine Pater, vt nobis intelligi datur, ad Paschalem Domini tui curiam (relicto sæculo) vadis; cui respon-

respondit: Et quidem, si voluntas eius in hoc est, voluntati eius non contradico; verum si mallet me adhuc inter vos, saltem tamdiu manere, donec quæstionem, quam de animæ origine mente reuoluo absoluere possem, gratiosius acciperem; eo quod nescio, vtrum aliquis eam (me defuncto) sit absoluturus.

Ingrauescente tandem morbo, cum iam verba, quæ intelligi possent edere nulla valeret, benedictionem omnibus, erecta dextera, & capite demisso impertiuit; cumque fratrum Conuentus in Ecclesia matutinas laudes decantaret, & vnus eorum, qui circa Patrem excubabant, sumpto Euangeliorum textu, legeret coram eo Passionem, quæ ipsa die legi ad Missam debebat; vbi venit ad verba illa: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis Regnum, &c. videns eum lentius solito spiritum trahere; sentiensque eum iam obiturum, adunauit circa eum filiorum agmen; quo præsente vir sanctus, super cilicium, & cinerem positus, migrauit ad Dominum, anno sal. 1109.

Sur. tom. 2. Baron. in Annal. tom. 12. Trith. de vir. Ill. Ord. S. Ben. lib. 2. cap. 101. lib. 3. cap. 127. lib. 4. cap. 622. Auctor Catalogi scriptorum Britanniæ.

ANNOTATIO.

Innumera habentur in huius Sancti Vita, dicta, & facta admiranda, hoc autem præcipuè non est tacendũ, quod sub veritatis testimonio ipse profitebatur, nempè: Si hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorem corporaliter cerneret; & necessariò vni eorum immergi deberet, prius infernum, quàm peccatum appeteret. Insuper, malle se pollutum à peccato, & innocentem, gehennam habere, quàm peccati sorde pollutum, cælorum regna tenere. Cum enim (dicebat) constet, solos malos in inferno torqueri; & solos bonos in cælesti Regno foueri, patet; nec bonos in inferno (si illuc intrarent) posse teneri debita pœna malorum; nec malos in cælo (si forte accederent) frui valere felicitate bonorum.

Cum aliquando Anselmus iter faceret, pueri, quos nutriebat, occursantem sibi leporem in via canibus insecuti sunt; & fugitantem,

gitantem, infra pedes equi, cui Pater ipse insidebat, subsidentem, sunt consecuti. Ille sciens miseram bestiam sibi sub se refugio consuluisse, retentis habenis, equum loco fixit, nec bestiæ cupitum voluit denegare præsidium; quam canes circundantes, & hinc inde lingentes, nec de sub equo poterant eijcere, nec in aliquo lædere. Quod videntes socij eius admirati sunt; at Anselmus (vbi quosdam ex equitibus aspexit ridere, & quasi pro capta bestia lætitiæ fræna laxare) solutus in lachrymas ait: ridetis? Et vtique infelici huic nullus risus, lætitia nulla est; hostes eius circa eam sunt, & ipsa (de vita sollicita) confugit ad nos, præsidium flagitans. Hoc planè est, & animæ. Nam cum de corpore exit, mox inimici sui; maligni scilicet spiritus, qui eam in corpore degentem per anfractus vitiorum multis modis persecuti sunt, crudeliter adsunt, parati eam rapere, & in mortem æternam præcipitare; ipsa autem (nimis anxia) huc, illucq. circumspicit, & qua tueatur defensionis, & auxilij manum sibi porrigi, ineffabili desiderio concupiscit. Dæmones autem è contrario rident, & magno gaudio gaudent, si illam (nullo fultam adminiculo) inuestiunt. Quibus dictis laxato fræno in iter redijt; bestiam vltra prosequi clara voce canibus interdicens. Tunc illa ab omni læsione immunis exultans, prepeti cursu campos, siluasque reuisit. *Idem Sur. ibidem.*

XLII.

ANSELMVS Ord. Iesuatorum, Hieronymi Ripæ (eiusdē ordinis) discipulus, duobus iam annis febri ethica laborans, cum audisset eumdem Hieronymum post triduum discessurū, ad pedes eius prouolutus maxima cum humilitate petijt, vt à Deo sibi quoque discessum impetraret. Quod pium desiderium videns Pater, pollicitus sibi est, octauo die ab eius obitu, suo se voto potiturum. Credidit Anselmus verbo, quod dixerat ei Pater; & lætus, ac hilaris ad exitum se parauit; Sacramentis Ecclesiæ se communiuit; & orationi vacauit, donec optata aduenit dies; in qua (cum omnium admiratione, & consolatione) ad Dominum, & ipse post Patrem suum migrauit.

XLIII.

ANTHELMVS Episcopus Bellicensis moriens noluit condere testamentum, dicens: absit à me vt faciam testamen- *Iunij 26.*

tum, qui nihil habeo; quippè qui non ſum de hoc mundo: Hucuſque ex miniſterio Sacerdotij licuit mihi res commendatas curare, ac diſpenſare: At nunc, quando ijs frui non poſſum, nec diſpenſare licet. Admonuit autem Clericos, vt mutua ſe charitate diligerent: Rogatuſque ab eis, vt Comiti cuidam ſacrilego, & excommunicato (cum quo fuerat illi ob ſalutem ſuam, & Eccleſiæ libertatem controuerſia) ignoſcere vellet, nunquam ſe id facturum aſſeruit, niſi is à calumnia ceſſaret; fidemque daret, ſe nihil vnquam ab Epiſcopi vel eius Eccleſiæ poſſeſſionibus exacturum. Compunctus Comes venit ad virum Dei; culpam ſuam confeſſus eſt; veniam petijt; promiſitque ſe Eccleſiam in poſterum defenſurum. Cui vir ſanctus (impoſitis ei manibus) benedixit dicens: Deus omnipotens Pater & Filius, & Spiritus ſanctus benedictionis ſuæ, & gratiæ tibi tribuat largitatem; creſcere te faciat, & multiplicari; itemque filium tuum. Cum autem non eſſet Comiti filius, ſed filia, rati ſunt plerique illum erraſſe, & ſuggerebant, vt filiam diceret, non filium: At ille ſemel, atque iterum filium repetijt. Quam Prophetiam non multo poſt (nato ei filio) completam vidit. Demum inter Litanias, & Cantica ſpiritum Deo reddidit circa annum Domini 1160.

ANNOTATIO.

Cum Anthelmi venerabiles celebrarentur exequiæ, & ſacrum Corpus monumento conderetur; eo loco, vbi humatum eſt, tres lampades erant, quæ non interdiu, ſed noctibus accendi ſolebant, præterquam in præcipuis ſolemnitatibus. Erat igitur etiam hæc ſolemnitas præclara, non funeris, ſed triumphi. Ecce enim dum cuncti ad ſacrum funus intenti ſunt, vident in vna ex ijs lampadibus ignem, immenſo lumine coruſcare. Admirantibus illis, & ſtupentibus, etiam aliæ duæ diuinitus accenduntur, ſimulque omnes illuſtrius de ſe lumen ſpargunt.

Multi à diuerſis liberati ſunt malis, potu vini, quo ablutum fuerat B. Viri corpus.

Eo anno, quo ab hac vita deceſſit vir ſanctus, magna annonæ caritas magnam famem, & calamitatem inuexit in homines, tùm verò ille, confluentium vndique pauperum turbam, vſque ad Meſ-

ſis

fis tempus quotidianis eleemosynis sustentauit, Certum autem diem præfixerat, ad quem vsque promiserat se illas eleemosynas continuaturum. Itaque Domino (qui eum euocare constituerat) tantisper expectante, donec id quod vouerat esset executus, eodem ipso die, quo eleemosynis illis præstandis extremum præstituerat, à Domino vocatus discessit è vita.

XLIV.

ANTONIVS Abbas (cognomento magnus) mortē suam discipulis prædixit; eos omnes visitando, ac monendo. Metuens deinde Aegyptiorum consuetudinem reseruandi cadauera super lectulos domi absque sepultura, ad proximum habitaculum celeriter (eiusdem discipulis valedicens) repedauit. Postea vocatis duobus fratribus à se antea institutis, eos pariter monuit ne tanti temporis labores repentè perderent; & Dæmonum cauerent insidias. Ad Iesum (inquiens) suspirate; credulitatem nominis eius vestris figite mentibus; & à certa fide vniuersi Dæmones fugabuntur: In hoc autem magis estote solliciti, vt Domini præcepta seruetis; vt post mortem vestram Sancti quique veluti amicos, & notos in æterna vos recipiant tabernacula. *Ian. 17.*

Cumque hæc, & alia multa eis monita dedisset, adiecit: Si qua mei vobis cura; si qua Patris memoria est; si mihi vicarium repēdatis affectum, nullus ad Aegyptum meas perferat reliquias; ne vano corpus honore seruetur; ne vituperati à me ritus (vt nostis) & circa me seruentur obsequia. Huius enim rei gratia maximè huc sum reuersus. Vos igitur humo tegite; vos Patris operite corpusculum; & illud quoque senis vestri custodite mandatum, vt nemo præter vestram dilectionem, locum tumuli mei nouerit. Confido in Domino, quod necessario Resurrectionis tempore, corpusculum hoc resiliet incorruptum. Vestimentorum autem meorum sit ista diuisio: Melotem, & Pallium tritum, cui superiaceo, Athanasio Episcopo date, quod mihi nouum ipse detulerat: Serapion Episcopus aliam accipiat Melotem; vos cilicinum habete vestimentum, & valete viscera mea. Antonius enim migrat, & iam non erit in præsenti seculo. Verba iam finierat, & os-

culantibus se discipulis, extendens paululum pedes, mortem; lætus aspexit, ita vt, ex hilaritate vultus eius, Angelorum Sanctorum præsentia nosceretur.

Vit. Patrum par.1. Sur.tom.1. Herebertus in vit. Patrum lib.1. Vbi plura in eiusdem notationibus. De eo etiam Baron. in Annal.tom.3.ann.358.

ANNOTATIO.

Sancti Antonij Vita, Anachoreticæ vitæ fuit Prototypum, eiusque (adhuc viuentis) acta S. Athanasius Romam, profugus, attulit; ex quibus quantum nobiles Romani profecerint, declarat Hieronymus, scribens ad Principiam, epistola 16. & ad Eustochium epistola 27. Quantum præterea cæteris attulerit adiumenti locuples testis est S.Aug. lib.8. Confess. cap.6.

Nobis quidem (quod ad propositam attinet mortis materiam) prodesse plurimum poterit, illud ex ea hic recensere, & attentius considerare quod habetur c.38. his verbis, nempè.

Sciscitabantur aliquando fratres ab Antonio quemadmodum se post corporis sarcinam, anima gereret; quiue ei locus post obitum concederetur, proxima verò nocte, vox desuper, nomen eius inclamitans, ait, Antoni exurge, exi, & vide. Qui exurgens egressus est, & eleuatis ad cælum oculis vidit quemdam, longũ atque terribilem, caput vsque ad nubes attollentem: Vidit etiam pennatos quosdam se eleuare cupientes in cælum, atque illum extensis manibus prohibere transgressum; è quibus alios apprehensos elidebat in terram, alios frustrà retinere contendens, dolebat super se ad cælestia transuolare; & maximum gaudium (mixtum mœrore) victi, victoresque tribuebant. Statimque ad eum vox facta est dicens: Animaduerte quod vides. Et tunc cæpit illuminato corde intelligere, animarum esse conscensum, & Diabolum prohibentem, qui & sibi retineret obnoxios, & in Sanctorum quos decipere non poterat, deciperetur volatu, *& supra cap.37. eiusdẽ lib.1.Vit. Patrum his pariter verbis.*

Cum hora circiter nona, ante cibum orare cæpisset, raptum se sensit in spiritu, & ab Angelis in sublimè deferri. Prohibentibus autem transitum aeris Dæmonibus, cæperunt Angeli contradicentes requirere, quæ esset causa retinendi, nullis existentibus in Antonio criminibus. Illis verò ab exordio Natiuitatis replicare

peccata

eccata nitentibus, calumniosa, Angeli, ora clauserunt dicenes: non debere eos à natiuitate ejus delicta narrare, quæ iam Christi essent bonitate sopita; si quæ autem scirent ex eo tempore, quo factus esset Monachus, & Deo se consecrasset, licet proferre. Accusabant Dæmones multa procaciter menti enes, & cum deessent probamenta fallacibus, liber Antonio concensus aperitur. Et statim rediens in se, oblitus escæ, ex illa hora octem gemitu, ac lamentatione transegit, reputans secum humanorum hostium multitudinem; & colluctationem tanti exercitus; & laboriosum iter ad cælum; simul & Apostoli dictum: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, &c. Qui sciens aereas potestates ob id semper tentare, luctari, & contendere, ne nobis liber transitus esset ad cælum, hortabatur fratres his verbis: Assumite arma Dei, vt possitis resistere in die mala; vt nihil habens mali, quod de vobis dicere possit inimicus, confundatur.

Eadem visio habetur etiam lib. 7. cap. 19. de verbis seniorum & in Lausiaca palladij cap. 26.

Perpendenda præterea ex hac Antonij visione inter Baptismum & Monachorum Religionem similitudo; sicut enim in Baptismo remittitur omnis pœna peccatis debita; ita quoque in susceptione vitæ monasticæ fieri credendum est. Quod Sanctorum Patrum testimonijs, Sanctorum virorum exemplis; & Scholasticorum doctrina firmatur nempè.

S. Thom. 2. 2. quæst. 189. art. 3. & in 4. sententiarum dist. 4. q. 3. art. 3. quæstiuncula 3. ad 3. Thom. Valden. tom. 3. de Sacram. tit. 9. cap. 80. Antonin. Palud. Siluest. Nouissimè verò Bellarm. tom. 4. in Iud. de libro Concordiæ Lutheranorum, Mendacio 22.

Hieron. epist. 25. ad Paulam de obitu Blesillæ, & epist. 8. ad Demetriadem. Bernar. lib. de præcepto, & dispensatione. Io. Subdiac. lib. 1. de Contempl. n. 9. vbi narrat de quodam magno viro sic affirmante: quod virtutem, quam vidi stare super Baptisma, vidi etiam super vestimentum Monachi, quando accipit habitum spiritualem. Leontius in vita Simeonis sali apud Metaphr. 1. Iul. narrat pariter quomodo Simeon, & Io. sancto habitu regenerandi erant, & quantam in sic regenerato gloriam viderit.

S. Anselmus lib. de Similitudinibus cap. 191. de Osberto Monacho, quem Angelus in extremis contra Diabolum peccata ante ingressum Religionis commissa, accusantem, defendit; eam professione Monastica abolita esse dicens.

XLV.

ANTONIVS Bembus ex Iesuatorum familia, cum Pistorij infirmus iaceret, à B. Romulo (eius secundum spiritum Patre) interrogatus, quid de sua speraret animæ salute? Respondit, se de Dei misericordia confisum, nil prorsus de ea sibi timere; Angelus enim (inquit) eius ad me venit, iussitque me esse paratum præstituto die ad cælestes iturum nuptias.

Ex quo igitur (subdidit Antonius) magnificauit Dominus mecum misericordiam suam, duo rogo te ne deneges mihi; vnum quidem, vt eodem modo, quo in Societatem ingressus fui, discedere ex ea mihi concedatur; nempè canticis spiritualibus, & caris singulorum fratrum amplexibus: Alterum vt Monachum quemdam (Anselmum nomine) Florentiæ commorantem adeas, & à concepta nequitia dimoueas: Statuit enim furtum, ac sacrilegium committere; è Congregatione abire; prauamque exequi voluntatem, quam diù mente concepit, nullique aperire voluit. Promisit ei Romulus vtrumque se facturum. Die igitur præstituta adueniente: Tempus est (inquit Antonius) vt ego vadam Pater mi: Tunc iussit Romulus canere fratres cantionem quamdam italicè, quæ sic incipit.

Amor di caritade, Perche m'hai si ferito. E'l cuor tutto partito, & ardo per amore.

Quæ verba audiens Antonius, Christi amore saucius, super lectulum resedit, & dulcissimis amplexibus singulos quoque amplexari cæpit; præcipuè Patrem suum Romulum, quem fortiter pectori suo annexum voluit; & ab eo tandem benedictione postulata, & obtenta, respondentibus omnibus Amen, migrauit in cælum.

Romulus verò Florentiam petijt; Anselmum conuènit; eundemque precibus, ac lachrymis tandem ad meliorem frugem perduxit.

Paulus Morigius lib. 2. cap. 48. Auctor vitæ Io. Columb. cap. 25.

XLVI.

ANTONIO Monacho (S.Gregorij Magni discipulo) qui permultis quotidianis lachrymis ad gaudia patriæ cælestis anhelabat, dictum est per visionem nocturnam: paratus esto, quia Dominus iussit te migrare; cumque ille non habere sumptus ad migrandum diceret, responsum protinus audiuit, dicens: Si de peccatis tuis agitur, dimissa sunt. Quod cum semel audisset, & magno adhuc metu trepidaret, nocte quoq. alia eisdem verbis est admonitus. Tunc post quinque dies, febre correptus (cunctis fratribus orantibus, & flentibus) defunctus est. *Ian.* 17.

Greg.Dial.lib.4.cap.47. Ferrarius in Catal.17.Ianuarij.

XLVII.

ANTONIVS Vlyssiponẽsis (de Padua nuncupatus) lethali morbo correptus, ad euitandã de corpore eius post mortem controuersiam, Paduam se deferri voluit. Adueniente autem sui exitus hora, facta cõfessione, Hymnũ: O Gloriosa Domina canere cępit. Deinde sublatis oculis, aliquãdiu sursũ eos diligentissimè intentos tenuit. Cum autem interrogaretur quidnam aspiceret? Respondit: Dominum meum video. Fratres igitur, qui aderant, felicem eius exitum adesse cernentes proximum, sacram ei Vnctionem impendere voluerunt: vt autem vidit vir Sanctus fratrem ex more sacrum oleum asportãtem, intuens in eum ait illi: Hanc vnctionem intra me habeo; placet tamen, & vtilis est. Demum Psalmis pœnitentialibus (cum fratribus) perlectis, dimidia ferè elapsa hora, inter manus adstantium (dormienti similis) leniter expirauit, anno Domini 1231. *Iun.* 13.

Sur. tom.3. Anton.Chron.3.par. tit.24.cap.3. Chron.Franciscan. tom.1. lib.5.

ANNOTATIO.

Obitum suum Antonius longè ante prænouerat; sed ne fratres mœrore afficeret, illis indicare noluit. Decimaquinta autẽ ferè ante mortem suam die, cum è quodam colle contemplaretur amœ-

nam Paduæ planitiem, exultans spiritu, situm eius vrbis miris euehebat laudibus; versus deinde ad fratrem, itineris sui comitem, multo honore ciuitatem illam breui affectam iri prædixit; non tamen exprimens cuiusmodi honor ille futurus esset, sed ab illius obitu vsque in præsens gratulatur eadem vrbs (felici rerum experimento) thesaurum obtinens Sancti illius viri. Qui quidem, ob eius egregiam sanctitatem, anno sequenti 1232. à Gregorio IX. Rom. Pontifice in Sanctorum numerum receptus est.

Huius sancti prædicatione compuncti, cæperunt tum primum homines cateruatim sese verberando, & pia Cantica deuotè promendo, procedere; quæ quidem laudabilis consuetudo, à tanto Auctore profecta, deinceps suis est aucta incrementis; ita vt ferè in omnibus Italiæ locis accuratissimè hodieque obseruetur.

XLVIII.

Maij 2. ANTONINVS Archiepiscopus Florentinus, febri correptus vltima, respondit cuidam valetudinem bonam, & celerem sibi promittenti: Fiat voluntas Dei; subdiditque statim: dies annorum in ipsis septuaginta anni; hunc enim iam attigerat ætatis. Morbo autem ingrauescente quidquid domi esset, diuidi in pauperes impetrauit; adeò vt elato iam funere, quæ in Episcopio remanserant, quatuor aureis redemisses; atque ea quidem (si cochlear demas argenteum, quo ad potiunculas æger vtebatur) erant omnia vilissima. Cauit etiam testamento, ne operoso monumento, sed humi apud fratres suos conderetur. Sacramentis postea munitus, voluit Indulgentiam (à Pontifice obtentam) sibi impertiri. Deinde persoluentibus fratribus circa lectum eius matutinum officium, cum peruenissent ad laudes, ipse (iam cum morte luctans) quo potuit conatu erupit in verba illa, quæ laudibus præcinuntur: nempè, Deus in adiutorium meum intende. Crebra etiam (vt poterat) voce repetijt: seruire Deo, regnare est; & sancta, & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio, incertum an ad Virginem conuersus; quæ se luctantem cum morte visitasset; an hilaratus, quod ad illum vsque diem virginitatem seruasset. Post laudes, cum fratres totum percurrissent Psalterium, eosdemq. Psalmos iterum ab initio resum-

resumpsissent, cum ad vigesimumquartũ peruehissent versiculum, nempè: Oculi mei semper ad Dominum, ipse tunc sublatis in cælum oculis, ac manibus, eumdem repetijt dicẽs: Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Deinceps auditus est in psalmodia (sic agens animam) versari; & præcipuè audiebatur crebrò iterare postremum psalmum: Laudate Dominum de cælis; quo in omni vitę cursu se oblectari cõsueuerat. Si quid verò à psallendo cessasset, complexus Crucifixi imaginem tanto ardorę osculabatur, vt qui aderant, à lachrymis se contineri non possent: sicque vir sanctus in Domino feliciter obdormiuit, anno 1459. ætat. 70.

Sur. tom. 3. Vincentius Mainardus Ord. Præd. Franc. Castell. lib. 3. de Vir. Illust. Ord. Præd. Io. Ant Flam.

ANNOTATIO.

Huic S. Antistiti fiscellam pomis refertam vir pauper donauit, sperans pingue aliquod se munus relaturum; Antoninus autem hilari vultu, & verbis dulcibus gratias agens, cum poma, & donantis animum laudasset: retribuat (inquit) tibi Deus. Ille verò amisisse oleum, & operam putans, mœrens, & querulus abijt, quod nihil præter verba reportasset. Id vbi Præsuli renunciatum est, reuocari ad se hominem; tùm Atramentum, Papyrum, Calamum, & Trutinam quoque afferri iussit. Mirantibus cunctis quid ageret, tria illa verba in Papyro perexigua inscripsit; tùm in altera lancium Papyrum, in altera poma omnia composuit; ac sublata trutina, statim Papyrus, tanquam si ferri massam adiecisses, pomis in sublime volantibus, præponderauit. Perculsum tunc rei admiratione hominem blandè Antoninus consolatus est, dicens: Ne me ingratitudinis argue: Disce (vel serò) diuina tuis munera prægrauare.

XLIX.

ANVPH Eremita cum visitaretur à tribus Monachis (quibus reuelatum fuerat eum proximè decessurum) rogatus ab eisdem, narrauit per totum triduum, virtutes, & actus, quibus Domino placuerat; & post triduum sanctam emisit animam; quam ijdem Monachi viderunt ab Angelis suscipi,

vocemque

vocemque hymnorum audierunt, quibus vnà cum Angelis anima eius abſcedens, Dominum collaudabant.

Vit. Patrum lib.2. cap.10. fol.470.

ANNOTATIO.

Hæc præcipuè de ſe narrauit Anuphius rogatus.

Nihil magnum me feciſſe memini, hoc tamen cuſtodiui, ex quo nomen Saluatoris noſtri in perſecutione confeſſus ſum, ne poſt Confeſsionem veritatis, mendacium de ore meo procederet: Neque poſt amorem cæleſtium, terrenum aliquid amarem. Narrauit etiam miniſteria Angelorum ſibi exhibita, & gratias innumeras à Domino collatas, quæ habentur in eodem lib.2. cap. 10. & lib.8. cap.55. & ſeqq. Vit. Patrum Hereberti.

ARNOLDVS, & Petrus, *uide infra* Petrus, & Arnoldus.

L.

Aug. 16. ARNVLPHVS Epiſcopus Metẽſis in agone mortis poſitus, dixit Romarico Monaco adſtanti: Bone vir, & Deo amabilis ora Chriſtum pro me. Iam enim adeſt dies, in quo Iudici meo præſentabor: Quid faciam? Nihil equidem geſſi in hoc ſæculo; omnibus ſceleribus, & peccatis vallatus coarctor, quorum vt veniam merear, quæſo, Dominum pro me depreceris. Sicque vir ſanctus in ſpiritu humilitatis Animam Deo reddidit. Anno. 640.

Sur. tom.4. Mombrit. tom.1. apud Bedam, tom.3. incerto Auctore. Chron. Lerinen. de eo Franc. de Roſieres ſtemmatum Lotharingiæ hiſtoria capitulari 48. *Vinc. Lerinen. lib.*23. *c.*72. *& ſeqq.*

ANNOTATIO.

Iuuentutis ſuæ tempore ex matrimonio tres filios procreauit ARNVLPHVS; cumque eſſet miſericors, & ad pietatis opera ſemper intentus, præfatis filijs ſuis cœpit ſuadere, vt ei aſſenſum præberent, quatenus omnes facultates ſuas ad vſus pauperum diſpertiret. Negantibus autem, & renuentibus alijs, vnus ex eis (Anchiſus nomine) fidens de Chriſti pietate ſibi plura condonari ad omnia, quæ Pater vellet ſe libenter obedire promiſit. Agit igitur

tur gratias filio Pater, benedicit eum, cunctamque progeniem in posterum nascituram; & prædicit ei, plura quàm reliquerat, se habiturum: factumque est ita. Nam plures Anchiso quàm reliquerat, diuitiæ accesserunt; & de eius progenie multi Reges originem duxerunt: Anchisus enim genuit Pipinum, Pipinus Carolum Martellum, hic Pipinum iuniorem, ex quo Carolus Magnus, & ex hoc cæteri Francorum Reges.

Idem ARNVLPHVS cum pœnitentiam pro aliquibus excessibus ageret, contigit vt per Mosellæ fluminis pontem transiret; cumque subterfluentium aquarum profundos gurgites cerneret, extractum digito annulum, in illam aquarum profunditatem proiecit: tunc (inquiens) me putabo culparum nexibus absolutum, quando istum quem projicio, recepero annulum. Post aliquot verò annos, Episcopus factus, affertur ei piscis, quem ille sibi (quia à carnibus abstinebat) ad refectionem vespertinam iussit præparari. Cumque minister eum exenterasset, eumdem annulum intra ipsius piscis intestina reperit, & factum admirans B. Arnulpho detulit; quem ille videns recognouit, ac Deo omnipotenti, iam de remissione peccatorum fidus, gratias egit.

L I.

ARNVLPHVS Episcopus Suessionensis, cum de obitu suo per visum fuisset edoctus, surrexit illicò, & alacrius solito sanctum Dei nomen benedixit. Correptus deinde morbo, cum iam videretur in extremis positus, ei suggesserunt fratres, vt sacris officijs se curaret præmuniri; quibus mitissima voce respondit: noui tempus, & horam; & eius vos opportunè commonefaciam. *Aug. 15.*

Pridiè quam obiret, cella, in qua iacebat, mirabili tremore, & horrifico fragore tertiò concussa est; ita vt qui apud illum excubabant, intolerabili percussi timore, cellæque ruinam formidantes, aufugere perceperent. At illos vir Dei hortatus est, vt se quieti darent, certi nihil ipsos incommodi passuros; & Eutrolpho Presbytero respondenti, quomodo posset somnus inter hos capi terrores? ait: ne paueas dilecte frater, sunt enim hæc omnia diuinæ maiestatis signa. Porrò post paululum dicam tibi quæ vis cellam quassauerit, & hunc terræmotum effecerit.

Proximæ

Proxima inde die, mortem ſentiens imminere, dixit fratribus; parate iam funeri neceſſaria; nam ſub noctis initium decedam, vt mihi Dominus heſterna nocte reuelauit: Sub prima enim cellæ quaſſatione B. Petrus Apoſtolus ad me venit, cum Beatorum frequenti cætu, ſignificans peccata remiſſa, & ianuam patère vitæ: Sub altera vice cum multis angelicis Spiritibus ſanctus Michael me inuiſit, pollicens ſe duce, me ad Beatam ingreſſurum vitam: Tertia concuſſione adfuit Domina noſtra cum Sanctis Virginibus, benigniſſima voce me certiorem efficiens de anima mea, inter Aſſumptionis eius gaudia, in cælos transferenda. Quibus dictis, accepit extremam Vnctionem, dans confeſſionem coram omnibus, & omnium preces humiliter expoſtulans. Deinde ad adſtantes ait, cras de Reſurrectione Domini gaudium erit in cælis (erat enim dies Dominica) & de Aſſumpta Regina mundi, lætitia Sanctis Angelis duplicabitur; Chriſto largiente, tertia quoque materia aderit, vnde gaudia illa triplicentur. Itaque prohibeo vobis, ne die craſtino mihi ſepulchrum effodiatis, ſed in ſecundam feriam id differatis; ita enim cælitus definitum eſt, vt in die S. Arnulphi corpus terræ reddatur. Sub hora demum veſpertina corpus, & ſanguinem Domini percepit; omnibuſq. benè precatus, orauit vt ſibi quoque omnes benè precarentur; ſanctæ Crucis ſigno ſe conſignauit; & de lectulo ſurgens, ac in pauimento (cinere, & cilicio ſtrato) ſe collocans, ibi feliciter obdormiuit in Domino anno 1087.

Sur. tom. 4. Trith. de vir. Ill. lib. 3. cap. 326. Molan. in Indiculo Sanctorum Belg.

ANNOTATIO.

Defuncto Arnulpho abſtractus fuit à Presbytero aureus annulus, ne aliquis inter tot promiſcuas turbas eum ſurriperet. Cumq. ſepulturæ corpus demandandum eſſet, volens idem presbyter annulum in digito reponere, vt cum eo ſepeliretur, contracti digiti adeò riguerant, vt id efficere non poſſet. Dolens ergò orabat cum gemitu, ne Dominus ſineret ſacrum illud corpus ſuo carere cultu. Et ecce (illo, & adſtantibus piè conquerentibus) manus

dextera

dextera à pectore se erigit, digitos displicat, ac deducit, & annulum digito inserendi præbet opportunitatem; inde inserto annulo ad pristiuum se se locum retrahit, & digitos (vt antea) intra volam contrahit. *Idem Sur. ibidem.*

L I I.

ARSACIVS Miles Persa (qui Leonum, aliarumque ferarum Domitor, & Custos in Imperiali Comitatu fuerat) cum sub Licinio confessionem fidei obijsset, relicta militia, in arce Nicomediæ, intra murum, Monasticam disciplinam exercēs, habitauit. Quo in loco pietati studens, ex diuina visione, cladem ciuitati imminentem prænouit; eamque (è turri digressus) Clero, Populoque prædixit: Suadens eis, vt Deo preces offerrent, sedulisque orationibus eum placatum redderent; quò clades ab vrbe depelli posset. Sed pro ludibrio habitus, & derisus (qui casum inexpectatum promulgaret) ad arcem reuertitur, & humi in faciem se proijciens, Deum precatus est, vt ante cladem, mortem ipse oppeteret, ne calamitatem cerneret vrbis illius, in qua primum Ecclesiastica disciplina imbutus fuerat, & Christum cognouerat. Exaudiuit autem eum Dominus: cum etenim vrbs Nicomediæ, terræmotu concussa, & incendio penè conflagrata, complures tunc perijssent, & reliqui omnes in agros, & solitudinem profugissent: Arsacius repertus est in turri (quæ remanserat inconcussa) pronus in terra, mortuus, eodem modo, quo se ad orandum posuerat. *Sur. t. 4. Soz. l. 4. c. 15. Niceph. l. 9. c. 38.* *Aug. 16.*

L I I I.

ARSENIVS Eremita propè adesse suæ migrationis tempus prænoscens, dixit discipulis suis: Nemo super me faciat charitatem, nisi in sola oblatione. Turbatis autem discipulis, quasi iam tempore propinquante, dicit eis: nec dum hora mea venit, cum autem venerit, non tacebo. Sed tamen stabitis mecum in iudicio ante tribunal Christi, si alicui de meo corpusculo aliquid (veluti Reliquias) dederitis. Illis autem respondentibus, & quid faciemus Pater, quia nescimus hominem sepelire? Respondit ille: nunquid nescitis fu- *Iulij 19.*

nem

nem in pedibus meis mittere, & ita me ad montem trahere? Dum ergo moreretur cœpit flere; & cum fratres requirerent dicentes, quid fles Pater? Nunquid & tu times? Ille respondit: In veritate timeo, & iste timor, qui nunc mecum est semper in me fuit, ex quo factus sum Monachus. Quibus dictis, quàm fieri potuit iucundissimè, quæ in exitu dici solent verba elocutus, spiritum Deo reddidit. Cum autem vidisset Abbas Pemen quia transijt, dixit: Beatus es Abba Arseni, quia tantum in hoc seculo planxisti. Qui enim hic se non planxerit, illic in perpetuum lugebit. Aut ergo hic ex voluntate, aut illic pro tormentis impossibile est hominem non plangere.

Vit. Patrum lib. 3. num. 39. Sur. tom. 4. Lippom. tom. 6. De eo Baron. in Annal. tom. 4.

ANNOTATIO.

Tantus fuit, & tam ingis ARSENII Fletus, vt pili oculorum eius ex eo fletu deciderint. Nam per omne tempus vitæ suæ sedens, & operans, pannum in sinu suo habebat, propter lachrymas defluentes. *Eod. lib. 3. num. 163.*

Fugiebat fratrum quoque conspectum, vt continuè cælum aspiceret. Vnde quotiescunq. in Ecclesiam cum Patribus conuenisset, post columnam sedebat, ne aut ipse alterius, aut alter illius faciem inspicere posset. *Eodem lib. 3. num. 193.*

Cum operaretur sportas ex palmarum folijs, mittebat aquam in Peluim, & cum fœteret, non permittebat vt aliam mutarent, sed super illam aliam addebat; vt semper fœteret. Interrogatus autem cur non permitteret, vt aqua mutaretur, sed pessimo fœtore cellula tota repleretur? Respondit: propter thimiamata, quibus in sæculari conuersatione fruebar, oportet nunc me (dum in hoc corpore sum) sustinere istiusmodi fœtorem, vt in die iudicij de illo gehennæ inenarrabili fœtore liberet me Dominus. *Eod. lib. 3. num. 39.*

Ægrotauit aliquando ARSENIVS in Scithi, & opus habuit in necessitate sua vsque ad vnam siliquam nummi. Et cum non inueniret, accepit à quodam velut eleemosynam, & dixit: Gratias tibi ago Domine, quia me dignum fecisti pro nomine tuo ad hoc

peruenire, vt egens eleemosynam postularem. *Libri 5.libello 6. num. 3.*

Astiterunt aliquando ei Dæmones in cella sedenti,& tribulabant eum: Superuenerunt autem fratres, qui ministrare solebant ei, & stantes extra cellã audiebant eum clamantem ad Dominum,& dicentem: Domine non me derelinquas,quia nihil boni feci coram te, sed præsta mihi Domine secundum benignitatem tuam, saltem modò habere benè viuẽdi principia.*eiusdem lib.5.libello 15.n.25.*

ARSENII auctoritates & pia documenta pluribus in locis habentur in eisd. Vit. Patrum,quæ in eius Indice collecta reperies.

L I V.

ARSENIVS Monachus Constantinopolitanus, cum eò perfectionis deuenisset, vt nullo terrestri indigeret cibo, sed Angelorum pane immortali pasceretur, ad cælestem euocatus vitam, accersitis vndique Religiosis viris,de rerum humanarum contemptu; de patientia;& fraterna, sanctaque charitate: De animi submissione; de præcatione, multa docendo prolocutus, flexo genu, lachrymisque oculos perfusus, sanctam animam in Dei manus tradidit. *Dec. 13.*

Matthæus Raderus in Viridario Sanctorum par. 1. ex Meneis Græcorum.

ANNOTATIO.

Dictus fuit hic Arsenius in Iatro, à Monte in quo degebat, fuerat autem magnus Dux exercitus ab Imperatore creatus;sed cum classis, cui præerat in mare,expediretur, exortaque tempestate, fluctibus hausta, tota perijsset, ipse (qui solus in terram emerserat) Monachum induit; & post longa virtutum exercitia, & miraculorum operationem, ad eam sanctitatis normam deuenit, vt nullo terrestri indigeret cibo, sed Angelico frueretur. *Idem Raderius ibidem.*

L V.

ATHANASIA Abbatissa duodecim diebus antequam è vita discederet, vidit duos viros albis indutos vestibus ad se venientes, & paginam quandam ei tradentes, in qua hæc scripta erant: En libertas tua, sume hanc, & lætare. Totis illis igitur duodecim diebus à cibo, & potu abstinuit, & *Aug. 14.*

quamuis

quamuis morbo esset grauata, assiduè tamen contemplationi vacauit, nihilque aliud dicebat, nisi hoc: psallite sorores meæ, psallite, & Deum assiduè laudate, vt propitius sit peccatis nostris.

Cum duodecimus autem aduenisset dies, deficientibus omninò viribus, dixit monialibus: succurrite quæso infirmitati meæ, & in ædem sacram ingressæ, versus, qui mihi dicendi erant, vos Deo reddite: Non enim (inquit) possum amplius Psalterium complere, cum omninò vis mea deficiat. Interrogata vndenam quod reliquum erat inciperent, respondit: Nonagesimum psalmum in ore habeo, & vlterius progredi non possum.

Psalmis expletis, benedixit Monialibus, duasque earum amplexata: en (inquit) ex hac ipsa die separamur, sed in futuro illo sæculo Deus coniunget; quibus dictis, facies eius instar luminis effulsit. Iussit tandem ne quid eorum, quæ ad diem festum Assumptionis instantem pertinebant, infectum prætermitterent, sed post diuinæ rei sacræ ministerium, humile corpus eius terræ mandarent. Hæc cum iussisset, & duas præfatas sorores iterum amplexata esset, obdormiuit in pace. *Sur. to. 4.*

ANNOTATIO.

Cum post aliquod tempus Moniales cærulea ac serica veste Athanasiæ corpus vellent induere, renuit cadauer, manus pectori adhærentes tenens. Rogata verò ab vna earum, vt quemadmodum viuens obedire non recusauerat, sic mortua obedientiam seruaret, manus illicò relaxauit, & se vestiri permisit. *Idem Sur. ibidem.*

Alia hæc ab ATHANASIA clarissima fæmina, quæ Constantinopoli vixit cũ sancta Matrona, de qua Martyrol. Rom. 9. Octobr.

L V I.

ATHANASIVS Monachus Monasterij S. Nicephori, dum extremum ageret spiritum, circundatus à fratribus rogantibus, vt apud Deum (à quo assumebatur) memor eorum esset, hunc sermonem postremum habuit: Si ego fiduciam apud Deum inuenero, & quod cupio assecutus fuero, omninò

ipsi

ipsi scietis. Cum igitur his dictis honesto quodam modo pedes extendisset, in Dei manus spiritum tradidit.

Cum autẽ fuisset sepultus separatim ab alijs,& terra obrutus, ne monumentum tanti viri obscurum esset; sed manifestum omnibus fieret, Deus (omnium rerum Dominus) fecit vt ex eius pectore cupressus nasceretur, ad quam multi euntes,& eam amplexantes, ac frondes ex eadem decerpentes, sanitatem exinde sunt consecuti.

Sur. tom. 2. in vita S. Nicetæ, ex Oratione funebri in eundem, quæ habetur apud Metaphrast.

ANNOTATIO.

Contempserat ATHANASIVS (adhuc iuuenis) Magistratus cuiusdam præfecturam,& mundi honores nõ vulgares; Monachiq. habitu se induerat; Pater autem id ægrè ferens, violenter illum è monasterio extraxit, indumentisq. monacalibus proiectis, pretiosis vestibus induit,vel inuitum. Iuuenis verò Patrem sic affatus est;Putasne (ò Pater) sericis istis vestibus me à proposito consilio impeditum iri? totum mundum contempsi: Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur,animæ verò suæ detrimẽtum patiatur? At Pater illum domi conclusit, existimans ita fieri posse, vt à bono proposito ipsum auerteret. Iuuenis igitur occasione nacta, serica illa indumenta in quatuor partes lacerauit; quod cum vidisset Pater, alijs sericis eum induit; ille verò, & eas similiter lacerauit. Iratus igitur pater ita crudeliter filium verberauit, vt eius terga plagis intumuerint, & medicorum manu, atque cura indiguerint, sed intelligens postea à filio nullo modo fieri posse, vt eius sententia mutaretur, quamuis membratim illũ dissecaret; compunctus, ac lachrymis perfusus, filium sic est allocutus: Vade fili, & perfice iter illud bonum,quod elegisti;& Christus ipse tibi opem ferat, teq; ab omnibus Diaboli laqueis eripiat. sic patris benedictione percepta,in monasterium redijt.

L V I.

ATTALA Abbas Bobiensis cum supremas vitæ duceret horas, & adhuc vigeret halitus, iussit se extra Cellam perduci, vbi aspiciens Crucem (quam ipse poni iam diù præceperat, vt ingrediens, & egrediens, eius tactu frontem suam *Mart.* 10

muniret, eam adorauit; deinde precatus est omnes, vt abirent, sibiq. paulisper locum quietum præberent. Abeuntibus omnibus, vnus (qui in occulto remansit, vt eum iuuare, & subleuare posset cadentem) vidit eundem orantem, cœlos apertos videre præseferentem, & gratias Omnipotenti Deo agentem audiuit, qui sibi cœli ianuas apertas ostenderet. Demum, facto ab eodem signo, venerunt fratres, vt eum in cellam reducerent; in qua, die altera (post data singulis monita) omnibus valefaciens, spiritum Deo reddidit.

Beda tom.3.ex Iona Abb.Sur.to.2.ex eodem.Chronic.Lerinen.Trith.de Vir.Ill.Ord.S.Bened.lib.3.c.71.Petr.in Catal.lib.3.c.190.De eo Baron. in Annal.tom. 8.

ANNOTATIO.

Habuit hic ATTALA discipulum, à quo sæpius rogatus fuerat, vt eum permitteret parentes visitare, nec vnquam permiserat. Quadam autem die, nulla de hoc ampliùs eo mentionem faciente, ait ille: Vade fili festinus, & matrem, fratremq. visita, sed nulla mora præpediente, quantocyus reuertere. Cum autem ille vellet profectionem differre, ob hyemis asperitatem, tempusq. opportunius in proximo venturum expectandum diceret, respondit pater: accelera iter, quod dixi. Nam ignoras vtrum in posterum tibi illud agere liceat. Datis ergo comitibus ad destinatum peruenit locum, à monasterio centum quadraginta millibus distantē. Vbi, cum venisset, & à matre peramanter susceptus esset, eadem ipsa nocte febri correptus est, & inter incendia clamare cœpit, se viri Dei precibus torqueri, ne inibi contra interdictum aliquantisper moram faceret: & nisi statim ad monasterium repedaret se citò morte præuentum iri. Mater igitur melius esse sciens illum ibi sanum, quam iuxtà se mori, statim abire voluit: vnde vix erumpente aurora (cuius longum sibi fuit expectare aduentum) ad monasterium redire studuit; & nihil ille cibi per triduum capere voluit, donec medij penè itineris loca pertingeret. Festinantibus ergo, ac vrgentibus illum socijs, sospitatem rursus accepit; veniensq. ad monasterium, Patrem ATTALAM iam febribus detentum, ac morti proximum; sed eius reditu gaudentem, reperit.

Idem vbi supra.

AVDO-

L V I I.

AVDOMARVS Episcopus Morinensis, acre febri pulsatus, ad limina Ecclesiæ (debilis quamuis) progredi voluit; vbi corpore humi prostratus, lachrymis ab imo pectore erumpentibus, Sacrosancto corporis, & sanguinis Christi Sacramento se communiuit; deinde in hunc modum precatus est: Agne Dei per istas æterni Patris delicias suscipe, pro tua pietate, vota supplicantis. Ecce ad te venio. Relinquo eos, quos mihi commisisti. Miserere figmenti tui; Me iam cœlestis excipiat gratia, & tuos tua seruet miseratio; vt te in paterno solio regnantem videamus; nec vnquam de membris tuis hostis triumphet. His peractis, rursum lecto excipitur, & ecce melodia cœlesti, Anima è corpore euocatur, Anno Domini 695. in cuius egressu magna fuit illic odoris fragrantia. Sept. 9.

Sur. to. 5. Trith. de Vir. Ill. ord. S. Ben. lib. 3. c. 104. & lib. 4. c. 160. Molan. in Ind. De eo Baron. in Annal. tom. 8.

ANNOTATIO.

Vtroq. oculorum lumine fuit orbatus AVDOMARVS, qui inter cœlicolas mente diuersans, etsi corpore cęcus, lucis tamen præclara præbuit exempla populo.

L V I I I.

AVGVSTINVS Episcopus, morbo lethali correptus Psalmos Pœnitentiales inscribi voluit; ipsosq. quaterniones (iacens in lecto) contra parietem positos, diebus infirmitatis suæ intuebatur, & legebat iugiter, ac vbertim flebat; ne ve intentio eius à quoquam impediretur, postulauit, ante dies fermè decem, quàm exiret è corpore, ne quis ad eum ingrederetur, nisi ijs tantum horis, quibus medici ad eum inspiciendum intrarent, vel cum ei refectio inferretur. Omni igitur illo tempore orationi vacans, demum adstantibus discipulis, & cum eo pariter orantibus, obdormiuit in Domino, anno 430. ætatis suæ 76. Aug. 28.

Sur. tom. 4. ex Possidio. De eo Baron. in Annal. tom. 5.

ANNOTATIO.

Cum Barbari irrumperent in Africam, & omnia deuastarent, rogauit Dominum Augustinus, vt suam Ciuitatem ab Hostibus circundatam, liberare dignaretur, aut si aliud ei videretur, seruos suos ad suam perferendam voluntatem fortes faceret; vel certè de hoc seculo eum ad se acciperet. In his autem positus angustijs, cuiusdam sapientis sententia se consolabatur, dicentis: Non erit magnus magnum putans, quòd cadunt ligna, & lapides, & moriuntur mortales. Tertiò igitur, post huiusmodi precationem, mense, lecto decubuit, febri correptus vltima.

Infirmus memorabat sæpius illud Sancti Ambrosij, in vltimo vitæ constituti responsum, nempè: non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere: sed nec mori timeo, quia bonum habemus Dominum.

Admirabatur quoque cuiusdam Coepiscopi, & familiarissimi sui amici in extremis dictum; cum enim is, manuum gestu, se de sęculo exiturum sibi significaret; atque à se illi responsum esset, adhuc eum Ecclesiæ necessarium viuere posse, ait; si nũquàm, benè, si aliquando, quare non modo?

Asserebat item frequenter illud ægrotantis Episcopi (à S. Cypriano relatum, sermone de mortalitate) cui infirmitate depresso, & de appropinquãte morte sollicito, adstitit iuuenis statura celsus & clarus aspectu, qui non sine quadam animi, & vocis indignatione infremuit, & dixit: Pati timetis, exire non vultis: quid faciam vobis?

Dum autem sic lecto æger decumberet Augustinus impofuit manum cuidam ægroto ad se delato, & ad pristinam restituit sanitatem. Renuerat quidem vir Sanctus dicens: Si aliquid in his possem, mihi hoc vtiq. præstitissem; sed subdens ægrotus, se visitatum, sibiq. per somnium dictum fuisse; vade ad Augustinum, vt tibi manus imponat, & saluus eris; assensit, & eum protinus sanum à se discedere fecit.

Frequenter quidem Augustinus ægrotare consueuerat, vt ex ipsius Epistolis intelligi potest, præsertim ad suos Epistola 138., ad Victorinum Epistola 217. ad Dioscorum Epistola 56. in fine, ad Darium Epist. 262. ad Nobilium Epist. 251. & ad Profuturum Epistola 149. in qua hęc ait præcipuè: secundum spiritum (quantũ Domino placet, atque vires ipse præbere dignatur) rectè sumus, corpore

pore ait: Ego in lecto sum! nec ambulare enim, nec stare, nec sedere possum; Raghadis, vel Exochadis dolore, & tumore; sed etiam sic, quoniam id Domino placet, quid aliud dicendum est nisi quia rectè sumus? Potius enim si id nolumus, quod ille vult, nos culpandi sumus quàm ille non rectè aliquid, vel facere, vel sinere existimandus est. Nosti hæc omnia, sed quia mihi es alter ego, quid libentius tecum loquar, nisi quod mecum loquor? Commendamus ergo sanctis Orationibus tuis, & dies, & noctes nostras, vt oretis pro nobis; ne diebus intemperanter vtamur; & noctes æquo animo toleremus; vt etiam si ambulemus in medio vmbræ mortis, nobiscum sit Dominus, ne timeamus mala! Psal. 17.

Illud verò in tanto viro magis mirandum, quod tantis, ac varijs, confectus morbis, verbum tamen Dei, vsque ad ipsam extremam ægritudinem jugiter in Ecclesia prædicare non destiterit. Erant autem conciones illæ perbreues, dolore plenæ, ac lachrymis; quarum vltima habetur in serm. de tempor. serm. 3. fer. 5. post Domin. Pass. digna, vt legatur: Tractatus etiam duo habentur perbreues in tom. 9. operum S. Augustini, de Visitatione infirmotum; qui etsi Augustini non esse credantur; plurimum tamen vtilitatis, & consolationis infirmo eos legenti; vel audienti afferre possunt.

De Morte autem plura pluribus locis Augustinus disserit, quæ in indice eorundem operum inueniri poterunt.

L I X.

AVGVSTINVS Ord. Min. Minister in vltima positus vitæ hora, cum iamdiù perdidisset loquelam, audientibus, qui adstabant, exclamauit subitò: Expecta me Pater, Expecta; Ecce iam tecum venio. Quærentibus autem fratribus cui diceret? Nonne, respondit, videtis Patrem nostrum Franciscum, nuper defunctum, qui vadit ad cœlum? & hæc dicens expirauit. Oct. 4.

Sur. to. 5. in vita S. Francisci c. 14. Chron. Franciscan.

ANNOTATIO.

Minister Fratrum erat in Terra, quæ dicitur laboris, Augustin. quando Sanctus Franciscus obijt Asisij.

Ian. 17. AVITVS Abbas Nutiacensis, cùm rogaretur à populo Castri Dunensis, vt corpus suum pro eiusdem Castri munimine apud ipsos, post eius obitum pateretur humari; & quidam (ipsius populi verbis) polliceretur egregiam fabricam eius nomine se dedicaturos: indignum est (respondit) Hominem peccatorem & multis criminibus inuolutum intra Templum tumulari; campis patentibus, ad futuram examinationem, ossa humiliata infossa humo decet recondi; sed tamen, vt vestro satisfiat desiderio, si in proposito permanetis, Templum in Dei nomine, vt construatur non recuso; meum autem corpus ad Aurelianorum Vrbem, ex Dei voluntate, condetur: si quid tamen opportunum vestro loco existimatis, inter futura mox iurgia, indignas meas, si possitis, reliquias capietis. Quod ita factum est. Non multo post tempore etenim, vir Sanctus Deo spiritum reddidit, & (post diram de eius corpore concertationem, inter Aurelianenses, & Dunenses) vir quidam, summa potestate prædictus, iurgantium lites dirimere volens, corpus Aurelias deportari, & Dunensibus Reliquias eiusdem aliquas per Episcopum dari iussit.

Sur. to. 3. Martyrolog. Rhabani, Canysius Antiq. lect. to. 6. Baron. Annot. 17. Decemb. Greg. Tur. de gl. Conf. c. 99. Floruit circa annum Domini 536.

Febr. 10. AVSTREBERTHA virgo Abbatissa cœnobij Pauliacensis in Gallia, leni febre correpta, congregauit sorores, eisque sui obitus imminentem prædixit diem, quam reuelatione didicerat angelica. Admonuit easdem de Regno Dei, de contemptu mundi, Gloria iustorum, ac pœnis reproborum; & tandem, libato osculo, ad assuetum cilicij stratum est reuersa.

Superueniente verò reuelata die, factus est ad eam magnus omnium ordinum concursus; quibus post data monita, valefecit. Sacro deinde Domini corpore se muniuit; omnibusq. sibi creditis iterum vale dixit, & benè precata est. Quibus peractis,

ctis, ad Deum conuersa, sic orauit: ecce Ego ad te venio, quem amaui: ad te propero, quem desideraui: ad te sitio peruenire, quem semper ardentissimo amore, dilexi: In te confido, non erubescam: In te spero, non confundar: Tu meū suscipe spiritum in pace sempiterna, ne aduersum me præualeant inimici lacula: Sed & hoc precor (Rex æterne) vt quicunque mei memoriam in terris habuerint, pacis, & salutis commoda de cœlo eis largiri digneris. Quibus dictis, paululum conticuit. Interim, cunctis, qui adstabant psallentibus, & Sanctorum nomina seriatim subnectentibus, illa, virtute, qua valuit, voces psallentium interrupit, dicens: Silete fratres mei, silete. Nunquid non videtis quantæ iucunditatis processio aduenia? Certè quorum inuocatis nomina, adest Sanctorum multitudo copiosa. Cumq. in hoc, quod videbat, oculos defigeret, sancta illa anima carne soluta est circa annum Domini 640.

Sur. tom. 1. De ea Baron. in Annal. tom. 8.



I.

Ian.24. ABILAS Episcopus Antiochenus, & martyr dum se morti proximum videret, ferreas catenas, quibus è carcere vinctus ducebatur, adeò splendidas, atque honorificas duxit, vt easdem cum corpore suo sepeliendas mandauerit.

Sur.tom.1.ex Io. Chrysost.lib.6.con. Gentiles tom. 5. De eo Baron.in Annal.tom.2.3.& 4.Lipom.tom.1.2.4.& 6.

ANNOTATIO.

Non incongruum duxi BABILAE martyris præclarissimi hic recensere testamentum: quàmuis etenim martyrum nobis non detur in subeundo martyrium imitatio; Benè tamen moriendi artem (quam ex Confessorum exemplis assequi cupimus) ex Martyrum etiam dictis,& gestis facilè assequemur.

Plurima essent de tanto martyre hic adnotanda, sed sufficiant, quę habentur in Notation.Martyrol. Rom. his verbis.

Non simul in ipsa morte finis fuit certaminis Babylæ, quin, velut rediuiuus, grauiores contra Gentiles est aggressus pugnas: Nam & more Sampsonis, osibus pugnans, in fugam vertit Philistæos. Huius enim Illustris Martyris ossa Gallus Cæsar in Daphnem ad Antiochena suburbia transtulit, quò tanti Martyris reuerentia, inolitæ ibi Gręcorum superstitiones cessarent.Res accidit ex sententia: Nam præsentia sacrorum pignorum mox loquax illud Apollinis oraculum obmutuit, nec vltra responsum dedit.Cum autem imperium impius Iulianus Apostata accepisset, vt silentis Apollinis linguam solueret, inde tollendum Babilæ corpus Christianls imperauit: quo tandem sublato, & in locum pristinum restituto, mox mutum Idolum,& non nisi sui silentij causam fari permissum,illapso de cœlo fulmine, contritũ est: Ingensq. eius Aedes cœlesti illo igne conflagrauit. Tantæ rei oculatus testis Ioan. Chrysost.(tunc adolescens) interfuit;vt ipse testatur;eandemque scripsit præclara illa Oratione contra Gentiles, & Homil. 4. de laudibus Pauli.

Passus est anno Christi 253.Baron.Annal.tom.2.

I I.

BAPTISTA Genuensis, cum ad suæ peregrinationis finem se peruenisse cognosceret, non solùm nihil de consuetis exercitationibus remittere voluit; sed frequentioribus, & expeditioribus gressibus ad cœlestem Hierusalem properare curauit. *Maij 9.*

Grauata infirmitate, eò grauiori, quò multiplici, quove acutissimis comitàta doloribus, adeò vt nec tangi posset, dixit aliquando, se duodecim præmi morborum generibus; recogitans postea quod dixerat, grauiter admodum se ipsam reprehendit, & moniali (quæ subdiderat; Hoc totum, amoris ergo, à Deo sibi elargiri) A moris, ait, siue me flagellandi, & castigandi causa hoc faciat Dominus, bonum esse quodcunq; facit: Tantisq. iugiter excruciata doloribus, si monialis aliqua, ei compatiens dixisset, valdè se exoptare illorum leuamen; Hoc (respondebat) Deo dimittamus: Optimum quippè est quidquid in me tenella, ac delicata nimis, operatur.

Dum sic infirma refectionem sumeret, legi sibi volebat ex pijs Auctoribus aliquid; præsertim ex Diui Augustini soliloquijs; Reliquum verò temporis, orationi vacabat; oculis, ac manibus in cœlum semper intenta. Aspirationibus frequentibus se excitabat huiusmodi: Vbi es Amor meus? Indica mihi vbi pascas; vbi cubes in meridie? Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat Anima mea ad te Deus: ò Deus meus, veni Domine, & noli tardare, & similibus.

Dum aliquando extra se rapta dixisset, osculetur me Dominus osculo diuini oris sui; ad se reuersa, de ijsdem osculis adeò feruenter eloqui cœpit, vt monialis quædam dixerit ei; quæso te mater, vnum pro me Domino præbeas osculum; ipsa verò læto animo annuente, subdidit monialis; scio te plurima daturam oscula; cui respondit Mater: quidni? si ea à nobis efflagitat Dominus; & de Pharisæo quæritur, quod suam intranti domum, osculum non dederit?

Magnificabat sæpius amorem, quo nos diligit Deus, quove

non vult, vt alium(præter ipſum)vocemus Patrem ſuper terram. Illud præcipuè conſiderans, & admirans; quomodo nos, qui Dęmonis mancipia eſſe meremur, ipſius Dei filios, & nominari, & eſſe voluerit.

Appropinquante demum exitu, viſa eſt ridère; & interrogata quid ſibi hoc vellet? Reſpondit: quia iam domum perueni. Munita igitur ſacro viatico, rogauit moniales, vt eam ſolam dimitterent, & ſic reliquum diei, manibus iunctis, ac luminibus ſurſum erectis, in oratione permanſit. Nocte autem ſuperueniente, viſa eſt amore langueſcere; vnde verba proferre cogebatur amoris igne feruentia; inter quæ audita eſt dicere: Amauit me Dominus,& ornauit me,ſtolam gloriæ induit me; & ad portas Paradiſi coronauit me.

Die ſequenti ſacro inuncta oleo, veniam à monialibus petijt pluries; plurimorum ſe ream fatendo criminum, eaſque ad Regulæ obſeruantiam, & ad verum Dei amorem eſt adhortata; illud repetens (quod eis ſæpius dixerat, & ſcriptis etiam tradiderat) nempè, etiam ſi ſcirem pœnas me ſubiturã Inferni,Deo meo nihilominus omni conatu ſeruire volo.

Complexata eſt duas præſertim moniales, quæ ſibi magna charitate famulatæ fuerant, dicens illis: Vos eſtis quæ permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Dolentibus autem illis, ac dicentibus: Quomodo relinquis nos Orphanas? ſub tuum confugiemus præſidium; ipſa manum erigens ſurſum: ad Deum (inquit) confugite, & ego quoque memor ero veſtrum,& auxiliabor vobis.

Hora tandem ſui exitus adueniente, Crucifixi Domini noſtri imaginem, maxima cum hilaritate ſuſcepit, vulnerum loca ſingulatim exoſculans; & monialibus omnibus ſalutatis, dixit: Exiui à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum,& vado ad Patrem. Quibus dictis,nil amplius locuta eſt:ſed requieuit in pace anno ſalutis 1587. 9.Maij.

Marianus Grimaldus in ſanctuario Genuæ. Italicè.

I I I.

BARBARA Franciſci Gonzagæ S. R. E. Cardinalis mater,

ter, cum ad ſupremum vitæ ſuæ diem perueniſſet, adſtantes aſpiciens ait: Agite viri Patres, & Sacerdotes Domini; exhibete viaticum; inungite corpus: Deo animam credite, properantem exire. Quod illi cum facerent, ſe accuſare, arguere, condemnare, tanquam indignam, flagitioſam, ſimulque, & prouocare contra ſe omnes, vt detegerent ſi quid ignorans ipſa non proderet; ſi quo opus eſſet pro venia, atque ſalute, inceſſanter non deſinebat. Tum denique extremum robur intentans, adſtantium ceruicibus innixa, tremulum in genua corpus erexit, & alligari collo cingulum poſtulauit, atque in hunc orans modum: Parce (inquit) ſupplici Ancillæ tuæ Chriſte Saluator, & quam innumeris grauiſſimisq. obnoxiæ criminibus peccatrici: Ignoſce, quæ, tua (totiens præuaricando) diſceſſit à lege: In te deliqui, Domine Deus, & malum corã te feci; indignam me eſſe; indignam certè, ad quam tu venias dulciſſime IESV, & teſtor, & defleo. Sed tu, pie Domine, Rex meus, & Deus meus; tu Redemptor omnium, mihi iam adeſto, & miſericordiæ tuæ excipe ſinu. Ne explodas à regno gloriæ tuæ, quam creaſti, & redemiſti. Tua in Fide, & miſericordia ſperans, ad te euolat ſpiritus, & anima mea. Inter quæ verba, demiſit lumina: os conticuit; feliciterq. migrauit, circa annum Domini 1481. ætatis 60.

Matthæus Boſſus Canonicus Regularis in Recuperationibus Feſulanis epiſt. 74. ad Franciſcum Gonzagam Cardinalem, conſolatoria.

IV.

BARLAAM ſuæ mortis tempus iam inſtare cognoſcens, accerſito Ioſaphato (qui ad eum paulò ante peruenerat) hæc ait: Iam pridem, ò amice Ioſaphat, in hac ſolitudine te habitare oportebat; atque hoc (mihi oranti) Chriſtus pollicitus fuerat, vt te ante extremum vitæ meæ diem viderem. Vidi itaque, quemadmodum cupiebam, te à mundo, & mundi rebus auulſum, ac Chriſto coniunctum. Nunc igitur (quandoquidem mortis meæ tẽpus inſtat, atque coętanea, & mihi æqualis ea cupiditas, quæ, vt cum Chriſto eſſem, ſemper me *Nou. 27.*

tenuit

tenuit, iam expletur) tu quidem corpus meum terra conde, puluerique puluerem redde. Quibus auditis Iosaphat, vim lachrymarum profundens, perquàm ardenter ab eo contendit, vt postremi illius itineris comitem se adhiberet; cui senex ait: Dei iudicijs, quæ mentis humanæ captum excedunt, reluctari minimè debemus. Nam ego cum de hac re multas ad Deum preces fuderim; eumque, cui nulla vis afferri potest, velut per vim adigere tentauerim, vt ne inter nos disiungeremur; ab ipsius bonitate didici, minimè tibi nunc conducibile esse carnis onus abijcere; sed in religiosa exercitatione tandiù permanere, quoad splendidiorem coronam tibi texueris. Quibus verbis mærentem ipsius animum leniuit. Deinde ad quosdam fratres (longo ab ipso dissitos interuallo) eum amandauit, vt ea, quæ ad Sacrosanctum sacrificium conficiendum opportuna essent, afferret. Cum igitur Iosaphat longinquum illud iter breui confecisset; atque ea, quæ iussus fuerat attulisset, Barlaam incruentum sacrificium Deo obtulit; perceptisque mysterijs, ac Iosaphato item impertitis, exultauit spiritu; sumptoque (de more) cibo, ipsum vsque ad vesperã, ac per totam noctẽ salutaribus aluit sermonibus.

Postmodum succedente die, manus, atque oculos in cælum eleuans, gratias Deo egit, quod sibi concessisset in ortodoxa fide, & mandatorum obseruantia, peregrinationis cursum absoluere. Rogauit, peccatorum suorum sibi dari indulgentiam; & cæli ianuas patefieri; orauit & pro eodem Iosaphato. Demum ei valedicens, & paterno affectu eundem amplexatus, ac osculatus, sese signo Crucis muniuit; & pedes efferens, (ingenti perfusus lætitia) abijt in cælum.

Io. Damascenus in eorum vita cap. 39. Lippom. tom. 1. *Petr. in Catal. lib.* 10. *cap.* 114. *& alij recentiores ex eodem Damasceno.*

ANNOTATIO.

Audiens aliquando Iosaphat à Barlaamo, mortem, naturale debitum esse, nec vlla ratione ipsius aduentum posse vitari, ingemiscens

miſcēs ait:acerba hæc vita eſt,atque omni dolore,& mæſtitia plena: Si res ita ſe habet, & quonammodo quiſpiam in incertæ mortis expectatione ſecuro animo erit?

Cuius quidem mortis memoriam Ioſaphatus exinde animo identidem retinuit, ac repetijt. *Ibidem*.

De Barlaam hiſtoria, vide notata ſupra in Abenner.

V.

BARTHOLOMAEVS Pauia Ord.Præd.iugi,dū viueret, tenebatur mortis deſiderio; Deumque rogabat aſſiduè ne ad ſenectam perueniret. Videns autem B.Thomam ſiculum, eiuſdem ordinis in agone mortis deſudantem, enixè ab eo petijt, vt ſibi commeatum à Domino quantocyus impetraret: eoque tempore, quo ſuperſtes illi fuit, ſæpius (eleuans ad cælum oculos) Thomam expoſtulabat, dicens: Frater Thoma memento mei.

Infirmitate igitur lethali, & vltima tandem correptus, à Dęmonibus valde ac dirè exagitatus,exclamabat iugiter magna voce:Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Venit autem ad eum Aloyſius Bertrannus; lectiſque ſuper illo Euangelijs, cum in ſuum ſe cubiculum recepiſſet, & pro eo oraret, vidit in ſpiritu eandem luctam, quam Bartholomæus cum Dæmone habebat acerbiſſimam; qua, purgare datum ei erat quidquid in hoc mundo purgandum ſupererat;eademque,gloriam in cælis multò maiorem ſibi comparare.

Sub mortem, ſacratiſſimo Viatico ſe muniri volens, extra cubiculum ad illud percipiendum egreſſus eſt. Quo tandem munitus, mortem, quam concupierat, vidit; & per eam ad vitam, quam ſperauerat, tranſiuit. Anno Domini 1574. octaua Aſcenſionis die, ſicut expetierat.

Franciſcus Diagus in hiſt. Ord.Præd. Aragoniæ lib.2.c.74. Hiſpanicè.

ANNOTATIO.

Prælector fuit BARTHOLOMÆVS ſacræ Theologiæ. Tanto verò æſtuabat diuini ignis ardore, vt non ſibi ſat eſſet in choro, & alijs Monaſterij locis, ac functionibus de Deo cogitare,& aſsiduè loqui; ſed in ipſiſmet lectionibus, quas habebat ſcholaſticis, colloquium

loquiũ ſemper ſibi cum Deo erat, & adſpirationes intermiſcebat; vt videre eſt in fragmento cuiuſdam lectionis ſuper ar.4.quæſt.14. par.1. S.Thomæ, à ſe deſcriptæ, nempè.

Domine mi Ieſu Chriſte amor meus,ſeruus tuus S.Thom.quęrit in hoc articulo,vtrũ Æternitas differat ab Æuo,& Tempore: rogo te,vt educas me de tẽpore,& perducas ad æternitatẽ; temetipſum ſcilicet.Amen,Amen. Circa concluſionẽ ſerui tui D.Thom. (quem tanto lumine repleuiſti)occurrit mihi difficultas,cui quidẽ reſpondere neſcio.O Præceptor animæ meæ,per merita Beatiſſimæ Virginis rogo te vt mihi largiri digneris ſpiritũ tuũ, quo intelligere incipiam id, quod per tuam miſericordiã ſpero aliquando videre. Amen,Amen Deus meus.Tamen ſeruus tuus Caietanus exponẽdo & declarãdo hanc difficultatẽ dicit ſic & ſic,&c.Benedictus ſis Domine, qui tam perſpicacem intellectum ei tribuiſti; credo equidem illum in cælis eſſe; veruntamen ſi fortè detineretur adhuc in Purgatorij pœnis, libera eum (quæſo Domine) vt frui poſsit æternitate tua,de qua tãm doctè diſſeruit. Amen, Amen. Reſponderem tamen ipſe difficultati illi, hoc modo,&c. cũ diſtinctione,&c. Sed quid ſum ego inutilis creatura tua: quidue imaginari audeo in ijs, quæ tu famulos tuos,& Eccleſiæ Magiſtros ac Doctores docuiſti? Parce mihi Domine,condona præſumptionem, Angelorum gloria, per orationes eorumdem Angelorum; qui quidem (quantum ad eſſe naturale) menſurantur æuo, & per gratiam tuam fruuntur æternitate; quam ego quoque (licet peccator) per eamdem gratiam perfrui ſpero.

Hunc Aloyſius Bertrannus, in ſuæ mortis agone, deuotiſsimè admodum inuocabat, eiuſque auxilium, & preces poſtulabat.

VI.

Aug. 15. BARTHOLOMAEVS Piccolomineus Ord. Ieſuatorum cum ad vltimam ſenectutem perueniſſet, nocte Sanctiſſimæ Aſſumptionis Dei Genitricis Mariæ ſurrexit cum ſuis Alumnis ad orationem; ſermonemque ad eos habuit, de eiuſdem Dei Genitricis gloria: Sacroſancto deinde Chriſti Domini corpore ſe communiuit; & mox (in modum Crucis compoſitis brachijs) recitauit quinquies orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam in memoriã ſacratiſſimæ paſſionis. Commendauit ſubindè omnipotenti Deo ſemetipſum, Eccleſiam, & omnes Chriſtifideles. Tandem ſe ſuper ſtratum

ſuum (paleis inſtructum) compoſuit, dicens adſtantibus: ecce nunc ad Deum meum vado. Quo dicto, benedixit eis, & [a] iunctis postea manibus, eiſque, ac facie in cælum eleuatis læto, atque hilari vultu ſpiritum Deo reddidit.

Paul. Morig. in vit. Soc. Io. Colum. cap. 27. lib. 2.

ANNOTATIO.

a De ritu componēdi brachia, ſeu iungendi manus in oratione, illud non prætermittendum quod reſpondit Nicolaus Romanus Pontifex ad conſultationes Bulgarorum, his verbis. Dicitis, quod Græci fateantur, quod in Eccleſia, qui non conſtrictis ad pectus manibus ſteterit, maximum habeat peccatum. Hoc vt fieret, præceptum fuiſſe, nuſquam (ni fallor) inuenitur; ac per hoc niſi fiat, peccatum non eſt: nam quidam faciunt hoc, quidam illud genus humilitatis: nec iſtud eſt peccatum, niſi fortè quis pertinaciter recuſauerit facere, quod omnes viderit facientes. Verùm & hoc cum fit, non niſi humilitatis gratia fit: vt re vera ſcriptum eſt: Oratio humiliantis ſe nubes penetrat. Proinde ſiue hoc, ſiue aliud quid humilitatis excogitare poteſt homo, non eſt reprehendendus, & poſt pauca, Quia in Euangelio reproborum ligari manus, & pedes reperiuntur: quid aliud iſti agunt, qui manus ſuas coram Domino ligant, niſi Domino quodammodo dicant: Domine ne manus meas ligari præcipias, vt mittas in tenebras exteriores, quoniam ecce ego iam eas ligaui, & ecce in flagella paratus ſum. Hæc Nicolaus, ſecundum illud Pauli 1. Cor. 2. Si noſmetipſos diiudicaremus non vtique iudicaremur.

Manus etiam expandere, & in altum tollere, cum precarentur, conſueuere Chriſtiani ex inſtitutione Apoſtolica. Paulus enim ad Timotheum ſcribens (1. Tim. 2.) volo (inquit) Viros orare in omni loco, leuantes puras manus. Deque eodem ritu hæc habet Tertullianus de orat. c. 11. & 12. Nos vero non attollimus tantùm, ſed etiam expandimus; & modulantes, & orantes confitemur Chriſto. & inferius. Atqui cum modeſtia, & humilitate adorantes, magis commendamus preces noſtras; ne ipſis quidem manibus ſublimius elatis; ſed temperatè, & probè elatis, ne vultu quidem in audaciam erecto.

Duos Bartholomæus habebat filios, quibus perſuaſit, vt & ipſi mundū ſecū relinquerent, & Dominū (relictis omnibus) ſequerentur. Quibus annuentibus, ſua omnia in pauperes diſtribuit, & ſimul

cum

cum illis Iesuatorum Congregationem est ingressus.

Dono lachrymarum à Domino muneratus, flebat iugiter ex desiderio supernæ Patriæ: Vnde sæpius repetebat: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est,& quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: Quando veniam & apparebo ante faciem Dei.

BASILIVS Theodosij Cænobiarchæ discipulus. *Vide infra in eodem Theodosio.*

VII.

Ianu.26. BATHILDES Monialis (olim Franciæ Regina) cum infirmitate (quam Illeos vocant Medici) viscerum scilicet incisione, laboraret; & doloris vi torqueretur grauiter, non cessabat gratias Deo agere, à quo credebat præmia æterna se percepturam. Quando autem sui corporis dissolutionem propè adesse cognouit, mentem cum oculis, ac manibus in cœlum erigens, animam Conditori suo commendauit; eamq. vt ipse susciperet, enixè rogauit; ne de ea gauderet inimicus.

Infantulam quamdam à se (adhuc Regina) ex fonte sacri Baptismatis susceptam, ante se præmittere cupiens, postulauit à Domino vt ipsam tumulari cerneret;quod & celeriter obtinuit, eadem namque hora; infantulæ anima carne soluta est. Post quam(se confidenter consignans,& pios oculos ad cælum eleuans) migrauit & ipsa ad Dominum circa annum Salutis 670. *Sur.tom.7.*

ANNOTATIO.

Fuerat BATHILDES vxor Clodouei 2. Francorum Regis, mater Clotarij, & Theodorici Regum, quæ (soluta viro) Monasterium petijt; ibique reliquum vitæ tempus transegit.

De ea Aimoinus de Gestis Francorum lib.4. cap. 42.& 43. Trithem. de Vir.Ill.Ord. S.Bened.cap.112. Vbi hæc ait: In hebdomada sua ministrauit in officio coquinæ secundum regulam, sicut & cæteræ sorores. Immunditias purgabat etiam plusquam cæteræ. in eius obitu speciosa lux diuini splendoris apparuit; & visus est à circunstantibus Angelorum chorus ei obuiam venisse,& cum eis Sanctus Genesius Episcopus: visique sunt Angeli animam eius remigio

migio alarum, & manibus eleuatam in cælum portare. Fuerat autem S. Genesius Episcopus Lugdunensis, ipsius S. Bathildis moderator, & in spiritualibus Pater.

VIII.

BAVO Confessor GalloBelgicus, ex Francorum Principum genere, & Austrasiorum Ducum Hæres, lethali quamuis morbo correptus, orabat assiduè; Monachos, & plebem (quæ frequens aderat) adhortabatur; lætusque ipse, & hilaris ceteros super se plorãtes consolabatur; adeò vt daretur intelligi, eum (quasi præsentem intueretur Christum) desiderare dissolui, & secum esse. CA. 1.

Familiarem habebat Presbyterum quemdam (Domlinum nomine) quem cum desideraret ad colloquendum, non facilè tunc habere poterat: Iter enim prolixum; vasta solitudo; nemus densissimum, perarduum, ac difficilem præbebant transitum. Vocauit nihilominus famulum suum, & ad eum requirendum festinare iussit: Qui Patris imperium non recusans, cœpit illicò ire velle, quò nesciebat; nihilque cunctanti, sed de Magistri fide præsumenti, adfuit derepentè Angelus Domini, iter ostendens, ipsique se comitem iungens. Presbyterum igitur deduxit; cui Vir sanctus curam sui funeris iniunxit; ab eoque, sacro se voluit muniri viatico. Quibus peractis, Angelus eundem assumpsit, & reduxit incolumem.

Demum iam decessurus BAVO (manibus & toto corpore in cælum extensis) conciues suos recognoscere visus est Angelos, eorumq. delectatus præsentia, Vale (ait adstantibus) seruorum Dei Ecclesia; Christus adest; egredere in occursum eius anima mea. In quibus verbis emisit spiritum, anno Domini 630.

Sur. tom. 5. Io. Molanus in Indiculo Sanctorum Belg. qui hunc Alloynum etiam appellat. Petr. in Catal. lib. 9. cap. 10. De eo etiam Baron. in Annal. tom. 8.

ANNOTATIO.

Apparuit felix BAVONIS anima, in ipsa exitus sui hora, longè manenti Sanctæ Virgini Geltrudi (de qua infra) petens vt lin-

teamina mitteret condendo funeri necessaria. Pauper enim pro Christo BAVO, nec in funere habuit, nisi aliunde peteret, linteamina.

I X.

May 27. BEDA Presbyter (cognomento venerabilis) infirmitate grauatus (præcipuè creberrimi anhelitus, & stomachi indignatione cibos nauseantis) duobus ferè mensibus, gaudens, gratiasque agens, diu, noctuque permansit.

Quotidie interim lectiones suis prælegebat discipulis; reliquum verò temporis in Psalmorum cantu (prout poterat) traducebat: Noctem præsertim in orationibus, & gratiarum actione, Deo ducere lætus studebat; & si modicus impediret aliquando somnus, euigilans postea, consueta scripturarum modulamina ruminabat; & extensis manibus, Deo itidem gratias agebat.

Canebat sæpius Pauli sententiam Hebr. 10. nempè: Horrendum est incidere in manus Dei viuentis; multaque alia de Scriptura sacra; quibus discipulos de vltima admonendo hora, vt à somno animæ illi exurgerent, sedulò curabat.

Varias etiam canebat Antiphonas, & illam præcipuè, O Rex gloriæ Domine virtutum, qui triumphator super omnes cælos ascendisti; ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum Patris in nos spiritum veritatis alleluia. Proferens autem verba illa, ne derelinquas nos orphanos, erumpebat in lachrymas, multumque flebat; & post horam, repetebat iterum, quæ inchoauerat; sicque tota faciebat die.

Gratias agebat Deo præcipuas, quod sic meruisset infirmari; memorabatque sæpius illud Pauli Hebr. 12. Flagellat Deus omnem filium, quem recipit; commemorabat etiam, & commēdabat Ambrosij dictum, dum ægrotaret, nempè; Non sic vixi, vt me pudeat viuere; nec mori timeo, quia bonum habemus Dominum.

Dum sic infirmus decumberet, præter quotidianas lectiones, partem Euangelij S. Ioannis, nempè à capite primo, vsque ad illa verba cap. 6. Sed hæc quid sunt inter tantos; transtu-

transtulit in linguam Anglicam; & de libris Isidori quasdam dictauit exceptiones, dicens: Nolo vt pueri mei mendacium legant,& in hoc post obitum meum sine fructu laborent.

Cum aduenisset verò Feria iij. antè Ascensionem, & vehementius anhelitu laborare, ac ægrotare inciperet, totum illū diem hilariter dictare, & discipulos docere voluit, dicens: Discite cum festinatione, quia nescio quandiù subsistam, & si post modicum tollat me factor meus. Noctem in gratiarum actione peruigil de more duxit: manè verò illucescente (Quarta scilicet Feria) præcepit, quæ cœpta erant diligenter scribi, vsque ad horam Nonam; qua adueniente, iussit afferri sibi capsellam,in qua erant Piper, [a] Oraria,& Incensa;simulq. accersiri Presbyteros Monasterij,quibus ea munuscula distribuere voluit; Vnumquemque monens, & obsecrans, vt pro eo Missas, & Orationes diligenter faceret; Multaq. ad eorum ædificationem locutus, diem vltimum vsque ad Vesperam duxit. Tandem, Sacramentis Ecclesiæ munitus,ac omnibus osculatis,contra Oratorium,in quo orare consueuerat, subiecto sibi cilicio, depositus in pauimento suæ casulæ, decantans, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, feliciter abijt in cœlum.

Sur. tom.3. Baron. in Annal. tom.9. Lippom. tom. 2.

ANNOTATIO.

[a] Orarium vocabant eam fasciā, quam nos stolam dicimus, vel velum, cui Rom. Pont. & Archiepiscopi, Pallium super humeros imponunt, *Onuphr. de Vocibus Ecclesiasticis.*

Scriptis suis recensitis in Indiculo BEDA, has subijcit mox ad Christum preces.

Te deprecor, Bone Iesu, vt cui propitius donasti verba tuæ sapientiæ, vel scientiæ dulciter haurire; dones etiam benignus aliquando ad te (omnis sapientiæ fontem) peruenire, & apparere semper ante faciem tuam, Qui viuis & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Lectorem quoque pia admonitione interpellat dicens. Omnes ad quos hæc historia peruenire poterit, &c. suppliciter deprecor,

vt pro meis infirmitatibus mentis,& corporis apud supernam clementiam sæpius interuenire meminerint; & in suis quoque Prouincijs hanc mihi suæ remunerationis vicem rependant,vt qui de singulis Prouincijs, siue locis sublimioribus,quæ memoratu digna, atque incolis grata crediderim,diligenter adnotare curaui, apud omnes fructum piæ interuentionis inueniam.

Quæ quidem enarrans Baron. Annal.tom.9. hæc addit.Nouissima eius verba à nobis hic sunt idcircò descripta, quò ijsdem verbis eius,ad suadendum fortioribus, pauperrimus ego precum stipem absque rubore à pio Lectore mendicem. Hæc Baron.Eadem, & mihi, iure potiori vsurpare cum liceat; eandem quoque stipem à Lectore pariter efflagito supplex.

X.

BEMBROCHIVS, Cúmanorum Rex, ad fidem conuersus, & baptizatus,vnà cum familia eius, dum supremum traheret spiritum, dixit ad fratres sibi morienti adstantes:Discedant à me omnes Cumani, à fide Christi alieni: Video enim circa illos Dęmones teterrimos; soliq. maneant Baptizati. Conspicio autem apud me fratres Martyrio effectos) Ordin. scilicet Prædicatorum) qui me expectāt,& secum ad gaudia, quæ prædicauerunt, perducant. Quibus dictis cum ingenti lætitia spiritum Deo tradidit anno Christi 1222.

Theodoricus in Vita S. Dominici.

X I.

Mart.21. BENEDICTVS Abbas ante sextum sui exitus diem, sepulchrum sibi aperiri fecit, & mox arreptus febribus, acri cœpit ardore fatigari;cumq. per dies singulos morbus ingrauesceret, sexta die se in Oratorium deportari voluit, vbi exitum suum Dominici corporis, & sanguinis perceptione præmuniens; & inter discipulorum manus imbecilla membra sustentans; erectis in cœlum oculis, ac manibus, vltimum spiritum inter verba orationis efflauit,anno Christi 542.

Sur.tom.2.Lippom.tom.8.& 10.Greg.Dial.lib.2.

A N-

ANNOTATIO.

Duo Monachi animam Sancti Benedicti viderunt euntem in cęlum, pallio pretiosissimo ornatam; circum eam fulgentibus lampadibus; & clarissima, grauissimaq. specie virum, super caput ipsius dicentem audierunt: Hæc est via, qua dilectus Deo Benedictus in cœlum ascendit.

De eo Baron. in Annal. tom.7.

De Benedicto S.Odonis discipulo, *vide infra in Odone*.

X I I.

BENEDICTVS, & Petrus (Ord.Prædic.) iuuenes ingenti deuotione ornati, graui ambo, vno tẽpore, ægrotatione laborantes, in eodem Monasterio (Montis, scilicet Pessulani) eadem die decesserunt. Quum enim (de more) Petrus à domus Præsidẽte visitaretur, & interrogaretur quàm benè sibi esset? Respondit, Benè. Nam certus sum, quòd ad Dominum pergo; & hoc vobis signum, quia Benedictus eadem die, & ipse migrabit. Interrogatus posteà Benedictus, & se benè habere respondens, subiunxit: Cum heri meditarer, quàm bonum sit dissolui, & esse cum Christo: & ad hoc vehementissimè anhelarem; sanctissimamq. parentem, ac Reginam cœlorum, vt efficeret quod voti mei fierẽ compos, rogarem; è vestigio animus meus tanta fuit deuotione repletus, quod aliud nec volo, nec cogitare possum, præter Christum. Quum igitur post paucos dies Petrus ad sepulchrum deferretur, psallentibus (secundum consuetudinem) fratribus, Benedictus à fratre sibi seruiente exquisiuit, quis esset, quem sepeliebant fratres? & audiens, Petrum, illum esse; continuò exclamans dixit: Efferte me fratres, quia debeo & ipse, ea die qua ille, ad Dominũ pergere. Mox redeuntibus fratribus, ille vita excessit, & cum Socio, quem ei dederat Dominus, sepulturæ traditus est.

Leand. Alber. de Vir. Illust. Ord. Præd. lib.5.

X I I I.

BENEDICTVS de Ponte Ord.Præd. cum in diuersas Prouincias verbum Dei disseminasset, perueniens tandem *Iunij 26.*

ad quandam villam, verbum Dei post Missæ celebrationem populis (de more) annunciauit; & mox è suggestu descendēs, vocauit Presbyterū (Parochū scilicet Ecclesiæ) rogans eum, vt protinus Oleum Sanctum ad se deferret infirmorum, quo muniretur abiturus ex hoc mundo, sicut sibi eodem tempore à Domino fuerat reuelatum. Paruit dictis Presbyter, & ille super lectulum extensus, maxima cum deuotione inungi voluit. Deinde iussit socio suo, vt Sancti Bernardi meditationes coram se legeret; cumq; ad verba illa cap. 3. peruenisset: ô Anima mea, ornata Dei imagine, &c. Animam suam suo reddidit Creatori, circa annum Domini 1273.

Chron. S. Dominici par. 1. lib. 2. cap. 14.

XIV.

BENEDICTVS Ord. Iesuatorum Tifernas, cum infirmus in lecto decumberet, & à quodam viro visitaretur, dictum est ei ab eodem, vt bono animo esset, ac hilari; quia cum fuerit semper Deo gratus, & bona egisset, præmia in cœlis esset accepturus. Quibus verbis plurimum turbatus Benedictus, eiecit eum à se, dicens, mendacium se proferre, cum malè egerit, & ingratus nimis Deo suo fuerit; vnde nec dignum esse vocari filium, nec suam consequi hæreditatem. Cœpit postea amarissimè flere, maximaq. cum contritione à Deo veniam suorum postulare peccatorum. Deinde paululum quiescens, & facie sursum eleuata manens, ait adstantibus: Dominus fletum meum suscepit, ac peccata deleuit, miserendo mei; ideò cras, hora Completorij ad eum videndum pergam. Monuit igitur, & adhortatus est fratres, ac sacramentis Ecclesiæ se muniuit; die autem sequenti, hora qua prædixit, eosdem benedictione impertiuit; semetipsum signo crucis consignauit; & lætus, ac hilaris migrauit ad Dominum.

Paul. Morig. lib. 6. cap. 2.

ANNOTATIO.

Monitus hic à B. Ioanne Columbino, vt mundum relinqueret, & Deum sequeretur; respondit se minimè posse ob infirmitates plurimas

rimas, quibus premebatur; præsertim Podagra, & Apostemate quadam in aure; Vnde impossibile sibi dabatur, nudis pedibus, & detecto capite incedere; sed animum ei addens vir Sanctus, dum Congregationem ingreditur, infirmitas pariter ab eo statim egreditur.

X V.

BENIAMIN Monachus, cum 80. annos vitam rectè, & ex virtute egisset, octo mensibus ante obitum Hydropicus euasit: & eius corpus vsque adeò intumuit, vt paruus eius digitus non posset complecti digitis duarum manuum: vnde factus est illi currus latissimus, in quo sedebat assiduè, vt qui non posset in lecto accumbere. Quamuis autem laboraret hoc morbo immedicabili, medebatur alijs, qui tenebantur quibusuis ægritudinibus; quos per impositionem manuum, aut olei à se benedicti traditione, liberabat ab omni ægritudine.

Ad hunc accedentes (tanquàm ad nouum Iob) Palladius, & alij Monachi; ac morbi grauitatem aspicere non sustinentes, atque ideò oculos auertentes, dixit eis BENIAMIN; Orate filij, ne meus internus homo sit hydropicus. Hoc enim corpus, neque cum benè se haberet mihi quidquam profuit; neque cum malè, me læsit. Egregio autem hoc viro mortuo, sublatum est limen ostij, & postes, vt corpus posset ex cella efferri.

Palladius in Lausiaca cap. 13. Heraclidis Parad. cap. 2. Plura de eo habentur in vit. Patrum Hereberti.

ANNOTATIO.

MYROGENES (Hydropicus pariter) dicebat ad se, visitationis causa venientibus: orate pro me, ne interior homo Hydropicus fiat: Ego enim, vt in hac infirmitate diutius durem, Deum oro. *Prat. spirit. cap. 8.*

X V I.

BENNO Episcopus Misnensis sub mortem canonicos suos conuocauit; eisq. post multa data monita salutaria, ho- *Iun. 16.*

ram patefecit adesse, quam multis retrò annis, nesciebat an maiori sollicitudine, vel desiderio semper expectasset: prædixit successorem: suæq. Ecclesiæ; ac ministrorum eius, perpetuum se fore Patronum fuit pollicitus, dicens: Quemadmodum hìc in terris fui, ita & apud Deum paratum me habebitis, prout singulorum merita, vel demerita postulauerint, Patronum, vel Vindicem.

His, seuero admodum vultu, & senili grauitate, elocutis, singulorumq. manibus deosculatis, illos Hymnis, ac Psalmis insistere iussit. Ipse verò (deuota ad Deum oratione peracta) accepto viatico, in cœlum abijt anno Domini 1106. ætatis 96. *Sur. tom. 7.*

ANNOTATIO.

Relatus est hic in Sanctorum numerum ab Adr. VI. Sum. Pontif. vnà cum S. Antonino Archiepisc. Floren. anno Domini 1524. Cuius Canonizationis diploma asseruatur hactenus Romæ in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Anima.

XVII.

Maij 20. BERNARDINVS Senensis disenteriæ morbo laborans, & ad extrema deueniens, Ecclesiasticis muniri se voluit Sacramentis; cumq. iam mortis aduenisset hora, & nihil loqui valeret, quibus potuit signis indicauit fratribus, vt ipsum è lecto in terram deponerent. In pauimento igitur collocatus, erectis sursum luminibus, dum fratres in vespertinis precibus concinerēt: Pater manifestaui nomen tuum hominibus, spiritum Deo reddidit anno salutis 1444. ætatis suæ 66.

Sur. tom. 3. & 7. Antonin. 3. par. tit. 22. & 24. cap. 7. Chronic. Minor. par. 3. lib. 2. c. 19.

ANNOTATIO.

Laborauit dissenteria Bernardinus aliquando ad annos quatuordecim, nec tamen idcircò prędicare desijt; quod quidem prædicandi munus quadraginta annis perfecit; nullo vnquàm tædio retardatus.

Habuit

Habuit præcipuè sermones quatuordecim de duodecim doloribus in hora mortis, quos reperies tom. 1. sermonum eius.

Relatus autem fuit in Sanctorum numerum à Nicolao V. Pont. Max. anno sexto, vel septimo ab eius obitu, nempè 1450.

XVIII.

BERNARDVS Abbas Clarauallensis, vltima, ac lethali ægritudine correptus, noluit animum ad temporalia apponere; & Godefrido Episcopo Lingoniensi, qui de quibusdam eum sollicitauerat agendis, & minus apponere animum mirabatur, respondit: Ne mireris Domine: Ego enim non sum de hoc mundo. Huius ægritudinis incommoda, atque molestias descripsit ipsemet in Epistola ad Abbatem Boneuallis Arnoldum, quæ est 310. paucis ante mortem diebus, lectu digna: ex eius etenim tenore dignoscitur quanta illi fuerit, in infirmitate corporis, tranquillitas animi, suauitas spiritus; & quanta (sub fiduciæ culmine) radix humilitatis; in cuius fine hæc præcipuè habentur. *Aug. 20*

Orate Saluatorem, qui non vult mortem peccatoris, vt tempestiuum iam exitum non differat, sed custodiat. Curate munire votis calcaneum nudum meritis, vt is, qui insidiatur inuenire non possit, vbi figat dentem, & vulnus infligat.

Videns autem discipulos lugentes, & dolentes eius discessum, coarctabatur filiorum charitate, quæ eum vrgebat, vt maneret, & Christi desiderio, qui eum trahebat, vt migraret. Quid autem eligeret ignorans, totum se diuinæ arbitrio commisit pietatis. Consolatus est subinde (flens & ipse) flentes; adhortatusq; est eos verbis illis Apostoli 1. Thess. 2. Rogamus vos & obsecramus, vt quemadmodū accepistis à nobis, quomodo vos oporteat ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis, &c. suumq. post mortem patrocinium eis non defuturum spopondit. Tandem cum dies illuxisset; quo perpetuus illi ortus est dies, ad eius exitum vicini Episcopi, cum Abbatum, & Fratrum copiosa multitudine sunt congregati; inter quorum singultus; ac lachrymas vberes, vtcumq. psallentium (cum prius iussisset, se sepeliri Tunica, qua Sanctus Malachias obdor-

obdormierat; quamue sibi ad Missarum celebrationem seruauerat, migrauit ad Dominum anno 1153. ætatis suæ 64.

Sur. tom. 4. Baron. in Annal. tom. 12.

De eodem infra in Malachia.

ANNOTATIO.

BERNARDVS vitam istam mortalem, Mortem appellabat, nó Vitam. Cum enim grauiter aliquando infirmaretur, & conualuisset postea ab infirmitate, scripsit Hugoni Episcopo Ostiensi se ad mortem reuocatum: Infirmatus sum (inquiens) vsque ad mortem; sed interim (vt sentio) ad mortem reuocatus.

Infirmatus fuerat aliquando grauiter, & cum extremum iam spiritum trahere videretur, in excessu mentis, ante tribunal Domini sibi visus est præsentari: Vbi adfuit, & Sathan ex aduerso, improbis eum accusationibus pulsans: Cumq. ille fuisset omnia prosecutus, & viro Dei esset pro se dicendum; nil territus ait: Fateor non sum dignus ego, nec possum proprijs meritis Regnum obtinere cœlorum: Cæterum duplici hæreditate illud obtinens Dominus meus (hæreditate scilicet Patris, & merito Passionis) altero ipso contentus; alterum mihi donat; ex cuius dono, iure illud mihi vendicans, non confundor. In hoc verbo confusus inimicus, conuentus ille solutus, & homo Dei in se reuersus est. Apparuit autem ei postea B. Virgo, cum B. Laurentio, & Benedicto, ad quorum altaria fratrem, vt pro se oraret miserat, & sanauit eum. *In vita eiusdem lib. 1. cap. 12. apud Sur.*

Laborabat Bernardus multiplicibus infirmitatum incommodis; præsertim in meatu arctissimi gutturis, nihil penitus siccum, vix solidum aliquid admittebat; Molestior erat stomachi defectus, viscerumq. corruptio, quæ quidem continuè illum vexabat.

Dum igitur infirmaretur iterum aliquando grauius; & imminere iam exitus pariter videretur; Institere fratres supplicationibus, & obsecrationibus (quibus poterant) apud Deum pro eo. Vnde cognoscens vir Sanctus eorum precibus desiderium suum differri, cum aliquantò melius habere cœpisset, congregatis fratribus, ait: Quid tenetis miserum hominem? fortiores estis, & inualuistis: Parcite quæso, parcite: finite me abire.

Tempore suæ dissolutionis appropinquante, cum lecto decumberet, misit fratrem quemdam in remotas Germaniæ partes pro

qui-

quibusdam agendis. Hic ergo dū mitteretur(longioris itineris pe-
ricula timens)illud maximè verebatur,ne contingeret, vt idem
Pater, priusquam ipse rediret,ab hac vita migraret; & absens ip-
se,benedictione extrema fraudaretur . At Pater benedicens ei, &
dicens; Ne timeas,& incolumis reuerteris, & me quoque, sicut
desideras, inuenies,consolatum emisit. Profectus inde frater, in
Territorio Argentinensi adstrictum glacie fluuium pertransiuit;
sed subitò(fracta glacie sub pedibus muli,quo vehebatur)corruit,
& sub glaciem vehemens illum vnda trahebat. Sic igitur (glacie
clausus,& flumine tractus) recordatus est Patris sui; eumq. con-
tinuò sibi visus est habere præsentem; tantaque fuit suauitate per-
fusus,vt nec amnis impetum,nec molestiam frigoris, nec spirandi
difficultatem,neve vllum incommodum senserit,aut metum. Quin
& contra fluminis impetum(sine suo conatu) diuina virtute redu-
ctus,ad ipsum(per quod ante ceciderat)foramen se reperijt; mar-
ginem arripuit; exiuit intrepidus; illæsus euasit:expleto negocio
redijt incolumis; & fidelem promissionem inuenit. *In eiusdem vita apud Sur.lib.3.cap.1.*

Cum Gaufridus discipulus eius, primo tempore Tyrocinij sui
pro Patre suo(viro nobili)quem in sæculo dereliquerat, exoraret
Sanctum, vt pro eius conuersione Dominum rogaret; Ne timeas
(ait Bernardus)ego illum probatum Monachum manibus meis in
hac Claraualle sepeliam: Vtrumq. secutum est;perfectus enim fa-
ctus Monachus à Sancto Bernardo(sicut prædixerat)in Claraual-
le sepultus est. Tāquam enim illo absente mori non posset;quinque
mensibus infirmatus; & creberrimum(imò continuum) in se ipso
habens mortis responsum,sustinuit,donec vir Sanctus rediret, qui
eum(vt olim promiserat)tradidit sepulturę. *Ibidem lib.4.cap.3.* *Anon. obit.*

De Capillis, Barba, Dente, Pileo, deq. Epistola S.Bernardi Reli-
quiarum loco habitis, vide ibidem lib.4.cap.4.

Plures extant Epistolæ S.Bernardi, ex quarum lectione infirmi,
ac morientes solamen, & iuuamen non modicum percipere pos-
sunt: præsertim ex Epist.144.145. 266. & 310.postrema scilicet,
quam in extremis positus ad Arnoldum dictauit. Sed præcipuè
ex 237. ad Eugenium Papam;cuius fragmentum saltem,hic descri-
bere non erit incongruum. Vbi enim Bernardus audiuit de sui
Abbatis Eugenij electione,aureas ad ipsum dedit literas,in quibus
post multa hæc habentur: Confortare, & esto robustus, &c. In
omnibus tamen operibus tuis memento te esse hominem,& timor
eius,qui aufert spiritum Principum, semper sit ante oculos tuos.
Quau-

Quantorum in breui Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aſpexiſti?Ipſi te Prædeceſſores tui tuæ certiſsimæ, & citiſsimæ deceſsionis admoneant; & modicum tempus dominationis eorum, paucitatem dierum tuorum nunciet tibi. Iugi proinde meditatione, inter huius præſentis gloriæ blandimenta, memorare nouiſsima tua, quia quibus ſucceſsiſti in ſedem. Ipſos (ſine dubio) ſequeris ad mortem.

De Bernardo itẽ in Guillelmo Eremita, & in Anonym. iv. infra.

XIX.

Anon. obit.

BERNARDI eiuſdem mater dum in extremis ageret, cum clericis, qui conuenerant, pſallentibus, & ipſa pſallebat; cumq. iam vox eius audiri amplius non poſſet, adhuc tamen moueri labia videbantur, & palpitans lingua Dominum confiteri. Demum inter Litaniæ ſupplicationes, cum diceretur: Per Crucem, & Paſſionem tuam libera eam Domine, eleuans ipſa manum ſuam, ſignauit ſe, & emiſit ſpiritum; ita vt manum non poſſet deponere, quam leuauerat.

In Vita S. Bernardi lib. 1. c. 2. apud Sur.

XX.

Anon. obit.

BERNARDVS idem apparuit in viſu adhuc viuens, Nouitio infirmanti, prædicens ei, quod quinta die eſſet moriturus. Vnde exhilaratus Nouitius retulit Abbati ſuo viſionem, dicens: Ecce quinta die morior: adueniente autem expectata die, & in agone poſitus, obducto iam (vt aſſolet) oculorum lumine, ad exitum feſtinabat; quando, venit ad eum Sanctus Bernardus, & velut ab alto reuocauit ſomno: retrahens quaſi commeantem, nec inſalutatum abire permittens. Quo præſente aperuit oculos, & miro modo, ſerenata facie, in eum intendit. Tunc Pater conſolans eum, nil timere iubet; ſed recto protinus curſu ad Dominum Ieſum Chriſtum pertingere, & ei humilem pauperis familiæ ſuæ ſalutationem offerre. Ad hanc vocem, qua potuit capitis inclinatione, & motu annuens labiorum, iterum clauſit oculos, & in pace quieuit.

In Vita S. Bernardi lib. 4. cap. 2. apud Sur.

BER-

XXI.

BERNARDVS Monachus Cifterciensis, discipulus S. Roberti Abbatis, cum inseruisset maxima charitate Monachis infirmis, quadam grassante morbi influentia, ex qua plurimi occubuerunt, & cessasset iam morbus, orauit Deum enixè, vt ipsum quoque (modò inutilē) è mundo tolleret, & suis socijs iungeret. Exaudiuit autem illum Dominus, & febri modica pulsari voluit. Cumq. ad eum visendum se conferret Abbas, perpendens morbi leuitatem, & admirans, quod monachus, qui aliàs dolores acerbissimos, & infirmitates nihili fecerat prægraues, ob tam leuem causam in cubile se recepisset, subrisit, ac iocando ait: Ne timeas: Bono esto animo; Non morieris ex hac infirmitate; nostras fabas, & olera, antequàm moriaris, comedes: Cui respondit Monachus; Non timeo Pater mi, non equidem timeo; quinimò confido, & spero firmiter, quòd non fraudabor à desiderio meo. Post quatuor autem dies, morbo incrementa capiente, cognouit Abbas, eum esse lethalem; reprehendit semetipsum, quod illam irriserit infirmitatem; & videns propè iam adesse transitus horam, muniuit eum extremæ vnctionis Sacramento. Quo munitus Monachus, raptus est in spiritu, & per vnius horæ spatium, quasi mortuus apparuit; Deinde ad se rediens, Abbatem respexit, eiq; vultu hilari admodum, dixit: liber ex hoc eris (Pater) à promissione, quam mihi fecisti: Admirans autem Abbas, nec quid sibi promiserit recolens, interrogauit eum, quid hoc esset? Cui subdit moriens, quod, quando Nouitius erat, Beatitudinem sibi promiserat, si in Religione & Superiorum obedientia perseuerasset. Interrogatus autem quomodo sciret, se Beatitudine potiturum? dixit; se ante tribunal Christi adstitisse; ex eius ore absolutionem, & omnium peccatorum suorum Indulgentiam plenariam suscepisse; multos vidisse suæ Congregationis Monachos; & inter eos locum sibi iam paratum perspexisse; subdens; Et vt vera, quæ dico, esse sciatis, hac eadem hora ad Deum vado; quo vltimo verbo prolato, expirauit. *Hist. S. Bernardi lib. 4. cap. 12. Hispanicè.*

BER-

XXII.

BERNARDVS Monachus Cluniacensis iuuenis cum valida febre detineretur, monitus est ab Abbate Petro Venerabili, vt quamdiu sui compos esset, conscientiam scrutaretur; confiteretur peccata; nec aliquid ad animæ salutem pertinēs prætermitteret. Acquiescere præsetulit monitis iuuenis, & confiteri coram eodē Abbate aggressus est: sed cum sequenti die ad eum Petrus rediret,&(remotis adstantibus) secretò eū (vt prius fecerat)admoneret, ille vt potuit corpore,totus autem mente ad eum conuersus; Peccaui (inquit) Domine,& valdè peccaui, quod de hesterna cōfessione,quā purè facere debuissem,quædam de industria subtraxi. Hac de causa ad iudicium hac nocte vocatus,mira, & tremenda videre coactus sum. Perrexit narrare visionem, in qua ab innumeris Dæmonibus sacrilega sibi obijciebatur confessio; vnde immenso labore,ac formidine totam consumere sibi visus est noctem; quāuis defensor suus,Angelus scilicet tutelaris, semper adfuerit, nec eum deserere voluerit. Subdidit posteà: Nunc, quia plenè intelligo, mihi à Deo hac visione impensam misericordiam, vt fateri me velit, quod tacere decreueram; Detegam Deo cuncta ex integro, tibiq. Pater; nec vltra animam meam parata fraudabo salute. His dictis,ad confitendum rursus conuersus, quidquid exhauriendum reliquerat, totum exhausit: expleta verò confessione,& absolutione percepta, oleo sacro se inūgi;& Christi corpore refici curauit;sicq. (paucis interiectis diebus) feliciter obdormiuit in Domino.

Petrus Cluniacensis lib.2.de Miraculis cap. vltimo.

ANNOTATIO.

De alijs infirmis quorum confessionem Dæmon impedire nitebatur. Vide infra in Anonymo xxxij.ex eodem Petro.

XXIII.

BERNARDVS de Quintaualle (Ord.Min.) infirmitate graui correptus, nil aliud, nisi diuina audire volebat; & si aliquando fratres ei leuamen aliquod præbere conarentur(nempè

è aceto, & aqua rosacea arterias confortando) illud omninò respuebat, ne à diuininorum interim contemplatione, vel minimum distraheretur. Hac etiam de causa, ne (ob corporis sollicitudinem) obliuisceretur Dei, se omninò ministri infirmorum regimini tradere voluit, dicens: Corporis mei ex hoc non recordabor amplius. Tu curam illius suscipe; si quid porrexeris suscipiam; si nihil dederis, non postulabo.

Multi ad eum visendum confluxerunt, inter quos B. Aegidius adfuit, & salutauit eum dicens; sursum corda frater, sursum corda; cui (valde exhilaratus) respondit; habemus ad Dominum; iussitque mox fratribus, vt ei locum pararent contemplationi aptum, vbi, paucis illis diebus, quibus superstes ipse foret, ille maneret.

Rogatus à fratribus vt aliquid memoria dignum eis relinqueret, dixit tandem (coactus) licet proprium hominis sit, vt offensus doleat, & lacessitus impetu afferatur (habet enim quemdam aculeum contumelia, quem pati prudentes, & boni viri difficillimè possunt) me tamen nullius offensa vnquam perturbatum fuisse; neque post offensam alicui mortalium succensuisse scitote.

Ingrauescente morbo, Sacerdotem perpetuò apud se manere voluit, cui quando aliquid memoriæ occurrebat, quod conscientiam angeret, statim confitebatur. Tandem cum eum extremus aduenisset sibi dies; rogauit fratres, vt secum refectionem sumerent, suamque vltimam cum eo celebrarent horam. Sacro deinde inunctus oleo, super lectulum sedens, eosdem monuit de mortis memoria, deque dilectione fraterna; & venia tandem ab eis petita, resplenduit illicò vultus eius; sicque exhilaratus, & gaudens ad cælestia Regna migrauit.

Chron. Ord. Min. par. 1. lib. 6. cap. 8. Tossinianus Hist. Seraphica lib. 1. fol. 60.

XXIV.

BERNARDVS, Ord. Præd. apud Sancterenses in Lusitania, sacri Templi Præfectus, pueros aliquot elementis litera-

rum,

rum,& moribus imbuebat; qui pultem (ex paterna domo allatam) à ſacris, in ædicula Templi ientabant; vbi aliquando ſculpta Chriſti, in gremio matris reſidentis, imago ad eoſdem ſe demiſit; vnàque cum illis non ſemel, ſed iterum, ac tertiò cibum ſumpſit. Quæſti ſunt ea de re Alumnuli apud ſuum magiſtrum, dicentes; eſſe puerum ſecum, & nunquam ſuam Symbolum ad communem menſam afferre. Miratus primùm Bernardus, Dei erga innocentes affectum; vbi (inquit ad pueros) ex matris ſinu delapſus rurſum infans vobiſcum ientarit, in hæc verba illum compellate: Domine, tu ſemper es conuiua noſter, & nihil opſonij tecum apportas; voca nos etiam cum Doctore noſtro domum Patris tui, vti (vel ſemel dumtaxat) tecum epulemur: Paruere ſuo Præceptori dociles diſcipuli. Vbi igitur ad ientaculum reditum eſt & ille (more ſuo) ſeipſum ad pueros inuitauit; ipſi viciſſim inuitari petierunt. Placuit autem Regi immortali dare mortalibus Regnum ſuum; Diemque illis imminentem (qua cum triumpho cælos conſcenderat) deſtinauit, vt ſecum eſſent futuri. Renunciant Bernardo tyrunculi reſponſum. Parauit ſe illicò Religioſiſſimus Magiſter ad cæleſte Epulum. Vbi dies illuxit deſignatus, cæpit Bernardus maturè ſacris operari ad eam aram, cui dicta Dei parentis imago imminebat; pueri duo facienti miniſtrare; omneſque tres cum ſacrificio vitam finiere, anno Chriſti 1246. Vnoque omnes clauſi fuere tumulo.

Matthæus Raderius Soc. Ieſu in Viridario Sanctorum par. 2. cap. 5. ex Chron. Præd. Antonij Senenſis, Anno 1240.

ANNOTATIO.

Aſſerit Rodericus præfata omnia per oculatos teſtes in Acta publica redacta fuiſſe; eorumque ſacra corpora, ſumma coli populi veneratione.

Simile vide infra in Anon. iij.

XXV.

Sept. 4. BERTGERVS Presbyter Gallus cum ob eximiam cordis eius innocentiam, vitæ ſuæ extremam horam à Deo præſcire obti-

btinuisset, ipso quo obiturus erat die, Missarum (ex more) acramenta consumauit;ac mox (Dominico consignatus viatico) in ipsis vestibus Sacerdotalibus, ante sanctum altare animam Deo reddidit.

Sur. tom. 5. in vit. S. Idæ lib. 1. cap. 8.

XXVI.

BERTHOLDVS Abbas Gastensis infirmitate correptus rogauit afferri sibi de proximo fonte aquam ad bibendum; sed semel,& iterum allatam, ad haustum illius,in vinum mutatam esse conspiciens, lachrymis perfusus, quid (inquit) Saluator agis? nonne peccator sum indignus, propter quem signa facias? Interdixit autem suis ne miraculum huiusmodi (quod aliàs etiam sibi euenerat) cuiquam vllo pacto manifestarent. *Iul. 27.*

Non longè ante obitum eius,ægrotus quidam ad eum misit, vt eius exequijs adesse, & eum terræ commendare dignaretur: Sed Vir sanctus legatis illius sic respondit: Reuertemini, Dominus vester melius habere cæpit,& benè conualescet: Rogate autem eum, vt ad me venire non pigritetur. Quod ita factum est: Conualuit enim ægrotus ille,& post modicum venit; eumque sepeliuit. Antequam autem obiret Bertholdus (vocata ad se omni congregatione) singulorum audiuit confessiones; datisque omnibus propria manu flagellis,& eos absoluit, & sibi ab eis remitti, quæ in eos deliquisset, humiliter rogauit. Demum cum (ingrauescente languore) plures sine alimento duxisset dies; iamque penè defecisset,accedens Eberhardus Capellanus eius, ac pijssimus nutritor, aliquid ei in os pro refocillatione immittere cæpit: quo accepto, collectis in hæc verba viribus (ò inquit) quare sic fecisti? esse mihi debuit pro pænitentia manere ita absque cibo, vsque ad festum S. Petri ad vincula; vt sic, de carnis vinculis absolutus, eorundem vinculorum pro voto festum celebrarem; nunc verò quia cibatus sum (citò migraturus) constitutum diem expectare non possum. Quod, & contigit.

Nocte etenim (quæ B. Pantaleonis Mart. Festum diem

præcedit) modicum ante nocturnale officium, vocata congregatione, ipse litaniam cæpit, & ad vsque animæ redditionem, cum alijs decantauit. Tunc leuare manus volens, sed minimè præualens, quieuit in Domino, die 27. Iulij Anno salutis circiter 1130.

Dum autem ad sepulchrum deferretur, virtute diuina, feretrum subleuatum apparuit; nec portatorum humeros, id admirantium, tetigit.

Sur. postrem. edit. eadem die ex M.S. cod. Viennen. Biblioth.

ANNOTATIO.

Plurimus erat BERTHOLDVS in confessionibus audiendis; & pænitentibus erudiendis: quibus singulis (absque personarum acceptione) disciplinas imponebat; nec vllum omninò transire sinebat implagatum.

*Idem ibidem n.*13. De eodem Bertholdo *infra in Ebberardo*.

XXVII.

Nou. 20. BERVVARDVS Episcopus Hildesemensis cum iam transitus sui diem imminere prænosceret, Sacellum quoddam in honore S. Martini dedicari fecit; ibidemque ipso die (priorem habitum deponens) Monasticæ professionis iugum suscepit. Correptus deinde infirmitate vltima, ad idem sacellũ se deferri præcepit; & ibidem è carnis ergastulo ad æternitatis gloriam in cælos migrauit; cum prius iussisset, vt feretrum, quo ad tumulandum eius corpus efferretur, non pallio (vt moris est) sed cilicio tantum tegeretur, obijt Anno Domini 1022.

Sur. tom.6. Crantzius lib.3. Metropol. cap.49. Baron. in Annal. tom.3.

ANNOTATIO.

Bertuuardum appellat hunc Molanus in Martyrol. Vsuardi, Fuit hic præceptor Othonis 3. Imperatoris. Habetur eius breuis historia apud Surium in vita S. Gothardi Episcopi tom.3. 4. Maij.

BLE-

XXVIII.

BLESILLA Vidua Prophetam semper (quamuis infirma) aut Euangelium in manibus habebat: Mortem autem propinquam sentiens, hæc in extrema verba mandauit adstantibus, nempe. orate Dominum Iesum, vt mihi ignoscat, quia implere non potui, quod volebam. *Ian. 22.*

Lippomanus tom. 1. lib. 3. num. 1. ex Hieron. tom. 1. epistola 25. ad Paulam matrem. Ferrarius Ianuar 22. ex eadem ep. ex lib. de Virginibus Rom. & ex vita S. Eustochij Virg. De ea Baron. in Annal. tom. 4.

ANNOTATIO.

De Blesilla hæc S. Hieron. epistola 116. ad Eustochium. Memini me cum adhuc Romæ essem, & Ecclesiastem S. Blesillæ legerem, vt eam ad contemptum mundi huius prouocarem, & omne quod in mundo cerneret, putaret esse pro nihilo, rogatum ab ea, vt in morem commentarioli, obscura quæque dissererem; vt absque me posset intelligere quæ legebat.

Idem Hieron. d. epist. 25. Consolari volens matrem Paulam lugentem, affert in medium S. Melaniæ exemplum; quæ adhuc calente mariti corpusculo, & nec dum humato, duos simul perdidit filios, sed lachrymæ gutta non fluxit; stetit immobilis; & ad pedes obuoluta Christi (quasi ipsum teneret) arrisit: expeditius (inquit) tibi seruitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti.

Fuit etiam altera BLESILLA huius Auia, de qua Baron. in Annal. tom. 4. Anno Christi 382.

XXIX.

BOISILVS, Cuthberti Lindisfarnensis, in spiritu Pater, de sui exitus tempore per reuelationem edoctus, dixit eidem Cuthberto: moneo te, vt, quia me mors vicina præstolatur, discere à me aliquid quamdiu docere valeam non omittas: Non enim plusquam septem dies sunt, quibus mihi ad docendum sanitas corporis, & linguæ suppetat virtus. *Mar. 27.*

Interrogatus ab eo, quid esset optimum legere, quod vna posset consumi hebdomada? Ioannis (respondit) Euangelium. Est autem mihi (inquit) codex habens quaterniones septem, quos singulis diebus singulos possumus (Domino adiuuante)

legendo,&,quantū opus eſt,inter nos conferendo,percurrere.

Completa igitur lectione, poſt dies ſeptem Boiſilus migrauit ad Dominum.

Sur.tom.2. in vit. S.Cuthberti cap.8. Beda tom. 3. hiſtor. Anglic. lib.4. cap.27. & ſeqq. vbi ait, hanc ideo lectionem, tam citiſſimè complere voluiſſe, quia ſolum in ea fidei, quæ per dilectionem operatur, ſimplicitatem, non autem profunda quæſtionum tractabant.

BONOS. Vide *infra* in S.Seuerino Noric. Epiſc.

XXX.

Sept. 8. BONAIVNCTA Ord.Seruorum,mortis ſuæ pręſcius,vbi Sacrum in Eccleſia Montis Senarij celebraſſet, fratreſque ad Regulæ obſeruantiam adhortatus eſſet; dum de Paſſione Domini feruentius loqueretur(ſacris adhuc indutus veſtibus) ſpiritum Deo reddidit Anno 1258. Sept.8.

Ferrarius in Catal. ex Chron. Ord. Seruorum.

ANNOTATIO.

De proximorum ſalute erat hic valde ſollicitus; & eos, quos in aliquo delicto perſeuerantes cernebat, acrius, & liberius increpabat. Quod cum erga ciuem Florentinum ſæpius feciſſet, ille, (beneuolentiam ſimulans) Viro Dei cibos venenatos per famulum miſit; quos à ſe benedictos ſine vlla prorſus læſione comedit, ac ſeruo abeunti ait: Vade fili, nam qaod Herus mihi tuus parauerat, ſibi accidiſſe comperies. Qui domum reuerſus, Herum expiraſſe inuenit.

XXXI.

Ian. 15. BONITVS Epiſcopus, Podagræ morbo ad extrema perductus, antequam Domino ſpiritum redderet, adſpirans ad cæleſtia, feneſtram cellulæ, in qua quieſcebat, patefieri iuſſit; & ſolito oculos lachrymarum imbre perfundens, Pſalmum, qui in ea hora (iuxta morem) canendus erat, inchoauit; & in Domino feliciter obdormiuit.

Sur.tom.1. de eodem Baron. in Annal.tom.8.

Hic

ANNOTATIO.

Hic à B. Virgine veste mirifica donatus fuerat; quæ Aruernis adhuc ostenditur. Romam veniens, & Sanctorum loca perlustrans, ex B. Petri sepulchrô oleum assumpsit, quo ægros postea vngebat, & sanabat.

XXXII.

BRAMIDVLANA Virgo, Constantiensis Diæcesis, à suis, vt nuberet sollicitata, non assensit, dicens se Christo desponsatam, nec alij nubere velle. Cumque iugiter instarent noti eius, & præcipuè Patruus, vocauit illa Decanum, velut Dei Sacerdotem; eumque rogauit, vt persuadere vellet eidē Patruo suo, vt Christo seruire in virginitatis proposito eam permitteret; quia id animo firmiter statuerat. Sed cum id attentaret ab eo Decanus, nec obtinere posset, ad sponsum suum Christum; intensissimis orationibus Virgo confugit; eique suam pudicitiam, vt illæsa seruaretur commendauit. Mox, Dei nutu, infirmari cæpit, & lecto decumbere; Cumq. dictus Decanus ad eam visendam accederet, & de tam subita, ac inopinata infirmitate miraretur; illa læto, ac hilari vultu dixit ei: Domine vos, & cognatos interpellaui, vt me in Virginitatis proposito Christo deseruire sineretis; quod mihi denegastis; sed is, cui fidem seruaui, exaudiuit me, clementior vobis existens: Noueritis igitur quod proxima die læta moriar, à Christo exaudita. Sic igitur sequenti die inter suorum lachrymas Virgo Christi sanctè obdormiuit in Domino.

Io. Hyder hoc accepisse ab eodem Decano asserit in formicario lib. 4. cap. 4.

BRVNO S. Gothardi Episcopi Alumnus. *Vide infra in Gothardo.*

XXXIII.

BRVNO Carthusianorum Patriarcha, sciens quia venit hora eius, conuocatis fratribus, ab ipsa infantia, suæ vitæ cursum eis patefecit; eosdem ad Charitatem, humilitatem, & perseuerantiam est adhortatus. Postea fidem suam de Tri- Oct. 6.

nitate,& Sacramentis exposuit; & demum proximo die Dominico, animam Deo reddit Anno Domini 1101.

Sur. tom. 5. Francisc. de Puteo, Petr. Sut. de vit. Carthus. lib. 2. cap. 7. Ranulph. lib. 7. cap. 4. vit. S. Hug. Gratianopol. De eo Baron. in Annal. tom. 11. & 12.

ANNOTATIO.

Mundum reliquerat BRVNO ex occasione miserandi spectaculi, cui adfuit, Doctoris insignis defuncti, in feretro se erigentis, & proclamantis, se accusatum; postmodum iudicatum; deinde damnatum esse: quod accidit Parisijs Anno Domini 1082.

Ex quo spectaculo ita fuit perterritus, vt accersitis sodalibus persuaserit sæculo secum valedicere, & locũ illicò Pœnitentiæ petere: illud Gregorij commemorans, qui Pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit.

XXXIV.

Oct. 11. BRVNO Episcopus Coloniensis aduersa laborans valetudine, testamentum condere voluit; quamuis familiares eius retardare eum vellent, valetudinem sibi in breui pollicentes: Quibus dixit: Dum tempus est hoc fiat, multa post hæc nobis alia restant agenda. Vocato igitur Notario, testamentum suum ipse dictauit; dumque adhuc in bona viueret spe valetudinis, omnia, quæ habuit, à se abalienauit; eaque dispersit, ac dedit pauperibus.

Aduocauit postea Episcopos aliquos, qui simul cum eo erant; & ijs assidentibus, hæc verba, fletu inundante, profudit.

Tria mihi videntur esse genera Confessionis, quibus se cor hominis Domino Deo suo, renum testi, & scrutatori cordium, patefacit: Non vt ipsi, qui nihil non nouit, lucidius innotescat; sed vt ille, qui se parum nouit, veraciter semetipsum agnoscat; & aut Deum in benefactis laudet; aut se in malefactis accuset. Hoc cum semper fieri debeat (sic enim vigilare præcipimur, ne fur veniat) tùm pulsante Domino domus per infirmitatis molestiam, necesse est, vt mens se, quibus possit viribus erigat; qua valeat intentione Iudici suo appropinquanti assurgat; sopitis terrenis desiderijs, spe ad superna flagret;

gret; bona perennia (& si non meruerit) minimè tamen desperet; sibi diffidat; in Domino confidat. Ecce fratres dilecti (sicut cernitis) pulsatur ianua pectoris mei (Anhelitus enim respiratione laborabat) vocor ad reddendam rationem operis mei; si quid potestis, rogo, ferte præsidium; orationis vestræ porrigite manum: Incertus inter spem, & metum feror: Misericordiæ remedium præstolor: In manu Creatoris mei sum; de me, quod ipsi placet fiat. Bonum est confiteri Domino. Confessio, & magnificentia in conspectu eius. Non enim aliquid boni, nisi ipso operante fieri potest. Est autem quædam Confessio, non peccata deplorans; misericordiam tamen implorans, de qua per Psalmistam dicitur ex persona Dei: sacrificium laudis honorificabit me; & illic iter, quo ostendam illi salutare meum. Hoc salutare, idest Dominum Iesum, nemo potest dicere nisi in Spiritu sancto. Ante illud est omne desiderium meum, & gemitus meus ab eo non est absconditus: dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, quę est secundum genus confessionis lamentabile in peccatis. Tertium (quod commendat B. Iacobus Apostolus, confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini) hoc vobiscum, Domini & fratres mei, agere volo: Hoc anxiè quæro. Spero autem quod aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. His dictis, se coram Domino totum effudit; & facta Confessione, Corporis, & Sanguinis Domini Sacramentum expetiuit: Quod cum fuisset allatum, toto corpore prostratus adorans, percepit. Refectus autem hac vitali alimonia, lectulo restitutus est, & dies quinq. in eodem corporis languore, & spiritus feruore permansit. Adueniente autem die vltima, suos videns de eius morte dolentes, dixit eis: Nolite tristari; tristibus his in breui læta succedent; illuc non absumpta vita, sed in melius mutata pergo, vbi viros longè plures, & clariores, quàm hic vnquam viderim, citò videbo.

Consuetum (paulò post) vespertinæ Laudis officium, &

Completorium cum fratribus consummauit; Domino Deo suo, Sanctorumque eius precibus sese (quasi mox iturum) attentius commendauit: Iter suum magno illo viatico muniuit; Episcopos, se ipsum, & eos qui præsto erant benedictione insigniuit; & ita dissolutionis suæ horam, animo intento ad Creatoris sui imperium expectauit. Exin, media nocte transacta, conuersus (nisu quo poterat) ad Theodoricum Episcopum nepotem suum, Domine (inquit) ora; & mox inter Psallentes Domino, & orantes, nimiumque flentes spiritum emisit, Anno salutis 953.

Sur. tom. 5. De eo Baron. in Annal. tom. 10. Anno eodem.

ANNOTATIO.

Fuit alius BRVNO Archiepiscopus Colonien. qui S. Bernardum consuluit de Archiepiscopatu suscipiendo, ad quem BRVNONEM hæc scribit S. Bernardus Epist. 8. Quæris à me consilium Vir Illustris Bruno, an volentibus te promouere ad Episcopatum acquiescere debeas? Quis hoc mortalium definire præsumat? Deus forsitan vocat; quis audeat dissuadere? Fortè non vocat; quis appropinquare consulat? Cætera per te legas, digna quæ legantur.

Ad eundem scripsit & epist. 9. cum iam Archiepiscopus consecratus esset, in qua hæc inter cætera.

Si cunctos qui vocantur ad ministerium constat eligi, & ad Regnum; profectò securus est Coloniensis Archiepiscopus. Quod si & Saulem in Regno, & Iudam in Sacerdotio legitur elegisse non alius, quàm ipse Deus; & non potest solui scriptura, quæ hæc asserit, timeat & necesse est Coloniensis Archiepiscopus.

XXXV.

Iulij 8. BRVNO Signinæ ciuitatis Episcopus transitum suum diuina reuelatione prænoscens, Clerum, & populum eiusdem ciuitatis ad se vocari fecit; & (quamuis febre correptus) ministrorum manibus sustentatus, & fenestræ domus suæ innixus, eumdem populum expectantem, de fidei constantia; fraterna dilectione; & bonorum operum perseuerantia compendioso sermone commonere voluit. Deinde extensa manu, benedictionem impertiens, ac valedicens omnibus, ad

lectulum

lectulum est reuersus; & facta confessione; cælestiumq. Sacramentorum perceptione munitus, migrauit ad Dominum die 18. Iulij, circa annum Domini 1120.

Legenda eius impressa Romæ 1543. Ferrar. in Catal. De eo Leo Ostiensis in Chron. lib. 4. cap. 33. & Petr. Diac. cap. 34. de Vir. Ill. Cassinen. Monast.

De eodem Baron. in Annal. tom. 11. & 12. Habetur etiam eius vita in M. S. Bibl. Val. ex tabulis Eccl. Signinæ.

XXXVI.

BVRCHARDVS Episcopus Herbipolensis, seu Vuirceburgensis; suum sciens instare obitum, orationem habuit ad populum; eique valedicens, successorem sibi subrogari postulauit. Aduersa deinde, & vltima correptus valetudine, tardantem, & (vt sibi videbatur) migrare recusantem animam, consolabatur, & hortabatur Psalmographi Canticis; nempe, Psal. 41. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, &c. & Psal. 42. Quemadmodum desiderat Ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum; Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Et Psal. 83. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum? Cumque sic oranti, & psallenti morbus ingrauesceret, suæ migrationis iter, sacro corporis, ac sanguinis Christi viatico præmuniuit; Atque in manus Domini tandem commendatum spiritum, alacritate maxima exhalauit, Anno Domini 791. Oct. 14.

Sur. tom. 5. Canisius Antiq. lect. tom. 4. De eo Trith. de Vir. Ill. Ord. S. Ben. lib. 3. cap. 186. & lib. 4. cap. 184.



CAN-

I.

Sept. 4. ANDIDA Iunior Neapolitana, cum Vir eius, & filius in grauissimum morbum incidissent, ex quo (salute à Medicis desperata) breui eos morituros intelligeret; Deum enixè rogauit, vt Viro, ac nato sanitati restitutis, sibi potius mori concederetur. Exaudiuit autem eam Dominus; illisque à morte (quodammodo) ad vitam reuocatis; ac pristinæ sanitati, restitutis, ipsa leui febre correpta, breui migrauit ad Dominum, Anno salutis 582.

Ferrarius in Catal. ex Paulo Regio lib. 2. de Sanctis Regni Neapolit. M.S. Vall. ex tabul. Eccl. Neapol.

ANNOTATIO.

Dicta est Candida iunior ad differentiam alterius Candidæ senioris, quæ Sanctum Petrum Neapoli Hospitio acceperat; de qua idem vbi supra.

II.

Iulij 15. CARILEPHVS Abbas Madoalensis morti proximus, post præclaras adhortationes suis fratribus factas, eosdem lugentes, his verbis est consolatus: Pater, & Congregator vester, qui in cælis est, si ad eius voluntatem vos confirmaueritis, nunquam vos deseret. Ego quidem iam dissoluor, & tempus est, vt pergam ad eum, quem à puero desideraui: Confortamini ergo, & Dominum benedicite; quia proficiscor dè morte ad vitam; à labore ad requiem. Quibus dictis, hortatus est eos, vt Psalmos Domino decantarent: ipse verò expansis in cælum manibus, hilari facie concinere cæpit illud Psal. 88. Misericordias Domini in æternum cantabo: & illud Psal. 30. In manus tuas Domine commendo spiritum meum; sacratissimoque Viatico munitus, adiecit ex Annæ cantico: Confirmatum est cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo: Inter quæ verba gaudens, & exultans emisit spiritum circa Annum Domini 542.

Sur. tom. 4. Molan. in Vsuard. De eo Baron. in Annal. tom. 7.

III.

CAROLVS Borromæus S.R.E. Cardinalis, cum sui corporis dissolutionem sibi instare intelligeret, in solitudinem Veralli montis secessit; vbi sculptis immaginibus, Dominicæ Passionis Mysteria repræsentantur: ibique diebus aliquot voluntària castigatione asperam, sed Christi dolorum meditationibus suauem vitam ducens, in febrim incidit; qua tamen grauatus, consueta pietatis, ac Pœnitentiæ exercitia intermittere noluit; donec, morbo ingrauescente, Mediolanum est redire coactus. *Nou.4.*

Ad Archiepiscopatus ædes perductus (aliorum magis, quam suæ salutis anxius) famuli cuiusdam infirmi curationem præcipuam, Præposito familiæ commendauit; & antequam, ipse in lecto se collocari pateretur, voluit Oratorium, de more, ad orandum petere.

Accersito deinde Medico, se se ei curandum tradidit, hac tamen cõditione, vt remedia quidem, quæ vellet sibi adhiberet; sed cõsuetas preces, & pias exercitationes nullatenus impediret. Quamuis, cum vellet manè Horarias preces (quemadmodum ad illud vsque tempus fecerat) recitare, Patris Adorni Confessarij sui suasu (cuius voluntati, & obedientiæ in omnibus se subdiderat) satis habuit, alium eas recitantem audire.

Ad interitum tandem ipsamet die properans (præcipiti lapsu viribus deficientibus) enixè petijt Ecclesiasticis se muniri sacramentis. Sacrosancta igitur allata Eucharistia, Vir sanctus, capite, brachijs, toto denique corpore nisus est assurgere; sed non valens, alijs iuuantibus, ita saltem sese extulit, vt (linea veste, ac stola collo inducta) religiosè sacrum acciperet Viaticum; quod extrema (ritè adhibita) Vnctio statim est subsecuta.

Cum autem sensus paulatim restinguerentur, Adstantes omnes, genibus positis petierunt sibi benedici; manumque ille ad benedicendum mouit; sed cum tollere non posset vt (de more) Crucis signo benediceret, alio adiuuante, & bra-

chio

chio eleuante, benedictionem omnibus impertiuit. Tum recordati familiares eius quomodo cuperet Vir sanctus in cinere, & cilicio mori (quemadmodum sancti olim Episcopi consueuerant, & ipsemet in Rituali innouari iusserat) Cilicium, & cinerem ei imposuerunt; quo imposito, cum ab occasu solis, ad tertiam vsque noctis horam in mortis Agone desudasset, oculis in Crucifixi imaginem defixis; vultu hilari, & dormienti similis, requieuit in pace Pridie non. Nouembris 1584. Qui postea à Paulo V. Pont. Max. in Sanctorum relatus est numerum Anno Domini 1610. Cal. Nou.

Vit. eiusdem per Io. Giussanum Italicè.

ANNOTATIO.

Oblectabatur se valde CAROLVS cadauerũ aspectu, & libenter intererat eorundem sepulturæ, dicens hoc sibi plurimum prodesse ad mortis, & vitæ æternæ memoriam comparandam.

Oblectabatur se quoq. infirmitatibus suis, easque voluptatis loco ducebat; semotis enim curis, tunc quiescere, sibique ipsi liberius dabatur attendere.

Tanta autem fuit eius vitæ austeritas, vt (sicut Franciscus Panicarola in sua oratione funebri admirabatur) nihil amplius suis, quàm canis, Domini facultatibus vsus fuerit; Pane scilicet, aqua, ac modicis Paleis.

Plurima essent de tanti viri pietate; humilitate; rerum ac mundi contemptu; cæterisque virtutibus expendenda; sed (ijs omnibus omissis) sat erit eximiam eius charitatem in pauperes, ac morbidos commemorare; præsertim in peste laborantes; quos non solum paterno affectu reficiebat, sed Ecclesiæ Sacramentis, proprijs ipse manibus, muniens, mirum in modum solabatur. Idipsumque fieri per alios sedulò curabat.

Accidit autem, dum omnes eiusmodi charitatis, & Christianæ pietatis officijs incumberent, insigne quoddam, & memoratu dignum facinus; cum enim summo mane presbyter quidam Eucharistiam ad egrotos suos afferẽs, non longè à loco, in quẽ cadauera deportabantur, præteriret, ex magno corporum aceruo, quæ proxima nocte illata fuerant, vnus sese attollere visus est; genibusq. consistere; qui simul voce, verbisq. interruptis: Per Deum (inquit) obsecro Pater, mihi quoque. Cumque à Sacerdote statim, omni

pietatis

pietatis indicio, Sacramentum accepiſſet, eodem loco procumbens, nullo præterea motu iacuit.

IV.

CASSIO Epiſcopo Namienſi (per cuiuſdam ſui presbyteri viſionem, mandauit Dominus dicens; age quod agis; operare, quod operaris; non ceſſet pes tuus; non ceſſet manus tua; Natali Apoſtolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Cum igitur poſt huiuſmodi mandatum, ad annum ſeptimum, & ad eiuſdem expectati Natalis ſacras vigilias perueniſſet, lenis eum calor attigit; atque ipſo die Natalitio, filijs ſuis expectantibus, Miſſarum ſolemnia implere ſe poſſe recuſauit: Illi verò qui erant de eius egreſſu ſuſpecti, ſimul ad eum omnes venerunt; ſeſe vnanimiter adſtringentes, vt die eodem, nequaquam Miſſarum ſolemnia celebrarent, niſi pro eis ad Dominum idem Antiſtes interceſſor accederet. Tunc ipſe (compulſus eorum precibus) in Epiſcopi Oratorium Miſſas fecit, & manu ſua corpus Domini omnibus tribuit. Quo ſacrificii miniſterio peracto, ad lectum redijt; ibique iacens, dum Sacerdotes ſuos, ac miniſtros circumſtare ſe cerneret (quaſi vale vltimum dicens) de ſeruando pacis vinculo; & quanta deberent inter ſe vniri concordia, eos admonuit. Tùm ſubitò, inter ipſa exhortationis verba, voce terribili clamauit dicens: Hora eſt, moxque aſſiſtentibus ipſe ſuis manibus [a] linteum dedit, quod (ex more morientium) ſibi contra faciem tetenderunt; quo tenſo, ad Dominum feliciter migrauit. Anno ſalutis 558. Greg. hom. 37. in Euang. *Iun. 29.*

ANNOTATIO.

De Caſſio hæc ſubdit Gregorius in eadem homilia. Quem fratres chariſſimi, quem vir iſte in morte ſua imitatus eſt, niſi eum, quem in vita ſua fuerat contemplatus? Dicens enim, Hora eſt, de corpore exijt, quia, & Ieſus peractis omnibus, cum dixiſſet, conſummatum eſt, inclinato capite tradidit ſpiritum. Quod ergo Dominus ex poteſtate; hoc egit famulus ex vocatione.

De

De eo etiam dial.lib.3. cap.6. hæc præcipuè.

Cum Rex Totila Narnis venisset, ei vir vitæ venerabilis CASSIVS, eiusdē vrbis Episcopus, occurrit: cui quia ex consperfione semper facies rubere consueuerat, hoc Rex Totila non consperfionis esse credit, sed asiduæ potationis; eumque omninò despexit: Sed omnipotens Deus, vt qualis vir esset, qui despiciebatur, ostenderet, in Narniensi campo, quò Rex aduenerat, malignus spiritus, coram omni exercitu eius, Spatharium inuasit, eumque vexare crudeliter cępit. Qui cum ante Regis oculos ad venerandũ virum CASSIVM fuisset adductus; hunc ab eo vir Domini (oratione facta) signo Crucis expulit. Sicque factum est, vt Rex Barbarus seruum Dei, ab illo iam die, veneraretur ex corde, quem despectum valde iudicauit ex facie.

De eodem pariter idem Gèeg. Dial.lib.3.cap.6.& lib.4.cap.56. Surius item tom.3. Petrus de Natal. lib.6. cap.25. Lippom.to.1.

[a] Linteum dedit.

Quid sibi velit hæc lintei traditio, & quænam fuerit consuetuto illud contra faciem morientium extendendi, colligi potest ex Baronio Annal.tom.3.Anno Christi 337. Vbi occasione Numismatis Constantini Imperatoris, altera parte capite obuoluti (quem defunctum significari probat) hæc ait. Veli appositio apud Gentiles Hieroglyphicum erat noctis, ac vitæ humanæ termini, vltimique eius finis; prout in antiquis sepulchris hoc egregiè expressum habetur; præcipuè in Ecclesia S.Laurentij in Agro verano; in cuius ingressu à dextris sepulchrum adest: his signis nobiliter sculptum: vbi in vitæ cursus fine, quadrigæ equis in procliue deorsum ad inferna loca labentibus, noctis inest simulachrum, velum obtendentis, per quod finis temporum designatur: & in alio sarcophago apud (ædes Tiberij Ceuli in Atriolo ad secundum scalarum ordinem posito, iuxta Cereris (quærentis Proserpinam) currum, noctis inest simulachrum, nempè, Alata fæmina cælum prætendens, quo tùm lucis præsentis vitæ finis significatur. Hæc Baron.

Per huiusmodi igitur lintei, seu veli appositionem, & ostensionem, conijcere forsan licebit, eundem ad illa vsque S.Cassij tempora perdurasse morem; quo maiori pietate Christiani admonerentur, finem eorum iam aduenisse, iamiamque sibi esse migrandum.

Nisi forsitan animæ immortalitatem hoc eodem pio Hieroglyphico significari velimus; quo demigrans excitetur ad æternitatem ingrediendam, curandanque beatam; pariterque adstantes erudian-

erudiantur per corporis diſſolutionem, animam non diſſolui, ſed immortalem eſſe. Æternitatem etenim, velo obductam conſueuiſſe effigiari, notiſsimum eſt.

Scimus etiam conſueuiſſe Gentiles, lecti vela obducere morientium; pietatis ergò, à carorum funere oculos auertentes: ſancitumq. erat lege Meuia, ne filij patribus luci claro ſugillent oculos, ideſt: Ne filij parentum oculos dum morerentur clauderent clara luce, vt exponit Antonius lib. de legibus, relatus à Iacobo Gutherio de iure Manium cap. 13. Vbi de huiuſmodi parentum, ac liberorum more diſſerit pluribus.

Vide infra de Huberto Leodien. qui ſub mortem velum pariter ſibi oppandi iuſsit.

V.

CASTRENSIS Capuæ Epiſcopus obitum ſuum ſibi imminere cognoſcens, conuocatis fratribus monita tradidit ſalutaria; eiſque omnibus oſculatis, annunciauit, ſe poſt tres dies à Chriſto Domino gaudium æternæ hereditatis percepturum. Quo temporis ſpacio ſanctam Dei plebem iugiter docuit, & de ſuo mœrentem diſceſſu eſt conſolatus, dicens: Nolite filij mei ad hoc mentes veſtras triſtando deducere, vt vos viduatos poſt diſceſſum meum ab æterno Domino credatis. Ego enim de Dei miſericordia ſecurus, hoc vobis ſolatium ſpondeo, quia nunquam abſens ero ſpiritu ab huius loci defenſione. Quibus dictis, ita ſe lætum, atque iucundum exhibuit, ac ſi epulaturus ad conuiuium proficiſceretur. *Febr. 1.*

Illuceſcente tandem die tertia, conuocatis omnibus, lætus & gaudens diuina celebrauit Myſteria. In qua celebratione, dum ſecretæ inchoaret principia, diuinitus tanto lumine facies eius, & corpus irradiatum eſt, vt nullus eſſet è circumſtantibus, qui eum perſpicuè conſpicere valeret. Splendor autem non abſceſſit, donec expleta Miſſa, coram adſtantibus cunctis ſeſe in ſepulchro collocauit; vbi Sanctum Deo reddidit ſpiritum.

M.S. Bibl. Vall. ex antiquiſſimo M.S. Cod. Eccleſiæ maioris Ciuitatis Montisregalis, in qua eius corpus religiosè aſſeruatur. Ferrarius hac die ex Breu. antiquo Capuano, & veteri M.S.

CATHA-

V I.

Sept. 15. CATHARINA Adorna Genuensis vltimo suæ peregrinationis anno, non solum corporis sanitate, sed omni prorsus fuit spiritus consolatione destituta; adeò vt aspectus eorum, quos ipsa diligebat, & ipsius quoque Confessarij, ferre non posset; solitudinem tantummodo cupiens, & conuersationis refrigerium omninò abhorrens. Dum verò in huiusmodi statu arida, atque anxia permaneret, audita est ab eodem Confessario latitante, sic Deum mœrens expostulare: Quid vis, vt faciam amplius in hoc mundo Domine? Sensus meos internos, ac externos amisi; ad omnia me inutilem, & velut mortuam video: Nulla creatura me intelligit; solam, incognitam, pauperem, nudam me reperio, & à me ipsa alienam, mundo auersam, atque contrariam; & ideò non possum Domine, cum creaturis amplius vitam in terris ducere. Quibus dictis, Confessario tunc se prodente, consolatus est eam Dominus, redijtque (Deo largiente) animæ tranquillitas. Morbo tamen corporis laborauit assiduo; ardore scilicet maximo intus, & foris; ita vt aqua gelida ad suarum manuum tactu calefieret; & vas ipsum, quod eam continebat, tantum contraheret exinde calorem, vt vix tangi posset. Doloribus quoq. maximis præmebatur, adeò vt ex eorum vehementia exclamare fortiter aliquando cogeretur. His & alijs grauata morbis, nullum sentiebat ex medela leuamen; quinimò grauabatur ex ea, & affligebatur magis; cumque hoc certò sciret, medicis tamen eam curantibus, semper obtemperare voluit; donec & ipsi vanam esse eorum curationem intelligerent, atque experimento dignoscerent.

Iacebat interim in lecto immobilis, extensis brachijs; Crucifixi imaginem repræsentans; tantisque oppressa doloribus, nil aliud inclamabat assiduè, nisi: benè veniat; benè veniat, hæc passio, & quoduis aliud tormentum à dulcissimo & dilectissimo Domino meo mihi elargitum. Apparuit aliquando sibi Dæmon; ex cuius aspectu territa, loqui non valebat, sed innuebat circunstantibus, vt eam signo Crucis signarent; af-

ferrent item ſuperpelliceum, & ſtolam cum aqua benedicta. Quotidiè ſacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ſe reficiebat; nil autem aliud (nec vnam Aquę guttulam) deglutire valebat.

Poſtrema tandem vitæ ſuæ adueniente die; & mortis hora iam imminente, cum interrogaretur; an vellet de more Euchariſtiam ſumere? Et ipſa ſcire vellet; an eſſet hora, qua aliàs, eodem ſacratiſſimo Sacramento refici conſueuerat; audiens nondum adeſſe (erat quippe tunc ſexta noctis) erexit digitum; cælum verſus; illic ſignificans ex tunc ſe refecturam; & emiſſo dulci ſuſpirio, reddidit ſpiritum 15. Sept. 1510.

Sanctuar. Genuæ Italicè, Auctore Mariano Grimaldo.

VII.

CATHARINA Virgo pariter, & vidua S. Birgittæ filia, morbo lethali correpta, peccata ſua, non ſolum quotidiè (ſicut conſueuerat annis plurimis, ſed bis, terue in die confitebatur. Euchariſtiam autem moritura ſuſcipere non valens, ob ſtomachi paſſiones, quibus laborabat, deuotione maxima eſt venerata, & demum eleuatis in cælum oculis, quod lingua non potuit, ſpiritu Dominum deprecata, ſpiritum reddidit Anno ſalutis 1381. *Sur. tom. 2.* *Mart. 21*

ANNOTATIO.

Defuncta Catharina, ſtella apparuit ſupra domum eius, quæ antecedere funus; & ſuper idem manere (donec ſepulturæ traderetur, à pluribus viſa eſt. *Idem Sur. cap. 18.*

Simile habetur in Prat. ſpir. cap. 6. de Monacho in Xenodochio Hierucũthino defuncto; quem cum fratres ad ſepeliendũ in Monaſterio deferunt, ſtella ſuper eiuſdem defuncti corpus apparuit; & quaſi comes itineris, funus eſt proſecuta, donec ſepulturæ corpus traderetur.

Illud quoque mirandum accidit in Catharinæ funere: dum etenim ad eius corpus, inter concurrentium turbas, aduenisset Tordo Epiſcopus Strengenenſis (qui dum viueret ſingulari familiaritate, ac deuotione erat ei coniunctus) manum eius comprehendens, & eius ſe precibus commendans, ſenſit ille manum ſibi ſuam fortiter comprimi, vt fieri ſolet inter illos, qui fœdere iunguntur. *Idem Sur. ibidem.*

Viro orbata Catharina Lubricæ suæ timens ætati, dum Eucharistiam erat sumptura, orauit Dominum (ipso Sacerdote audiente) ne fineret eam in peccata labi; & sicut militem egregium sui pudoris habuit custodem (illo iam vita functo) committere eam dignaretur S. Sebastiani custodiæ, militis cumprimis strenui, & martyris sui Sanctissimi. Quod obtinuisse certum est: pluries etenim eius fuit experta postea tutelam. *Idem Sur. cap. 7.*

Plura essent hic de eius vitæ sanctitate, ac miraculis non ociosè recensenda, sed cæteris omissis, illud non reticendum quod habet Surius cap. 18. his verbis.

Accidit quandoque vt Catharina Romæ manente, Tiberis tanta existeret inundatio, vt Romani Vrbis excidium vererentur. Itaque habito consilio, aduolant ad S. Catharinam, orant vt ne grauetur cum ipsis descendere ad insanientem fluuium, suas preces illi oppositura. Illa cum lachrymis negat, se indignam arbitratam. At Romani eam, vel inuitam, tollunt, & è domo exportatam, sæuientibus vndis obijciunt. Mox vt illa aquas pedibus attigit, eæ retrorsum abiere, suum alueum repetentes.

V. I I I.

Mar. 9. CATHARINA Virgo Bononiensis graui se morbo corripi sentiens, eoque morituram cognoscens, antequam grauius opprimeretur, aduocauit Moniales omnes, quibuscum per trium horarum spatium locuta est; virtutum eis exercitia, quæ sectarentur, & vitia quæ fugerent ostendens.

Triduò post, in lecto decubuit, maximis afflicta doloribus; peccata confiteri voluit; & confessione peracta, oculos in cælum eleuans, & ex intimo suspiria trahens, conqueri visa, & audita est cum Iesu, quòd suo non satisfecerit desiderio (subditam scilicet non Prælatam moriendi) diuinæ tamen acquiescens voluntati: Quoniam (ait) sic placitum fuit Domine ante te, non mea, sed tua voluntas fiat.

Sacro munienda Viatico, decenter locum (vbi poneretur sanctissima Eucharistia) parari fecit; & interim Moniales allocuta est iterum, & adhortata; pacem eis pro testamento relinquens: Deinde voluit pias aliquas cani laudes Italicè; illam præcipuè, quæ sic incipit: Anima benedetta dall'altö Creatore, riguarda il tuo Signore, che confitto t'aspetta; quam

Vesperi etiam præcedenti, maxima cum animæ voluptate audierat, & ipsa quoque cecinerat. Flentibus autem omnibus, dixit, suam se non agnoscere filiam, quæ fleret, vel flere iam non desisteret; cum potius gaudere, & lætari deberent, videntes eam è præsentis educi vitæ carcere; & illuc properare, vbi semper læta foret, ac felix.

Dum hæc & similia diceret, cognouit diuinitus, Confessarium (qui Sacrosanctam Eucharistiam afferebat) ad Monasterij ianuam peruenisse; iussitque Ostiariæ, vt properaret, & eum introduceret. Ea igitur allata, ac de manibus eiusdem Confessarij deuotissimè suscepta (venia prius à monialibus omnibus postulata, & earumdem orationes efflagitata) facies eius mirum in modum exhilarari visa est; & paulatim deficientibus viribus, vultu pulchriori, ac lucidiori apparente, aspexit adstantes omnes; & Sanctissimi Iesu nomen tertiò inuocans, breui suspirio spiritum reddidit 9. Martij. 1463. ætatis 50.

Vita ipsius per Christophorum Mansuetum cap. 27. & seq. De ea Tossinianus hist. Seraph. lib. 1. Franc. Gonzaga, de orig. Seraph. rel. Francisc. p. 2.

IX.

CATHARINA Virgo, S. Franciscæ Romanæ alumna, morbo lethali correpta ad finem vitæ deuenit; cumque iam esset decessura, nec suus adesset Confessarius (qui tunc Roma aberat) dolens Francisca orauit, precibusque à Domino impetrauit mortis dilationem, donec ille rediret, à quo Sacramentis Catharina muniretur. Sex igitur diebus, totidemq. noctibus in agone desudauit moriens; iisque transactis, venit Confessarius, à quo sacris, atque expetitis fuit munita præsidijs. Conuocat deinde sorores Francisca, eas pro migrante iubet orare: Recitant simul preces, quas Litanias vocamus, Sanctorum implorantes auxilium; orat demum ipsa Francisca tacens, & cum paululum orasset, surgens à terra, ad Catharinam accedit; eamque ad Creatorem suum abire iubet. Quæ obedire assueta, dictis illicò paruit, & in pace quieuit.

Iul. Orsinus Soc. Iesu in vit. S. Francisca Romana lib. 5. cap. 16. Italicè.

X.

Apr. 29. CATHARINA Virgo Senensis, cum ad supremum vitæ suæ diem peruenisset, vocauit ad se omnes, quos in Christo genuerat, egregiumque ad illos sermonem habuit; licet membris omnibus (Dæmonum crudelitate) immanissimè torqueretur. Deinde ab omnibus veniam petijt; & cum salutiferis Ecclesiæ Sacramentis se communiri, ac plenariam peccatorum omnium condonationem, Pontificia sibi auctoritate impendi curasset, mortis cæpit angoribus corripi; & cum teterrimo hoste in singulare certamen ingredi. Quod quidem ex factis, ac dictis eius animaduerti poterat: Quandoque enim tacebat; nonnumquam respondebat; ridebat interdum, tanquam sibi obiecta irrideret. Cumque semel perticuisset paululum (quasi quæ dicebantur auscultans) læto respondit illicò vultu: Vanam gloriam nunquam; sed veram vtique gloriam, & laudem præpotentis Dei.

Tandem post longum agonem (tartareis deuictis spiritibus) ad se reuersa, Confessionem generalem dicere voluit; iterum sibi absolutionem, & peccatorum condonationem impendi rogans. Qua obtenta, repentè cæpit viribus destitui; non tamen à sacris cessabat admonitionibus; donec supremum adesset vitæ punctum. Quo imminente, verbis illis prolatis: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, felicissimè ad Christum, quem diu concupierat, emigrauit. Anno 1380. ætat. plus minus 33.

Sur. t. 2. ex Raimundo S. Virginis Confessario, & Stephano Senensi Carthusiano, eidem Virg. familiaritate coniuncto. Antonin. 3. p. t. 23. cap. 14.

ANNOTATIO.

Cupiens Catharina Iacobum patrem suum, morti proximum, à Purgatorij pœnis liberum, & immunem reddi; rogauit Dominum, vt illum, absque eisdem pœnis ad se reciperet; sed hac in re diuina Iustitia diu difficilem se præbente, eo quod non esset Iaco-

bus sine maculis quas ad parum excoqui oporteret, obtinuit tandem, vt pœnas patris ipsa in se reciperet; & eodem puncto, quo ille abijt è corpore, Sanctam Virginem iliaci dolores inuaserunt; ijsq; sine intermissione (ad supremum vsque vitæ suæ diem) ipsa laborauit.

Lapa eius mater (post mariti obitum) cœpit aduersa laborare valetudine; virgini verò Catharinæ pro eius incolumitate oranti, respondit Dominus, expedire ei, vt è vita decederet. Retulit hoc matri Catharina, sed illa, vitæ præsentis amore, mortem refugiens, atque abhorrens, rogabat filiam, vt à Christo Domino viuendi sibi longiora spatia impetraret. Dolet Sancta virgo; rogabat nihilominus Christum suum, ne sineret matrem mori, nisi ipsius voluntati magis conformem. Audit igitur Dominus precantem virginem; & licet increscere sinat morbum, non tamen patitur eo Lapam extingui: sed ecce dum inuictum Deum propemodum vincit Sancta virgo, precum suarum instantia, matrem tamen flectere non potest. Iussit itaque Christus eam dicere matri, iam quidem nolle ipsam mori; sed futurum quandoque, vt mortē valdè cupiat, nec voto possit potiri suo: & ita sanè euenit. Tot etenim aduersa ad vltimam vsque senectutem ei acciderunt, ex ijsdem, quas amabat rebus, vt dicere postea soleret: Ita nè transuersim posuit Deus animam meam in corpore, vt inde exire non possit? & tandem sine confessionis Sacramento mortua est. Sed virgo Sanctissima (oculos cum lachrymis ad cœlum eleuans) Dominum contestata est dicens; se ab eo loco nunquam discessurā, donec matrem ei viuam restitueret. Quæ quidem verba audientes tres fœminæ, quæ eam morientem viderant, non ausæ fuere corpus exanime demandare sepulturæ, donec viderent, quem exitum Sanctæ virginis preces essent habituræ. Orante igitur ea vberrimis lachrymis, reuixit Lapa; & vitam produxit adhuc ad ætatis annum 89. sed multis comitatam aduersitatibus, & afflictam iugiter, sicut ei filia prædixerat.

Plura ex Dialogorum libris, ac eius Epistolis colligi possunt notatu digna.

Pius II. Pont. Max. adscripsit eam in Sanctarum numerum: qui & luculentam habuit Orationem in publico Consistorio, ipsa die, qua eam in numerum Sanctarum erat relaturus.

XI.

CATHARINA de Vuesthusen Monialis Argentinen. dū

 viueret

viueret ſcrupulis admodum agitata fuit;hoc tamen boni, præter alia, in ſe habuit, vt audito ſuperioris ſui, vel alterius ex fama, boni, & ſapientis Viri iudicio, in aliqua ſibi dubia materia, acquieſcebat ſtatim. Hæc igitur,cum vna die (inopinatè ſatis)infirmaretur, & timerent omnes, qui eam nouerant, ne tunc ſuis ſcrupulis in periculo puſillanimitatis amplius poneretur; ex Diuina miſericordia actum eſt, vt ſcrupulus omnis, atque inordinatus timor ab ea diſcederet; Vnde ad fratrem quendam(nomine Ioannem)Confeſſarium ſuum dixit: Ecce Pater, ſcis quàm erronea fui, & timida in conſcientia nimium; ſed Dei gratia totum abſceſſit. De peccatis, à me confeſſis,& commiſſis remiſſionis gratiam piè,& fidenter ſpero, & credo; & ita(inuocans B.Petrum Apoſtolum, ſuumq; diſcipulum Apollinarem,quos peculiariſſimè inVita corde, ore,& opere dilexerat)præmunita Eccleſiæ Sacramentis,vita deuotè functa eſt.

Io. Nyder in formicar. lib.2.cap.12. Qui teſtatur, cum hac Moniali plurimum ſe occupatum fuiſſe, vt puſillanimitatem eius compeſceret.

XII.

CEDMON Anglus Monaſterio Hildæ Abbatiſſæ inſeruiens, infirmitate non admodum graui (quatuordecim iam diebus ante ſuum ſibi præcognitum exitum) correptus, incumbente nocte, qua de ſæculo erat tranſiturus,rogauit Miniſtrum, vt induceret eum in domum Monaſterio proximã; in qua infirmiores, & qui propè morituri videbantur, induci ſolebant; qui miratus cur hoc rogaret, cum nequaquam adhuc moriturus eſſe videretur, fecit nihilominus, quod ille voluit. Cumq. ibi poſitus viciſsim aliquando gaudenti animo cum eis, qui ibidem antea inerant, loqueretur,& iocaretur; atque iam mediæ noctis tempus eſſet tranſactum;interrogauit eos, an intus Euchariſtiam haberent? Reſponderunt autem, quid opus eſt Euchariſtia? neque enim mori adhuc habes, qui tam hilariter nobiſcum, velut ſoſpes loqueris:Rurſus ille; & tamen erit; afferte(inquit)mihi Euchariſtiam,qua

accepta

accepta in manu, interrogauit, si omnes placidũ erga se animum, & sine querela controuersiæ, ac rancoris haberent? Responderunt omnes, placidissimum; eumq. vicissim rogarunt, placidam erga ipsos mentem habere; qui confestim respondit: Placidam ergo mentem filioli erga omnes famulos Dei gero; sicq. cœlesti se muniens viatico, interrogauit iterum, quàm propè esset hora, qua fratres ad dicendas Domino laudes nocturnas excitari deberent? Responderunt, non longè est; At ille: Benè (inquit) Ergo expectemus horam illam; & signans se signo Crucis, reclinauit caput ad ceruical; modicumq. obdormiens, cum silentio vitam finiuit.

Lippom. tom. 2. in vita Hilda Abbatissæ, ex Beda Hist. Angl. lib. 4. cap. 24.

ANNOTATIO.

Quamuis iste CEDMON, laycus, simplex, & absque literis esset, Diuina tamen gratia specialiter insignis, carmina Religioni, ac pietati apta, facere solebat; itaut quidquid ex diuinis literis per interpretes disceret, hoc ipsum postea verbis Poeticis maxima suauitate, & compunctione compositum, in sua (Anglorum scilicet) lingua proferret: cuius Carminibus multorum sæpe animi ad contemptum sæculi, & ad appetitum sunt vitæ cœlestis accensi. Non etenim ab hominibus institutus, canendi artem didicit; sed Diuinitus donum huiusmodi gratis accepit. Vnde nihil vnquam friuoli, & superuacanei Poematis facere potuit; sed ea tantummodo, quæ ad Religionem pertinent, religiosa lingua dicebat. Si quidem in habitu sæculari nil carminum vnquam didicerat; sed cum aliquando in quodam conuiuio, in quo ipse aderat, decretum esset, vt omnes per ordinem cantare deberent; ille vbi appropinquare sibi citharam vidit, surrexit à media cœna, sicut sæpius antea fecerat, & egressus in domum suam, resedit in stabulo iumentorum, quorum custodia erat ei delegata; cumq. ibi hora competenti, dedisset membra sopori, astitit ei quidam per somnium, eumq. salutans, ac suo appellãs nomine: CEDMON (inquit) canta mihi; at ille respondit: Nescio cantare; nam ideò de conuiuio egressus, huc secessi, quia cantare non poteram. Rursus ille; Attamen (ait) cantare mihi habes. Quid (inquit) habeo cantare?

At ille, canta (inquit) principium creaturarum. Quo accepto responso, statim cepit ipse cantare in laudem conditoris, versus, quos nunquam audierat, nec nouerat: Exurgens autem à somno, cuncta quæ dormiens cantauerat memoriter tenuit, & his mox plura (in eundem modum) verba, Deo digni Carminis adiunxit: Veniensq. manè ad Villicũ, qui sibi preerat, quid sibi accidisset indicauit; atque ad Abbatissam Hildam perductus, iussus est, multis doctis viris præsentibus, indicare somnium, & carmina dicere; Visumq; est omnibus cœlestem ei à Domino concessam esse gratiam: exponebantq; illi aliquem Sacræ Historiæ, siue Doctrinæ sermonem, & ille (suscepto negocio) manè rediens, optimo carmine compositum reddebat. Vnde mox Abbatissa, Dei gratiam in viro amplexa, secularem illum habitum relinquere; susceptumq. in fratrum suorum Monasterio, Cohorti eorum associauit; iussitq. illum seriem Sacræ Historiæ doceri. At ipse cuncta, quæ audiendo discere poterat, in carmen dulcissimum conuertebat; quo cunctos ab amore sceleris abstrahere, & ad solertiam bonæ actionis excitare curabat. *Idem ibidem*.

f Accepta in manu.

Eucharistia olim in manus cuiusq. dari solebat. Accedens siquidem ad communionem expansis manuum volis, sinistram subijciebat dexteræ in modum Crucis; & sic manu concaua corpus Christi suscipiebat, dicens: Amen. Mulieres autem non manu nuda sicut viri, sed linteamine mundo (quòd dicebatur Dominicale) cooperta, Eucharistiam percipiebant.

De huiusmodi cõsuetudine. *Baron. in Annal. to. 1. an. 57. fusius.*

XIII.

Oct. 10. CERBONIVS Populonij Episcopus, cum in ea Ecclesia, cui præerat, sepulchrum sibi præparasset, ingruente ægritudine ad mortem veniens, Clericis suis, sibiq. obsequentibus præcepit dicens: In sepulchro meo (quod mihi præparaui Populonij) me sepelite; cui illi cum dicerent, corpus tuum illuc qualiter reducere possumus, qui à Longobardis teneri loca eadem, & vbiq. eos discurrere scimus? ipse respondit: Reducite me securi, nolite metuere; sed festinè sepelire me curate; moxq. vt sepultum fuerit corpus meum, ex eodem loco sub omni festinatione recedite. Defuncti igitur corpus imposuerunt naui; & cum immensa nimis pluuia erumperet,

circa vtraq. nauis latera deſcendens, in eadem naui vna pluuiæ guttula non cecidit. Sepulto corpore, & ad nauem ſub feſtinatione reuerſis Clericis; mox in eundem locum, vbi vir Domini ſepultus fuerat, Longobardorũ Rex aduenit.

Sur. tom. 5. ex Greg. Dialog. lib. 3. cap. 11. De eo Sigebertus in Chron. anno 536.

ANNOTATIO.

Hoſpitalitatis ſtudio erat valdè Cerbonius intentus; cumq. die quadam tranſeuntes Milites hoſpitio ſuſcepiſſet, Gothis ſuperuenientibus, eos abſcondit; eorumq. vitam ſeruauit. Quod dum Totilæ Gothorum Regi nunciatum fuiſſet, ad locum, qui Merulis dicebatur, octauo ab Vrbe Roma milliario (vbi tunc ipſe cum exercitu ſedebat) eum duci iubet; ac in populi ſpectaculo, Vrſis ad deuorandum proijci. Cumq. idem Rex conſediſſet ad inſpiciendam mortem Epiſcopi, dimiſſus eſt Vrſus è Cauea, qui ſuæ feritatis oblitus, deflexa ceruice, ſubmiſſoq. humiliter capite, lambere Epiſcopi pedes cœpit. Tunc ad eius reuerentiam colendam, & Rex ipſe cum populo perductus eſt. *Idem Greg. ibid.*

XIV.

CAESARIVS Epiſcopus Arelatenſis erga Sanctum Auguſtinum deuotiſsimus, cupiens in eius die ſolemni ex hac vita migrare; ſuumq. ſibi diſceſſum propè adeſſe prænoſcẽs; ſciſcitatus eſt, quàm proxima eſſet eiuſdem Sancti ſolemnitas. Cumq. eam imminere iam didiciſſet, ad iter ſe accingens, teſtamentum condidit, piiſſimum, & lectu dignum. In Monaſterium deinde virginum (cui præerat Sancta Cæſaria ſoror eius) geſtari ſe fecit: conſolatus eſt eas, diſceſſum lugentes; & ad palmam tendere ſupernæ vocationis eſt cohortatus; dataq. eis Oratione, ac benedictione, Vale vltimum dixit, & ad Eccleſiam eſt reuerſus. Pridie autem Sancti Auguſtini depoſitionis, cum valedixiſſet itidem cunctis, inter manus, qui aderant, Pontificum, Presbyterorum, ac Diaconorum, beatam animã lætus emiſit, anno Domini 554. ætat. 73. *Aug. 27.*

Sur. tom. 4. ex Cypriano S. Cæſarij diſcipulo. In Chronico Lerinenſi habetur eiuſdẽ vitæ prima pars ex Cypriano, & altera

rà ex Mesiiano Presbytero, ac Stephano Diacono; pluraq. de eodem Cæsario ibidem leguntur.

ANNOTATIO.

De Sancta Cæsaria, Greg. Turon. hist. Franc. lib. 3. cap. 40. & 42. Vbi de regulis eius à Sancto Cæsario conscriptis meminit; sub quibus S. Radegundis Regina, & aliæ, monasticam vitam exercuerunt.

Voluit S. Cæsarius, atque etiam compulit Laicos, & populares homines (factus Episcopus) Psalmos, & Hymnos promere: altaq. & modulata voce (instar clericorum) alios Græcè, alios Latinè, Prosas, & Antiphonas decantare; ne illis spatium ad fabulas in Ecclesia effutiendas suppeteret.

Aegrotis mirè consuluit misericors Pater; amplissimis eis assignatis ædibus; in quibus sine vllo strepitu, diuina officia, quæ in Basilica peragebantur, auscultarent.

Plures edidit Cæsarius Homilias, quæ eius sanctitatem legentibus redolent.

XV.

CHARITON Confessor, cum suum à corpore excessum (vel potius ad Deum accessum) ex diuina reuelatione cognouisset, accersitis ad se trium Monasteriorum Monachis, egregiam ad eos habuit orationem. Qua peracta, cum precatus esset salutem animæ; & eis benedixisset, nullum sentiens morbi sensum; nec partium corporis vllum dolorem, in quodam lecto accumbens, remisit pedes, & emisit animam.

Sept. 28.

ANNOTATIO.

Dicitur Confessor CHARITON, quia olim in tormentis, Christi Domini fidem confessus fuerat. Neruis enim aliquando crudeliter fuit cæsus.

Ad Tribunal ductus dixit se esse discipulum S. Theclæ, & Pauli, qui eam instruxit; Vnde ipse quoque dicebat confidenter: quis me separabit à charitate Christi? tribulatio? & cætera, quę enumerat Apostolus Rom. 8. Dimissus autem à custodia, imò, abire coactus cessante persecutione, captus fuit à latronibus; à quibus etiam

spon-

ſpontè ſolutus, extruxit demum ſacram lauram, in qua vixit, & obijt in pace.

XVI.

CHVNEGVNDIS virgo Monialis (olim Imperatrix) morti proxima, Beatorum ſpirituum, & Sanctorum omnium patrocinium (Litanias canendo) poſtulabat. Cum autem (ſuper cilicio poſita) eſſet iam emiſſura ſpiritum, videns parari ſibi exequias, & veſtes Imperatrici congruas, manu abnuens ait: Auferte hinc; Amictus iſte non eſt meus; ornatus hic, alienus eſt; iſtis terreno ſponſo, & his (monachalibus nempe) ſum copulata cœleſti: nuda egreſſa ſum de vtero matris meæ, nuda reuertar; his, miſeræ carnis vilem materiam inuoluite; & corpus meum iuxta tumulum fratris, ac Domini mei Henrici Imperatoris (quem me vocātem video) in proprio Locello reponite. Quibus dictis, in manus Domini reddidit ſpiritum, anno ſalutis 1040. *Mart. 3.*

Sur. tom. 2. De ea Tritbem. de Vir. Illuſt. Ordin. S. Bened. lib. 3. cap. 158. Albert. Crant. in Saxon. Metrop. lib. 5. cap. 5. Baron. in Annal. tom. 11.

Fuſius Iacobus Gretſerius Soc. Ieſu, qui eius vitam ex antiquis mēbranis correctioribus edidit, & Notationibus illuſtrauit.

ANNOTATIO.

Coronata fuit Romæ Chunegundis Imperatrix, vnà cum S. Henrico eius viro, à Benedicto VIII. Pon. Max. anno Domini 1014.

In virginitate perpetua cum viro vixit, eandemq. per ignem probauit. Accuſata enim aliquando de maritali pudicitia læſa, expetiuit ipſa probari per ignem, ignitoſq. vomeres, non ſecus ac flores, illæſa contrectauit.

Mortuo verò Imperatore depoſitis Imperialibus ornamentis, vitam profeſſa eſt Monaſticam; & annis quindecim in obſeruantia Regularis diſciplinæ tranſactis, laudabiliter ad Deum migrauit Bambergæ.

Cum aliquando Chunegundis poſt lectionem Euangelij, ſuo ſolemni more, oblationem factura, ad altare accederet, dexteræ manus ſuæ Chirothecam detrahens, cum nullus, qui eam reciperet,

ret, adeſſet, à ſe reiecit; quam radius ſolis per feneſtræ rimulas intrans ſuſcepit, & tandiu ſuſtinuit, donec illa poſt oblationem eam reciperet.

Tale etiam quid in B. Viri veſte Goaris aliquando, diuina virtute oſtenſum fuiſſe legitur apud *Sur. tom. 4. Iul. 6.*

XVII.

CHVNEGVNDIS Nurembergenſis, virgo Deo deuotiſſima, cum ſcrupulis dum viueret adeò angeretur, vt pacem non haberet vnquam; & in deſperationem ruituram timeret omnes, ſi in tali ſtatu mors eam deprehenderet; natura deficiente, lecto decubuit, & vitæ terminum appropinquare agnouit; ſed ecce diuina arridente gratia, ante triduum circiter mortis ſuæ, ſcrupulus omnis, timor, & puſillanimitas plenè virginis animam reliquerunt; ita vt, ſumptis Eccleſiæ Sacramentis, ad literam, in pace in idipſum dormierit, & requieuerit: quia ſingulariter in ſpe tunc eam Dominus conſtituerat: vnde inſolitam eius hilaritatem quædam admirantes virgines ſibi ſociæ, dixerunt ei: Nunquid conſcientia te redarguit modò ſicut antea, quod Eccleſiæ quædam ieiunia non ſeruaſti? At illa reſpondit: Animum (ſcio) paratum habui ad ieiunandum; ſed quia animarum medici (Dei vicem habentes) iſta inhibuerunt, obediui eis; nec exinde turbor; ſperans, de Chriſti benignitate, ſuo redempta ſanguine ſaluari, & ita feliciter requieuit in Domino.

Io. Nyder in formic. lib. 2. cap. 12. vbi aſſerit hanc ſe probè nouiſſe.

XVIII.

CHVONO Epiſcopus Ratiſponenſis adſtantibus &, iam morituro, ſuam ei ſalutem conſulentibus, reſpondit: Benè quidem me monetis, ô filij vt in hac hora metuenda meæ proſpiciam ſaluti; nunquid hoc ſalutis proponebatis conſilium; quando placuit vobis, vt munera libenter acciperem; vt ſpiritualia ſimoniacè venderem; vt iudicia peruerterem; vt peccata ſubditorum diſsimularem? ſerò prouiderem modò, ſi huc vſque minimè prouidiſſem.

In

In vita S. Almanni Episcopi Passauiensis, quæ habetur in veter. Monum. contra Schismaticos pro Greg. VII. à Iacobo Gretsero ex Sebast. Zengnagel. collect. vbi nihil quidem de morte legitur tanti viri; coniectari tamen potest ex dictis, fuisse qualem præuidendo, ac prouidendo voluerat.

X I X.

CLARA de Asisio post diutinum languorem (annorum scilicet vigintiocto) morti iam proxima, dignata fuit Innocentij I V. visitatione: à quo post pedum, ac manuum quoque oscula, postulauit & obtinuit peccatorum remissionem, & Indulgentiam. *Aug.* 12

Fratri Reginaldo eam, in tantarum infirmitatum longo martyrio, de patientia admonenti, respondit: Postquã Domini mei Iesu Christi gratiam per seruum suum Franciscum agnoui, nulla pœna; pœnitentia nulla; nullaue infirmitas (frater charissime) grauis mihi, aut dura extitit.

Diebus decẽ, & septẽ nullum valuit sumere cibũ; tanta nihilominus fuit à Domino fortitudine vigorata, vt omnes ad se venientes susciperet, & ad Christi seruitium confortaret.

Ad exitum properans, voluit sibi Sacerdotes, & spirituales asistere fratres, qui Sacram Domini Pasionem recitarẽt, & Sancta verba proferrent. Adueniente autem cum eis, & fratre Iunipero, noua hilaritate perfusa, quæsiuit ab eo, si quid noui de Domino ad manum haberet: ipsoq. loquente, magnum ex eius parabolis solatium sumpsit. Versa demum ad lachrymantes filias, paupertatem eis commendauit; Diuina recordata est beneficia; & largam precata benedictionis gratiam. Agnete verò cum lachrymis eflagitanti, ne se relicta discederet, ait: Placet Deo (soror charissima) quod discedam, sed tu flere desiste; quoniam post me ad Dominum festina peruenies. Quod quidem rei probauit euentus. Demum ad se conuersa, suam allocuta est animam dicens; Vade secura; quia bonum habes conductum itineris: Vade quoniam qui te creauit, sanctificauit, & custodiens te semper (velut mater filium) tenero amore dilexit. Tu Domine benedictus sis, qui

me creasti. Visa est interim ab vna monialium, turba Virginum, quæ eam pallio tegebat; eiusque thalamum ornabat. Vidit & ipsa Virgo Christum; vnique illarum dixit: Vides ò filia Regem gloriæ? Sicque feliciter è corpore migrans, ipsum tenuit, quem concupierat, Anno Domini 1253.

Sur. tom.4. ex actis quæ Alex.4. Ro. P. conscribi iusserat. Chron. S. Francisci par.1. lib. 8. c.26. Anton.2. p. tit.24. c.16.

ANNOTATIO.

Hanc Alexan. IV. in Sanctarum numerum retulit anno Domini 1255. cum iam ante biennium ex hac vita migrasset.

XX.

Aug.17. CLARA de Monte falco in Vmbria, cum in morbum incidisset, dies totos in meditationibus ducebat, & diuina secum loquebatur: Quorum hæc præcipuè ab adstantibus audita sunt: Angele Dei nuncia S. Virgini, vt in suas me sedes recipiat; & paulò post: Exultemus omnes,& iubilemus Deo, & cantemus laudem: Te Deum laudamus, quoniam sponsus meus venit ad me, vt me ad gloriam suam perducat.

Dæmoni, vt eam tentaret aduenienti, dixit. Quid à me petis cruenta bestia? Exi maledicte, & auola hinc; qui quinquies mille Annis in maledictionibus fuisti, & in æternum maledictus viues. Hoc autem audiens vna ex sororibus, Crucis eam signo muniuit; sed illa, quasi è somno euigilans, ait: non est quod de me dubites filia; Crucem enim cum Christo gero in corde meo impressam.

Cum ad extremum tandem peruenisset diem, frequentes, ac suaues habuit cum Deo sermones; Aduocatisq. Monialibus Obedientiã, Castitatem, Humilitatem, ac vitæ sanctimoniam eis plurimum commendauit; sed præcipuè Dominicæ passionis memoriam, ac meditationem; quam salutis nostræ incitamentum esse asserebat. Voluit quoque eas omnes ante se congregatas iterum, ex ordine secum Horas canonicas recitando compensare; siquid fortè in ijs recitandis negligentiæ aliquid ipsa commisisset.

Demum Ecclesiasticis munita Sacramentis, in sacellum se

deferri

deferri iussit; vbi cum aliquantulum orasset, ad sorores conuersa, sermonem iterum ad eas habuit. Conscientiæ postmodum maculas (si quæ tamen erant) suo Confessario audiente emundare curauit; & iunctis tandem manibus, ac facie ad cælum erecta, quasi dormiens, spiritum emisit; monialibus eam suis meditationibus detineri putantibus, donec, facie eius præter consuetudinem elucescente, obijsse cognouerunt, anno Domini 1308. ætatis 40. alij 33.

Vita ipsius impressa Bononiæ Auctore Isidoro Mosconio 1601.

ANNOTATIO.

Inter cæteras virtutes, modestia, ac verecundia pollebat Clara; adeò vt dormitura, tunicam inter crura interijceret, ne caro carnem tangeret; ipsamque tunicam ad talos reuinciret, ne pedes inter dormiendum detegerentur, quod quia aliquando sibi contigerat, quasi piaculum, lachrymis dolens expiauit. Nulli vnquam monialium permisit vt sibi manus tangeret; si quam autem illarum succinctam vidisset, impudentiæ eam arguebat, dicens: Ne in obscuro quidem loco decere vllas corporis nudare partes; sed vbique seruandam esse honestatem. Quod ipsa sic præstitit, vt ne Medico quidem, corporis vllam partem detegere voluerit.

Humana omnia despiciebat, miseros appellare solita, qui ea quærerent, & miserrimos, qui bona, eadem appellarent.

Post eius obitum, visum est cor eius continere sacratissimæ Passionis Dominicæ mysteria: de qua passione frequenter, ac feruenter ad Moniales sermonem habebat.

XXI.

CLARVS Abbas Viennensis in Gallia, cum suæ dormitionis tempus à Domino sibi reuelatum propè adesse sciret, vocatis ad se fratribus, prædixit eis calamitates futuras; eosq. adhortatus est præcipuè, vt Dei iudicium metuerent; curam suorummet agerent; vigilanterque intenderent, vt cum tribulationis dies aduenirent, paratiores ad tolerandum inuenirentur. Et demum eosdem rogauit, vt corpus suum in Ecclesiæ Martyris Blandinæ, & sociorum eius deferrent, ac sepelirent. Ian. 1.

Post

ANNOTATIO.

Illustri Claudius Palatinorum fuit ortus familia, qui & Episcopatum reliquit, Monachus factus; sed Abbatis postea, quamuis inuitus, suscipere onus coactus est.

XXIII.

CLEMENS Episc. Ancyranus, post innumera pro Christi fide passa certamina, ac octo, & viginti annorum iuge Martyrium, cum adueniente Epiphaniæ festo, clam è carcere eductus esset à Sophia nobili, & præpotenti fœmina (quæ ipsum olim post matris suæ mortem in filium sibi adoptauerat) & ad Ecclesiam veste candida, & superhumerali indutus, lampadibus multis, ac suffitibus circumseptus, perduceretur, vt ibi sacrificaret; sensit Dominum Iesum se vocantem in cælum; & illicò, dum adhuc esset in via, sublata dextera (altera enim Euangelium tenebat) orauit pro eadem Sophia; pro Clero, & vniuerso grege. *Ian. 23.*

Ingressus autem in templũ, & foribus à fidelibus, qui eum comitati fuerant, obseratis, ac munitis, totam cum ipsis noctem in diuinis canendo laudibus duxit. Mane autem facto, cum Sacrosanctum celebrasset sacrificium; eoque circumstantes impertijsset, cælesti quoque doctrina eosdem pascere voluit; Quos cum videret perturbatos, ac timore affectos (vt qui suspicarentur aliquam infidelium incursionem) confirmauit eorum spiritus dicens: Bono animo sitis fratres non peribit vnus ex vobis: Duo autem quidam, & ego tertius cum eis, postremò à vobis excidemus; deinde extinguetur, quæ sæuit in Christianos rabies, & orietur pax in Imperio Romano; aperientur Aedes sacræ, & claudentur templa Gentilium.

Duodecim ergo dies celebrauit festos hilariter Sophia in hoc Templo, conuocans viduas, & orphanos ad Clementem; & eis cibos, ac necessaria satis abundè suppeditans. Cum autem iam adesset dies à Domino præstitutus (erat autem dies Dominicus) in quo è præsenti vita erat euocandus Athleta, ille quidem diuinum celebrauit sacrificium, & cum parti-

cipasset fideles, diuinis adhuc donis in sacra mensa propositis; & ad ea Martyre collum inclinatum habente, quidam ex magistratibus, impetu repentè facto cum militibus, iussit vni ex suis amputari sacrum Clementis caput; atque sic quidem magnus iste Clemens sacrificans, acceptabile semetipsum Deo Sacrificium obtulit. 23 Ianuarij Anno Christi 303.

Sur. tom. 1. ex Lippom. tom. 5. Niceph. lib. 7. cap. 14.

Ian. 23.

ANNOTATIO.

Decertauerat Clemens perpetuò sub Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano; sub Magistratibus autem, ac Præsidibus Domitiano, Agrippino, Curicio, Domitio, Sacerdote, Maximo, Aphrodisio, Lucio, & Alexandro; totumque Martyrij tempus (vt dictum est) fuit ei octo, & viginti annorum. Paruit siquidem matri adhortanti, de qua hæc *Idem Sur. ibidem*.

Clementis Ancyrani mater, nomine Sophia, suum propinquum sentiens decessum, puerum, qui duodecimum tunc annum nondum compleuerat, benignè & amanter complexa, non magis eum suarum facultatum, quàm thesauri, qui in cælis est, hæredem cupiens, hæc præcipuè eum monuit dicens.

Ego quidem te produxi corpore, Christus autem regenerauit per spiritum. Cognosce tuum patrem, vide ne eius filij denominatio sit tibi falsò imposita: Serui soli Christo: In Christum tuam colloca fiduciam; & post multa subdidit, oculos perfusa lachrymis.

Rogo fili charissime. Rogo te, vt mihi des vnam gratiam pro omnibus: Quoniam instat tempus difficile, (eris autem ipse quoque, vt noster dicit Dominus, ad Reges propter ipsum, Præsidesq. ducendus) hunc mihi honorem concede fili, vt pro ipso stes fortis, & strenuus, & mihi firmam, & stabilem conserues confessionem; & confido in Christo meo (o membrum meum) confido quod citò in tuo capite florebit corona Martyrij.

Pergensque eum adhortari ad constantiam, mercede Martyrij; exemplo Christi &c. in fine hæc quoque adiecit.

Hæc mihi tuæ matri redde (ò fili) pro tui nutritione. Hæc sit mihi merces meorum in te patiendo dolorum, vt ego quoque mater (ex Pauli sententia) salua fiam per liberorum procreationem, & in membris filij glorificer. Ecce enim (o fili) ego quidem iam recedo, & hæc lux sensibilis mihi manè non illucescet; Tu verò, mea

mea in Christo lux,& vita, te rogo (mea viscera) ne ea spe fallar, quam de te concepi. Vna mulier Hebræa aliquando septem produxit martyres, & ipsa in illis septem decertauit corporibus; tu autem vel solus mihi sufficies ad gloriã,& beata ego inter matres, quod per te ero insignis. Ecce vado ante te (ò fili) & deinceps quidem corpore separor hodie à tuis suauissimis oculis; animam autem meam, postquam decessero, existima (ò fil) à tua semper pendere: cum qua confidenter Christi adorabo tribunal,tuis glorians laboribus; de tuis propter ipsum notis, ac stigmatibus me magnificè circumspiciens; & magnificorum illorum præmiorum, ac lætitiæ futura particeps.

Hæc mater Clementi filio dicebat,& simul omnia illius deosculabatur membra. Felix ego(rursus dicens)quod membra Martyris deosculor; membra offerenda Christo sacrificium. Sic ergo eum amplectens, & quam suauissimè differens; verè beata quiete requieuit: Spiritum quidem Deo, corpus autem dulcissimis filij manibus commendans. Ea verò defuncta,nobilis quędam,& pietate insignis matrona,nomine pariter Sophia, eumdem Clementem adoptauit sibi filium, & in ea, quæ ex Deo est sapientia, instui curauit.

X X I V.

COLETA Virgo Monialis, genere Burgunda, tribus ferè hebdomadibus ante suum, quem prænouerat obitum, accersitis sororibus, multa tradidit monita salutaria; & postremò adiecit dicens: Non est, quod putetis me in decessu meo quidquam aliud dicturam vobis: Nihil enim ex me tùm audietis. Muniri deinde se voluit Ecclesiæ Sacramentis; & exinde, Christi etiam Domini, sequenti nocte, apparitione dignata, quatuor in ea notatu digna sunt visa. Pœna scilicet quædam grauis, & insolens vsque ad supremum perdurans spiritum: Iugis ad cælestia vacatio (solis etenim precibus voluit occupari, nihilque iam, quæ sunt mundi curans, soli Deo vacabat,ore vel mente illum assiduè deprecando) Quotidiana Missæ auditio: Occultorumq; cognitio, adeò vt in Oratorio posita; & ab eo non egrediens, omnia tamen, quæ in Monasterio gerebantur, perspicuè nosset. *Mart.6.*

Accidit ei postea insolita quædam debilitas; ob quam

Confeſſarius timens ne moreretur, ſacram, & extremam adhibuit ei vnctionem: Deinde legit apud illam Chriſti paſſionem. Quibus abſolutis, aduertens nondum adeſſe ſupremum ei vitæ tempus, receſſit. Altera verò die ad eius veniens Oratorium, ſacrificium (de more) pro illa facturus, reperit eam perinde ac ſi eſſet incolumis. ſacrificio igitur deuotiſſimè interfuit; & Chriſti ſacratiſſimum Corpus, multis obortis lachrymis, adorauit. Vltimo tandem adueniente die, poſt Sacrificium, cui pariter adſtitit, peractis precibus ad ſuum cubile abijt; quò cum perueniſſet, Cruce ſe conſignans, ait: en extremum cubile. Deinde in illo ſe repoſuit, veſtita more ſuo; ſibique ipſi nigrum impoſuit velamen, quod à Pontifice acceperat, cum primùm profeſſionem emiſit. Mox clauſit os, & oculos, deinceps non aperiendos. Oblatum ſibi puluinar noluit, & ſic manens in lecto octo & quadraginta horis, nihil loquens, neque videns; nullum vlla corporis parte geſtum, vel ſignum edens; nihilque mutato colore, feliciſſimè obdormiuit in Domino Anno ſal. 1447.

Sur. tom. 2. Toſſinianus hiſt. Seraph. lib. 1. & 2. Chron. Franciſ. par. 3. lib. 3. fuſius.

ANNOTATIO.

Coleta Monialis S. Claræ, genere Burgunda, in manibus Benedicti 13. B. Claræ Regulam Niciæ profeſſa eſt; quæ in Belgica, Celtica, atque Narbonenſi Gallia, & prouincia S. Bonauenturæ multa conſtruxit cœnobia Monialium. *Toſsinian. vbi ſup.*

XXV.

Iun. 9. COLVMBA Scotus, cæleſtibus aſſuetus viſionibus, viſus eſt aliquando ſubita, & mirifica hilaritate facie immutari; tùm poſt modicum, triſtis apparere: Cauſam autem huiuſcæ mutationis fratribus aperire coactus, ſic ait: Vſque in præſentem diem, meę in Britannia peregrinationis terdeni completi ſunt anni (ex Hibernia enim in Britanniam venerat anno Domini 565.) Interea multis antè diebus à Domino meo deuotè poſtulaui, vt in fine huius trigeſimi Anni præſentis, me

de meo

de meo absolueret incolatu; & ad cælestem patriā euocaret: Hæc autem fuit meæ causa lætitiæ, pariterque tristitiæ, quia Sanctos Angelos de excelso vidi missos throno ad meam de carne Animam educendam; sed mox ad cælorum summa repedasse; quia Dominus, quod mihi totis viribus roganti donauit (vt in hac die ad ipsum de mundo transirem) multarum magis Ecclesiarum pro me orationes exaudiens, immutauit; eisdemque Ecclesijs exorantibus donauit, vt quatuor ab hac die mihi superaddantur anni. Quibus terminatis subita emigratione, nulla præcedente corporis molestia ad Dominum emigrabo.

Annorum quatuor termino iam appropinquante, mense Maio, die quadam Vir sanctus ad visitandos perrexit fratres in insula Ioue manentes, quibus sic ait: In Paschali solemnitate (nuper Aprili mense peracta) desiderio desideraui ad Christum Dominum (sicut & mihi ab eo concessum fuerat, si maluissem) emigrare; sed ne vobis lætitia festiuitatis in tristitiam verteretur, diem meæ de mundo emigrationis, paulò diutius protelari malui. Consolatus deinde mærentes, & lugentes fratres, Insulam patriam Iouem cum habitatoribus benedixit, ex qua die viperarum venena nullatenus homini, aut pecori nocere potuerunt.

Reuersus ad suum Monasterium (paucis transactis diebus) dum Missarum solemnia, ex more, Dominica die celebrarentur, eleuatis sursum oculis, facies eius florido aspersa rubore subitò apparuit: Eademque hora (sicut ipse fateri interrogantibus coactus est) Angelus Domini ad repetendum Deo charum depositum aduenit; & expeditionis, ac migrationis diem (hebdomadæ scilicet postremum) designauit. In fine igitur hebdomadæ (nempè die Sabbati) perrexit cum Dormitio ministro ad proximum benedicendum Monasterij horreum; eique aperuit, sequenti se nocte migraturum, dicens: Hæc dies in Scriptura sacra Sabbatum, idest Requies appellatur; in qua mihi requies æterna paratur. Ecce enim hac nocte resurrectionis Dominicæ vado ad Dominum Iesum

Christum, magnæ Resurrectionis auctorem. Post hæc horreum egreditur, & ad Monasterium reuertitur, cui pariter à supereminenti colle benedixit. Reuersus autem sedit in tugurio, Psalterium de more scribens; & cum ad illum Ps. 33. versiculum peruenisset, nempè: Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono: Hic (ait) in fine cessandum est paginæ; quæ verò sequuntur Balthæneus scribat (erat hic eius successor, cui suasuro, & docturo filios, relinquere voluit verba sequentia, nempè: Venite filij audite me.) Post huiusmodi descriptum versum, ad vespertinam Dominicam noctis ingressus est Missam; qua consummata ad hospitiolū reuertens, in lectulo resedit pernox; vbi pro stramine terram nudam; & lapidem pro puluillo habebat. Ibi itaque residens vltima ad fratres mandata dedit: Dilectionem scilicet mutuam, & pacem; Dei spondens auxilium, & suam pro eis interpellationem. Media nocte, pulsata clocca, festinus surgens, ad Ecclesiam perrexit; citiorque cæteris currens, solus introgressus, iuxta Altare, flexis in oratione genibus, recubuit. Minister autem Diormitius, tardius prosecutus, eodem momento eminus totam intrinsecus Ecclesiam Angelica luce erga sanctum repleri videt; sed ad ianuam eo appropinquante, lux visa ocyus recessit. Diormitius ergo Ecclesiam ingrediens, flebili voce ingeminabat: vbi es Pater? & nec dum allatis fratrum lucernis, per tenebras palpans, ante sanctum Altare recubantem inuenit; quem paululum erigens, & iuxta eum sedens, caput in suo gremio reclinare fecit. Interim cætus Monachorum cum luminaribus accurrens, vbi vidit morientem Patrem, eiulare cœpit; ille autem apertis oculis, sursum ad vtrumque latus cum viua vultus hilaritate, atque lætitia circumspiciebat; sanctos quidem Angelos obuios intuēs. Tum Diormitius ad benedicendum Monachos dexteram subleuauit sancti manum; quam & ipse quantum poterat, simul mouebat, & benedictione impertita, abijt in pace, anno Domini 597.

Canisius Antiquar. lect. tom. 5. De eo Beda de gest. Angl. lib. 3.

lib.3. cap.4. & 25. vbi eundem appellat Columbanum, Columbum autem in Epitome anni Domini 565.

Sigebertus etiam in Chron. anno 596. & 598. vbi ſemper Columbanum appellat. Ademannus Abb. Inſulæ Huenſis in Scotia apud Sur. poſtrem. edit.

ANNOTATIO.

Quidam aliquando de fratribus ſimpliciter ait ad S. Columbam: Ad celebrandas tuas poſt obitum exequias, totus harum Prouinciarum populus hanc Iouam, remigando replebit Inſulam. Quod audiens vir Sanctus ſic reſpondit; ô mi filiole, non erit ſic; Nam promiſcuum populi vulgus nullo modo ad meas poterit exequias venire; mei ſoli familiares Monachi mea ſepulchralia complebunt, & exequiarum officia honeſtabunt. Quod & impletum eſt. Tribus enim diebus illis, quibus de Eccleſiaſtico more, exequiæ peractæ ſunt, tanta fuit exorta in mari tempeſtas, vt nullus ad eam Inſulam nauigare potuerit.

XXVI.

COLVMBANVS Monachus Sancti Columbani Abbatis Luxouienſis diſcipulus, cum ad extrema veniſſet, diebus plurimis iam febri correptus, vidit virum ſplendidum ad ſe venientem, qui ſibi dixit, eum tunc è corpore educere non poſſe; eo quod patris ſui preces, & lachrymæ ipſum impedirent. Quod audiens, & durius deflens, S. Columbanum Abbatem, per nuncium accerſitum rogauit, ne ſuum impediret tranſitum, cum ſe ad vitam iturum nullatenus dubitaret; cui Sanctus Abbas annuens, corpus Dominicum obtulit, illeq. ſumpto pacis oſculo, de patris licentia, è carne migrauit. *Nou.21.*

Petr. de Natal. lib. 10. cap. 95.

ANNOTATIO.

COLVMBANI eiuſdem Abbatis in diſcipulos ſuos amor, & ſtudium ſæpius enituit; ſed præcipuè quando per reuelationem didicit, fratres ſuos, qui Luxouij erant, diuerſis morborum generibus vexari; nec plures ſupereſſe incolumes, quàm qui ægrotis miniſtrarent. Egreſſus etenim tunc de ſpecu venit Luxouium; cumq.

omnes afflictos cerneret, iussit eosdem surgere, & Messem in Area virgis cędere. Surrexerunt illicò obedientes discipuli, & ad Aream vertentes, virgis fruges cędere aggressi sunt; videns autem pater fidem, & obedientiæ gratiam in filijs abundare; Sinite (ait ad eos) modò fessa ægritudine membra à labore recreari. Mirantur fratres obedientes, nullo tunc doloris vestigio remanente, integra se sospitate frui; & eo magis, quia inobedientes quosdam, qui surgere ad patris iussa noluerunt, supra anni tempus mortis dolor tàm vehementer attriuit, vt vix mortem euaderent; impleueruntq. pro inobedientia, pęnitentiæ mensuram.

Sur. tom. 6. in vita S. Columbani cap. 12. In ea tamen nihil habet de Columbano discipulo supradicto.

XXVII.

Mart. 28 CONON, qui & Conus, Monachus, Naxi in Sicilia, senio iam confectus, Deum suppliciter orabat, vt se ex carnis huius ergastulo quam primum educeret. Cui oranti, & in extasim rapto, Angelus propinquam denunciauit mortem; Eo igitur nuncio lætus, manus in cœlum tendens, vix ea verba; In manus tuas Domine commendo spiritum meum, protulit, cum eundem spiritum Deo reddidit, anno Domini 1236. Sonantibus autem sponte campanis, ciues accurrerunt: & illum defunctum, ac genuflexum, quasi orantem inueneruht.

Ferrar. in Catal. ex Maurolyci Martyrol. & M.S. Ecclesiæ Naxiensis. Molan. in addit. ad Vsuard.

XXVIII.

Nou. 24. CONRADVS Germanus Ord. Præd. in Magdeburgensi Vrbe, grabàto decumbens, cum diceretur sibi à fratre, qui ei ministrabat: Conrade, Christus Dominus Redemptor noster vocat te; itaque cum affuerit, nutu saltem id mihi significa, annuit quidem, & promisit se facturum.

In vigilijs autem S. Catharinæ Virginis, & Mart. instante morte, cum Prior & cæteri fratres cubiculum ingrederentur, vt eius commendarent Deo animam, intonuit ipse voce magna: Cantate Domino canticum nouum Alleluia (quamuis

antea

antea loqui non posset, & vita functus putaretur, vtpote clausis oculis, & penè immotus persistens): Cumq. nihil aliud posset proferre, cœperunt fratres septem Psalmos recitare Pœnitentiales; quibus absolutis, aperiens ille oculos, & eosdem fratres intuens, dixit: Dominus vobiscum; & illis respondentibus: Et cum spiritu tuo, subiunxit: Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace: & rursum respondẽtibus fratribus, Amen, conticuit: tùm Graduales Psalmos recitarunt adstantes, prout in ordine consuetum est; & cum venissent ad verba illa: Hæc requies mea in sæculum sæculi, Conradus extento brachio, & in cœlum intento digito, ore iucundo, & luculenta facie spiritum Deo reddidit, anno salutis 1233.

Sur. tom. 4. in vita S. Dominici lib. 4. cap. 6. lib. 5. Chronic. S. Dominici par. 1. lib. 1. cap. 52.

XXIX.

CONRADVS Theuthonicus Ord. Præd. vltima correptus infirmitate, sæpius dicere solebat, Dilectus meus mihi, & ego illi, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Morti autẽ proximus dixit fratribus circumstantibus, mori se Fideliter, Amicabiliter, Confidenter, & Hilariter. *Sept. 8.*

Fideliter, quia in fide Domini nostri Iesu Christi, & Sacramentis munitus Ecclesiæ.

Amicabiliter, quia ex quo habitum sumpsit, hoc sibi curæ fuit operari semper, quod Maiestati Diuinæ gratum esse cognouerat.

Confidenter, quia moriebatur, vt viueret in domo Domini, ad quam ibat.

Hilariter, quia punctus ille nihil aliud erat, quàm transitus à planctu ad risum, ab ærumnis ad quietem.

Hæc cum dixisset, Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento se muniri voluit, dicens: Iste Deus meus, & glorificabo eum; ecce Deus Saluator meus; ò anima mea ipsum lætè suscipias, quia est Amicus dulcis; Consiliarius prudens; Auxiliator fortis.

Postu-

Poſtulauit deinde à Prouinciali abſolutionem generalem; rogans eum, vt in pœnitentiam ſibi mortem imponeret; quibus obtentis: nunc quidem(ait) benè valeo; & addens verſiculum illum: Saluum fac ſeruum tuum Deus meus ſperantem in te; & orationem &c. Fidelium Deus omnium conditor: animam Deo reddidit in die Natiuitatis Beatæ Virginis ſicut prædixerat; cui quidẽ Virgini glorioſę fuit deuotiſſimus.

Chron. Ord. Præd. par. 1. lib. 2. cap. 19.

XXX.

CONRADVS alter eiuſdem Ord. & Prouinciæ, qui dicebatur Conradus II. cum proximus morti eſſet, & oculos diu clauſos habuiſſet, ita vt mortuus putaretur, eoſdem repentè aperiens; & in Crucifixi imaginem defigens, hilari vultu, manibuſq; iunctis dixit: Educ de carcere animam meam, vt confiteatur nomini tuo Domine, quibus tertiò repetitis, oculos iterum clauſit & vitam, anno Domini 1239.

Ibid. Leander Albertus lib. 5.

CONSTANTIA. *Vide infra in HILARIONE.*

XXXI.

Sept. 8. CORBINIANVS Epiſcopus Friſingenſis, appropinquare ſciens exitum ſuum, direxit vnum ex fratribus in Iuliam ad Longobardorum Principem, poſtulans firmitatem poſſeſſionis, quam Eccleſiæ S. Mariæ tradiderat; & vt ſuum corpuſculum ad ſepeliendum ibidem recipi iuberet; Alium ex diſcipulis direxit ad Hucherium Principem, ſuum ei annuncians obitum; & poſcens vt eius cadauer deferri iuberet quò promiſerat.

Veniente poſtmodũ ſui exitus die, quem prædixerat, balneum ſibi parari iuſſit, & ex more corpus abluens, capillos tonderi, caputq. & barbam ſibi radi fecit; ſicq. ſacris indutus veſtibus, ſacrificium obtulit; & viatico ſacro ſe muniuit. Miſſarum ſolemnitate completa, domum ingreſſus, vinum ſibi afferri iuſſit; modicumq. deguſtans, nihil doloris præſeferens, Crucis ſignum capiti impreſſit, & ſpiritum Deo reddidit anno Domini 730.

Sur. to.5. De eo Otho Frisingen. lib.5. cap.23. & 24. Baron. in Annal. to.9.

ANNOTATIO.

Dum aliquando CORBINIANVS ad Pipinum (tunc Maiorem domus in Gallia) accersitus proficisceretur, vidit reum quendam ad suspendium duci; clamauit autem alta voce, sub testificatione Diuina, vt eius expectaretur aduentus; totisq. viribus festinans, cum peruenisset ad locum, ex equo prosiliens, cępit rogare ministros, fixo in terram capite, vt sibi reum donare dignarentur; vel pœnas differre vsque dum ad Maiorem domusĳ peruenire posset. His verò minimè petitioni obtemperantibus, vir Dei reum ipsum admonere studuit, vt omnem ei putredinem, ac saniem animæ suæ confessione pura aperiret; adstantes idcircò longius amouens; qui factorum pœnitens, viroq. Sancto obediens, promisit se vitam, ac mores correcturum, sæculumq. relicturum. Tunc idem vir Sanctus cum caput illius, & pectus signo Crucis munisset, equum ascendens, cęptum peragere cœpit iter; quod cum ipsa die perficere minimè potuisset, altera die compleuit, summiq. se Principis pedibus aduoluens, exposuit ei, quid sibi contigisset; simulq. humillima prece popóscit, qualitercunq. de suspenso illo actum fuerit, corpus eius sibi donare non dedignaretur; annuit Princeps, iussitq. eum (quem vltimo supplicio affectum nemo non crederet) Episcopo reddi. Nuncij igitur illicò directi vterumq. (die tertia aduesperascente) peruenerunt ad locum; reumq. viuum pendentem in patibulo, ac incolumem inuenerunt.

XXXII.

CVTHBERTVS Episcopus Lindisfarnensis arreptus infirmitate; eaq. tribus hebdomadibus continuè decoctus, in cellula sua inclusus (ad quam nullus ingrediebatur) ad extrema peruènit. Prima autem die infirmitatis venit ad eum Herefridus eius discipulus de Insula, ad quam cum cœteris fratribus triduò ante adierat; & accedens ad fenestram (dato signo) perijt ab eo benedictionem: Cui benedicens, dedit in mandatis, vt Nauem cum suis ascenderet, & cum eisdem saluus demum rediret, addens. *Mart.20*

Cum Deus susceperit animam meam, sepelite me in hac man-

mansione, iuxta Oratorium, ad meridiem, contra orientalem plagam Sanctæ Crucis, quam ibidem erexi: Est autem ad Aquilonarem eiusdē Oratorij partem sarcophagus, terræ cespite abditus, quem olim mihi Cudda venerabilis Abbas donauit; in hoc corpus meum reponite; inuoluentes illud Sindone, quam inuenietis istic: Nolui quidem ea viuens indui, sed pro amore dilectæ Deo fœminæ, quæ hanc mihi misit (Verræ videlicet Abbatissæ) ad obuoluendum corpus meum seruare curaui.

Renuit autem aliquem de fratribus ad sibi ministrandum remanere; sed iussit eos abire, ac redire, quando Deus voluisset. Rediens igitur Herefridus cum cæteris Monacis, post dies quinque (ob tempestatem enim exortam prius redire non valuit) inuenit eum, suo egressum Monasterio, sedere in domo, in qua fratres manere solebant; Vidensq. in eius facie, quia multum, inedia, simul & languore, erat defessus, vinum calefactum gustare coegit: Dolenti autem, quare noluerit aliquem sibi ministrantem (illo abeunte) dimitti, respōdit Cuthbertus: Dei prouidentia, & voluntate gestum est, vt præsentia, & auxilio hominum destitutus, aliqua paterer aduersa. Postquam enim à me digressi estis, continuò cœpit languor ingrauescere; ideoq. de mansione egrediens, huc intraui, vt quicunq. vestrum mihi ministraturi aduenirent, hic me possent inuenire; nec meam necesse haberent ingredi mansionē. Ex quo autem hac in sede membra composui, non moui me hinc; sed quinque his diebus, & noctibus hic quietus permansi. Interrogatus num absq. cibi perceptione tanto tempore fuerit? Retecto lectisternio, cui supersedebat, ostendit ibi cepas quinque reconditas, & ait: Hic mihi victus erat his quinque diebus; quotiescunq. enim os ariditate, ac siti nimia arescebat, hæc gustando, me recreare, ac refrigerare curaui. Videbatur autem earum vna minus quàm dimidia parte corrosa. Fassus est etiam concertatores suos (Dœmones scilicet) nunquam sibi tot intulisse persecutiones, quot in illis quinque diebus.

In-

Ingrauescente autem languore, & migrationis suæ tempus iam instare cognoscens, præcepit se referri in suam mansiunculam;& in Oratorium postmodum(vbi iusserat)sepeliri.

Rogatus vt aliquem permitteret ad sibi ministrandum intrare, circunspectis omnibus, vidit fratrem, longo ventris fluxu laborantem; qui neque à medicis potuerat curari; Hunc ergo admisit; quem & curauit, statim vt ab illo se tangi permisit. Tandem exitum suum adesse perspiciens, Ecclesiæ Sacramentis munitus, eleuatis in cœlum oculis, ac manibus, intentam supernis laudibus animam, ad gaudia cœlestia transmisit, anno Domini 687.

Sur. to. 2. Beda to. 5. & Hist. Angl. lib. 4. cap. 27. & seq. Lippom. tom. 2. vbi eum Cutherectum appellat. De eo Baron. in Annal. tom. 8.

ANNOTATIO.

CVTHBERTVS hic peste aliquando correptus, sciens fratres Monasterij totam noctem pro eius vita duxisse peruigilem;vt hoc audiuit: & quid (inquit) iaceo? neque est dubitandum, quin tot, taliumq; virorum preces Deus non respexerit: Date baculum & caligas; statimq. exurgens, cœpit tentare incessum, baculo innitens; & crescente per dies virtute, recepit sanitatem.

Cum proximè instare sui obitus diem per Diuinam reuelationem comperisset, dixit ad Hertberth Presbyterum, sibi spiritualis amicitiæ fœdere copulatum, & vitam solitariam ducentem;qui singulis annis ad eum venire consueuerat, monita salutis ab eo percepturus: Memento frater vt modò quidquid opus habes me interroges, mecumq. loquaris; postquam enim ab inuicem digressi fuerimus, non vltra nos in hoc sæculo, carnis obtutibus inuicem aspiciemus, quia velox est depositio tabernaculi mei. Ille autem (hæc audiens) prouolutus eius vestigijs, eum fusis lachrymis obsecrauit dicens; Ne me deseras, sed memor sis fidelissimi sodalis; rogesq. supernam pietatem, vt cui simul in terris seruiuimus, ad eius videndã claritatem in cęlũ pariter transeamus. Incubuit tùm precibus Antistes; statimq. edoctus in spiritu, se à Domino impetrasse quod petierat (ait): Surge frater mi, & noli plorare, sed gaudio gaude, quia quod rogauimus superna nobis clemẽtia donauit. Quod rei probauit euentus: Digredientibus enim ab inuicem

vultu se corporaliter non amplius viderunt; sed vnó eodemq. die spiritus eorum è corporibus egredientes, mox inuicem visione fuerunt coniuncti. Quamuis Presbyter diutina prius infirmitate decoctus; illata (vt creditur) dispensatione Dominicæ pietatis, vt si quid minus habuisset meriti à CVTHBERTO, hoc, longæ ægritudinis dolore castigatus, suppleret; quatenus suo intercessori æquatus gratia, sicut vno, eodemq. tempore cum eo de corpore egredi meruit; ita etiam vnam, atque non dissimilem sedem perpetuæ beatitudinis mereretur accipere.

Vide supra de BOISILIO, quem pariter sub mortem docere voluit.



DANIEL Stylita suam ad Dominum prænoscens migrationem, apertè eam discipulis prædixit; cuius adueniente hora, benedictionem eisdem reliquit in scriptis, sicut alij facultates relinquere solent hæredibus. Quã benedictionẽ (testamentum scilicet sanctissimis refertũ admonitionibus) iussit legi à Monachis omnibus, ad scalarũ stãtibus gradus. Celebrauit deinde (Sanctorum iussu, qui eum inuiserant) Diuina mysteria; eademq. ijs, quibus præerat impertiuit. Demum sanctissima anima è corpore migrauit; eodemq. tempore Dæmonem è corpore obsessi, qui tunc ibi aderat, egredi coegit. Dec. 11.

Sur. tom. 6. ex Lippom. tom. 5. Raderius in Viridario Sanctorum par. 2. cap. 4. de Stylitis. Baron. in Annal. tom. 6. De eod. Vide infra in SIMEONE.

ANNOTATIO.

Hæres fuit DANIEL Simeonis Stylitæ, quemadmodum Eliæ Elisæus; Cucullo enim à Sergio accepto eiusdem Simeonis (quo tempore mortem per visum didicerat) columnam & ipse ascendit, anno scilicet Christi 460.

Non tamen Tyro in professione tunc erat monastica; quam ab anno suæ ætatis duodecimo fuerat auspicatus, sed quia humilitatem præcipuè colens, renuerat sæpius Præfecturam Monachorum, & recumbebat in nouissimo loco, dictum fuit ei à Domino: Ascende superius.

Magnus fuit ad eum hominum concursus; Imperator quoque, Leo Augustus, & ipse ad eundem ascendit super columnam; & perinde ac si Regium fastum, ac supercilium inferius reliquisset, humi se prosternere voluit; sacrosq. illius pedes tangere; quos cum tetigisset, impletus admiratione fuit; erant enim valde tumentes, & omninò scatentes vlceribus; eratq. horribile simul, & miserabile illos videre, & tangere.

Idem Imperator Leo Regem Lazorum, qui ad ipsum venerat, perduxit ad Sanctum Danielem, vt videret (inquiens) imperij sui miraculum.

Eudocia pariter Imperatrix ad eum visendum perrexit, petijtq. enixè ab eo, vt sua inhabitare dignaretur loca; sed renuit vir Sanctus.

Non tamen renuit Raidis fidelissimæ fœminæ pia erga se officia; sed mandauit discipulis suis, vt sibi permitteretur quidquid circa funus suum agere vellet, dicens: seu Imperatores; seu Reges; aut vlli alij se inuicem superare contendant in loculi sumptu, & magnificentia, Nolite suscipere; sed & illic, & sic, corpus deponi sinite, vbi, & quomodo voluerit Rais fidelissima. Quæ quidem in obitu tanti viri magnificè parauit, quæ ad sepulturam pertinebant; & cum multos adduxisset artifices, iussit fieri tumulum in inferiori parte columnæ, vsque ad fastigium: statuitq. ex vtraque parte homines, qui faces ferrēt, & lampades tenerent in manibus; ac ea canerent, quæ cani solent in decessu. Cumq. corpus infra detulisset, in plumbeo illud posuit loculo.

Viuentem quoque venerabantur Danielem homines, vnde quidam per ipsum à furore (in quem peccatis eorum existentibus versi fuerant) liberati; volentes esse descriptam suam gratiarum actionem, ex argento illius imaginem effinxerunt; & se ipsos sub eius pedibus posuerunt; Nomenq. scribentes, & gratiarum actionem, Sancti Michaelis Archangeli templo dedicauerunt.

II.

DAVID Primus Scotorum Rex, cum vitæ suæ terminum adesse cognosceret, Sacro voluit muniri Viatico; sed indignū se reputans, ad quem Christi Sacratissimum Corpus deferretur, duobus innixus Sacerdotibus, in templum venit; ibiq. re Diuina peracta, sermonem habuit ad suos de pietate in Deū; deque ipsius bonitate, & beneficentia in eum colentes. Mox in genua procidens, ardentibus precibus, integraq. fide Viaticum sumpsit. Inde in cubiculum reductus; conuocatis primoribus Regni, Nepotes illis commendauit suos; datoq. singulis osculo, Valefecit. Deinde commendata Deo anima sua, feliciter expirauit, anno sal. 1153.

Hector Boethius lib. 12. Hist. Scotorum sub finem. Flor. exempl. tom. 3. cap. 5. tit. 13.

III.

Febr. 15. DECOROSVS Episcopus Capuanus, dum Dominico die sermo-

sermonem ad populum haberet, sincope correptus, ac inter Clericorum brachia ad Altare maius perductus, hisce verbis: Magnus Dominus & laudabilis nimis, cuius magnitudinis nō est finis, pronunciatis, animam Deo reddidit, anno salutis 701.

Ferrar. in Catal. hac die ex Breuiario antiquo Ecclesiæ Capuanæ.

IV.

Iun. 21.

DEMETRIA (S. Bibianæ soror) ad tribunal secum perducta, in fidei confessione perseuerans, ante Præfectum reddidit Deo feruentem spiritum.

In actis S. Bibianæ apud Gallonium de Virg. Rom. & in MS. Cod. Bibl. Vall. Ferrarius hac die. Petr. in Catal. lib. 5. cap. 35.

V.

DIDACVS Hispalensis Ord. Min. Apostemate in sinistro *Nou. 12.* brachio laborans, dum hoc morbi genere dolores sibi augerentur, nunquam ingemuit; nihilque aliud ore, præter diuinas laudes pronunciare auditus est.

Nocte quadam in estasim raptus, cum iam mortuus videretur, paulò post, collecto spiritu, ad se ipsum reuersus, quid ex cælesti illa patria degustasset, ter, quaterque apertis verbis enarrauit, exclamans: O quales paradisi flores? Corporis autem dissolutionem imminere iam sentiens, Guardianum, cæterosque conuentus fratres accersiri, & omnes ad se venire humiliter postulauit; quos per Dei viscera, & misericordiam deprecatus est, vt sibi cordam, & habitum viliorem concederent, quo inuolutus moreretur; sicque extracto priori habitu, eo, quem concupierat, fuit indutus. Illos deinde amplexibus suauissimis deprecatus est, vt pro se Deum exorarēt; humiliter ab omnibus reposcens, vt se bonorum omnium, quæ post Religionis ingressum promeruerant, participem facerent; ex illis autem, alij omnia, alij dimidiam suorum laborum partem obtulerunt.

Denique cum à singulis veniam (profusis lachrymis) deprecatus esset, fratribusque vale dixisset; de proxima iam lætus morte, vtrumque brachium pariter in altum erigens (quamuis

finiſtrum vi morbi paulò ante mouere non poſſet) Crucem ligneam, quæ ad caput eius repoſita erat, arctè complexus; & ore ſæpiſſime oſculatus, cum ingenti pietate pronunciauit: Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, quæ ſola fuiſti digna ſuſtinere Regem cælorum, & Dominum. Quibus dictis ſanctam Deo, reddidit animam 1463.

Penia in vita eiuſdem M. Antonius Columna in relatione facta Sixto V. P. M. ibidem. Chron. Franciſc. par. 3. lib. 5. cap. 1. & ſeq.

ANNOTATIO.

Infirmos DIDACVS non ſolum omni charitatis officio proſequebatur; ſed illis die, ac nocte tanta humilitate, & charitate ſeruiebat, vt ſæpius etiam plagas ſanie plenas, lingua lambere non horruerit.

VI.

DIDACVS (Lombardus dictus) Ord. Præd. ex primis S. Dominici ſocijs, cum cæleſtibus aſſiduè conſolationibus, dum eſſet incolumis abundaret, infirmitate vltima correptus, in tantam deuenit triſtitiam, tantumq. animi mœrorem, vt in impatientiã quoq. corruere videretur; ac omni ſpe deſtitutus appareret: Sed Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis cõſolatus eſt eũ tandẽ in tribulatione ſua; imperauitq. ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna, adeò vt cor eius, & caro quoque exultarent in Deum viuum. Cumque ſic lætus in infirmitate, mortem iam præſtolaretur, venit ad eum B. Iordanus, & cum iuxta eum ſederet, & prima verba proferret, nempè: Ne timeas frater, citò perges ad fruendum Chriſtum; tanta Didacus fuit lætitia perfuſus, vt quamuis ob infirmitatem immobilis, & penè exanimis iaceret, maxima cum alacritate erexerit ſeſe, & B. Iordanem amplexatus, dixerit alta voce: ò bone Ieſu educ de cuſtodia animam meam ad confitendũ nomini tuo. Quibus verbis vix abſolutis, decidit in lectulum corpus mortuum, & ſpiritus euolauit in cælum.

Chron. S. Dominici par. 1. lib. 2. cap. 14.

DIO-

VII.

DIONISIVS Episcopus Mediolanensis in exilio positus, cum ab Imperatore Constantio præceptum esset, vt omni cum honore suæ sedi restitueretur, votis exegit, vt in exilio vitam poneret; ne regressus, confusa institutis infideliũ studia inueniret. Vnde macie confecto, & corpore tandem ægritudine correpto, exul, vt optauerat, vitam finiuit. *Maij 25.*

Mombrit. tom. 1. Ferrar. hac die M.S. Bibl. Vall. Baron. in Annal. tom. 3. & 4.

VIII.

DISIBODVS Episcopus in Hibernia morti proximus Congregationem conuocauit; plura prædixit; & successorẽ, ac sepulturam delegit; cum lachrymis, & gemitibus orans, ne in humili Oratorij vmbraculo (in quo Deo solitarius seruierat) ipsum humarent; quod fratribus, magno dolore affecti pollicentibus; spiritum Christo, cui fideliter seruierat, reddidit circa annum Domini 544. ætatis suæ 81. *Iulij 8.*

Sur. tom. 4. ex Hildegarde Abbatissa, quæ eius vitam conscripsit. Molanus in addit. ad Vsuard.

ANNOTATIO.

Ortus fuit in Hibernia DISIBODVS in eaque insula Episcopatum gessit. Pulsus autem à sede sua, peregrinationem suscepit. Fratres deinde congregauit; quibuscum triginta annis in quodam monte fideliter Deo seruiuit.

IX.

DOMINICA Torres Virgo Hispana, imminente sibi mortis tempore, quod prædixerat, exultans accepit Crucifixi D.N. imaginem; eamque tam ardenter est amplexata, vt nullus ab ea potuerit auellere; sicque Christum sponsum suum dulciter alloquens, in manus eius reddidit spiritum; eodem anniuersario die, qua Bertrandus obierat, sicut ipsa prædixerat, nempè 9. Oct. *Oct. 9.*

Franciscus Diagus in hist. Ord. Præd. Prou. Aragoniæ lib. 2. cap. 86. Hispanicè.

ANNOTATIO.

Virgo hæc orta Valentiæ, regulam tertij ordinis S. Dominici fuit amplexa; cuius mira legitur vitæ austeritas; in Deum pietas; & in proximos charitas.

X.

Aug. 4. DOMINICVS Ord. Præd Fundator, de sui obitus die certior per diuinam reuelationem factus, alacritate multa Domino venienti, obuiam ire properauit. Gratias igitur agẽs Domino de certa expectatione futuræ gloriæ, inuisit quosdam è Clero, Bononiæ degentes, admodum sibi charos; cumque de mundi contemptu cum eis verba fecisset, prædixit suam ad Deum profectionem ante celebertimam Beatissimæ Virginis Assumptionem. Inuisit quoque Hugolinum Ostiensem Episcopum, qui tùm apud Insubres sum. Pont. legatione fungebatur; suum ei ordinem commendatum volens.

Morbo tandem grauatus, quamuis eum exhauriret dissenteria, & febris exureret, spiritu tamen Deo indefessus adhærens, hilaris semper, & iucundus apparuit, & sacco solummodo (more suo) contentus, noluit, huiusmodi afflictus valetudine, in lecto iacere.

Generaliter voluit priori domus peccata sua confiteri, multis audientibus Sacerdotibus. Testamentum quoque facere voluit, inquiens adstantibus. Hæc sunt fratres & filij charissimi, quæ vobis hæreditario iure possidenda relinquo: Charitas sit in vobis: Humilitatem sectamini: Paupertati voluntariæ studete. Monuit quoque eosdem, fœminarum vitare consortia; & vt semper cum Deo, vel de Deo loquerentur. Interrogatus vbi vellet suum sepeliri corpus; sub fratrum suorum pedibus illud se condi velle, respondit.

Susceptâ demum Vnctione extrema, dum ipse cum morte iam luctaretur, videns fratres de suo mœrentes discessu, eos est consolatus, dicens: In eo loco, ad quem nunc proficiscor, vtilior vobis ero, quàm hic fuerim. Iussit subinde Priorem, & fratres

fratres se præparare ad commendationem animæ; & vt eam post modicum inciperent: commendauit & ipse Deo filios suos. Tandem in ipsa migratione, labia ad preces mouendo, dum fratres dicerent, Subuenite Sancti Dei, &c. eleuatas tenens in cœlum manus, emisit spiritum, anno 1221. biennio autem post eius obitum à Greg. IX. Rom. Pontif. relatus est in Sanctorum numerum.

Sur. tom. 4. Ferdinand. Hist. Dominic. par. 1. cap. 43. Anton. 3. par. tit. 23. c. 1. & seqq. De eo Baron. in Annal. to. 12. Leand. Alber. lib. 1.

ANNOTATIO.

Erat in Turri quadam Romæ, iuxta portam Lateranensem, fœmina (BONA nomine) religione, & sanctitate cōspicua. Eam morbus grauissimus infestabat, ita vt ex pectore, & vberibus eius vermes innumeri scaturirent; Quos interdum excidentes colligebat, & in pectus suum reponebat. Hanc visitabat sæpius Dominicus, eius confessionem recipiens, & Eucharistiā illi porrigens; Cumq. die quadam tanti Sacramenti eam fecisset participem, & consolationis, atque ædificationis verba ei loqueretur, sedens ad fenestellam eius, inter alia rogauit eam, vt locum tam immaniter corrosum sibi ostenderet; fecit hoc illa; viditq. vir Sanctus pectus eius vermibus plenum, & multa erga illam commiseratione affectus; Oro te (inquit) vt pro magno munere largiaris mihi vnum ex his vermibus; Noluit illa, nisi fidem daret vir Sanctus vermem redditurum: Illo, hoc promittente; tulit vermem à pectore, & per fenestellam ei tradidit; qui sanè magnus erat, & atro capite; vt verò illum Sanctus accepit, & digitos suos vertit, eumq. inspexit, subitò versus est in elegantissimam gemmam. Ea re perspecta, admirantur fratres, qui cum illo erant; dicebantq. viro Dei, ne gemmam restitueret. Ipsa verò lachrymante, & orante vt ipsi redderetur, vir Dei fenestellæ eam imposuit, eamq. accepta illa (cernente Beato viro, & socijs eius) ad suum apposuit pectus, repentè in vermē mutatā. Dominico autem à turri descendente, postquam ei benedixit, vbera ab eius pectore, vnà cum vermibus deciderūt; & ipsa extinctis eisdem vermibus, illicò sanata est.

Sur. in vita Sancti Dominici lib. 2. c. 14. Leander Alber. lib. 1. vide infra simile in Simeone Stylita.

X I.

Ianu. 22. DOMINICVS Fulginas (Abbas Monasterij Sorani) Ord. S. Benedicti, morti proximus vniuersos ad se præcepit fratres conuocari; sibiq. (eorum officio) omnia protinus fieri, quæ de vsu Monasticæ consuetudinis morientibus solent exhiberi; cumq. cæteris consummatis, ad extremũ Dominici Corporis & Sanguinis mysteria percepisset, eiulantes fratres egredi, forisq. paululum iussit commorari. Egressis omnibus, cum solus in cella remansisset, à fratribus (qui loco viciniores assistebant) voces eius loquentis, & alterius cum eo colloquentis auditæ sunt; quam vir Sanctus confabulationem, cum vita pariter consummauit. Nam cum voces illæ amplius non audirentur, ingressi cuncti, eum expirasse inuenerunt; & neminem ibi videntes, certum tenuerunt omnes, ad migrantis solatium Angelos adstitisse. Obijt anno Christi 1031. ætat. 80.

Leo Ostiensis in Chron. lib. 2. c. 62. & lib. 3. c. 33. Ferrar. hac die. habetur in M. S. Bibl. Val. eius vita à Domno Alberico Monacho Cassinensi, & S. R. E. Cardinali descripta.

Gaspar quoque Spitillas Societ. Iesu descripsit eius vitam Italicè, quæ habetur impressa Romæ 1604.

X I I.

Oct. 14. DOMINICVS Loricatus in vltima infirmitate grauiter stomachi, & capitis doloribus cruciatus, non desijt ad vltimam vsque diem, vel modulandis Psalmis insistere, vel corrigiarum se ictibus (de more) flagellare. Qua tandem adueniente, post nocturnæ Sinaxis officium, cum hora Prima à fratribus, qui sibi aderant, cantaretur, sanctum Deo spiritum reddidit 1050.

Sur. tom. 5. ex Petro Damiano. Lippom. tom. 8.

A N N O T A T I O.

Cum esset in sæculo Clericus, vt Presbyter fieret, data est à parentibus eius Episcopo, Hircinæ pellis Aluta. Sed hoc pauore postea perterritus Dominicus, contempsit sæculum; induit Monachũ; arduumq. mox Eremiticæ vitæ arripuit institutum; & quia sciebat

ſe male promotum eſſe, donec vixit, Sacroſanctum altaris vſurpare myſterium nullatenus præſumpſit.

Fuit D. Petri Damiani diſcipulus; quem tamen idem Petrus Doctorem, & dominum ſuum appellare conſueuerat; eiuſq. vitam admirandam contexuit; de qua lib. 6. epiſt. 30. ad Teuzonem Monachum. De eodem pariter ſcripſit ad Blancam, ex Comitiſſa ſanctimonialem. Epiſt. 19. lib. 7. Et ad ipſum quoque Dominicum dedit Epiſt. 31. lib. 6.

XIII.

DOMINICO de S. Seuerino in Piceno Ordin. Min. moriente, viſi ſunt à fratre quodam, Dęmones multi circa cellã eius ſtare; expectantes, vt inde exiret Beatiſſima Virgo, quæ ad eum viſendum venerat. Triduò autem ante obitum, noluit à quoquam viſitari; ſed omnibus dictum voluit, ſe in animæ ſuæ negotio occupatum eſſe; eam etenim breui Domino erat reſignaturus: totoq. illo tempore ad mortem ſe parans, & peccata ſua, aliorumq. deflens, tandem in manus Domini reddidit ſpiritum.

Chron. S. Franciſci par. 3. lib. 7. cap. 42. ex Mariano qui Chronicon edidit Ordinis, vſque ad annum 1518.

ANNOTATIO.

Dicitur hic, in Chronicis, DOMINICVS de Leoneſſa, quia illud incoluit oppidum diù, quamuis Sancti Seuerini Prouin. Marchiæ ortus fuerit.

Animam ſuam pro amicis ſuis, imò pro ſuis Ouibus (quas pabulo verbi Dei iugiter paſcebat) ponere Miſericors Pater, & Paſtor non dubitabat. Cum enim peſtem in Fabriani oppido graſſari aliquando audiſſet, ad populum illum (quem ſæpius concionibus ſuis erudierat) iuuandum præſtò fuit: illuc etenim ſtatim profectus, eidem populo mira famulatus eſt charitate; nec inde recedere voluit, donec lues abſcederet; Deiq. corripientis manus recederet.

Interrogatus aliquando DOMINICVS, quid opus eſſet Monacho, in Dei ſeruitio proficere cupienti? Obedientia (reſpondit) Oratio: & Studium; ſed hoc ordine, vt dimittatur pro obedientia ſtudium, & oratio; pro oratione ſtudium.

XIV.

Ianu. 27 DOMITIANVS Euthimij Abbatis diſcipulus, cum à magiſtro ſuo in Diaconicum ductus; & ibi triduò ſecum moratus eſſet; donec ille ſpiritum redderet, ex eodem loco diſcedere amplius noluit; ſed ibi manſit vſque ad ſextum diem poſt eiuſdem Euthimij obitum. Cum ſeptimus autem iam dies aduenisset, lætus ei noctu apparuit Sanctus Euthimius dicẽs: Veni huc, tibi paratam gloriam conſecuturus; Ecce enim Deus tibi cõceſſit, vt hìc quoque nos degamus communiter. Tunc Domitianus venit ad Sinaxim: annunciauit fratribus quæ ſibi à Magiſtro ſuo dicta fuerant: & lætus in gaudio; & ſpe futurorum bonorum, è vita migrauit. anno Chriſti 472. *Sur. tom. 1. in vita S.* Euthimij, *de quo infra*.

XV.

DOSITHEVS Monachus cum grauiter ægrotaret, ac ſanguinem euomeret, audiuit ſorbilia oua, multum eiuſmodi morbi laborantibus conferre; proinde dixit Dorotheo patri (ſub cuius obedientia illucuſq. vitã duxerat) pater, vellẽ tibi dicere de re quadã, quã profuturã mihi admodum audiui; ſed nollem mihi eã cõcederes; valde etenim huiuſce rei cogitatio me infeſtat: ſpopondit pater non daturũ; Dixitq. ille quod audierat de ouis; ne autem affligeretur, non dedit ea illi Dorotheus, ſed ſtuduit pro ouis alia quædam vtilia exhibere.

Dum ſic infirmus iaceret, iugem habere ſtudebat Dei memoriam, ſæpius, iterans: Domine Ieſu Chriſte miſerere mei, &: Fili Dei adiuua me.

Cum autem ita imbecillis euaſiſſet, vt vlterius progredi nequiret, dicebat ei Dorotheus: Doſithee meditare, & contemplare; curæ tibi ſit oratio; Caue ne illam remittas: ille autem reſpondebat: Benè pater, ora pro me. Demum cum ſubingraueſceret morbus, aiebat Dorotheus, quid eſt Doſithee? Quomodo ſe habet oratio? Adhuc perſtat ne, aut ceſſat? Cui ille: etiam pater, ſed tuis precibus. Vbi verò magis idem ingraueſceret morbus; ita vt in Sindone geſtaretur, ait illi: quomodo oratio? tunc reſpondit: Ignoſce mihi pater,

iam

iam amplius incumbere illi nequeo; ait igitur Dorotheus: igitur dimitte eam, & ab oratione cessa; veruntamen Dei memoria nunquam abscedat à te; cogita illum semper adesse, teq. illius conspectui semper assistere.

Cum laboraret autem nimium, significauit magno illi Barsanuphio, dicens: Dimitte me, quoniam iam vlterius nequeo: ait illi senex: sustine, & expecta paululum fili; propè est enim Dei miseratio. Rursus post aliquot dies ait seni: Domine iam amplius nequeo penitus; tùm senex: Vade (inquit) in pace fili, & te S. Trinitati præsenta; atque precare pro nobis. Quibus dictis, euolauit vir obediens in cœlum.

Vita ipsius ex Dorothei sermonibus. Vbi mira de eius perfectissima obedientia leguntur.

XVI.

Dunstanus Archiepiscopus Cantuariensis, dum in solemnitate Sanctissimæ Ascensionis, expleto noctis officio in Ecclesia solus pro tanti gaudij consideratione, Christo totus n hæreret, vidit innumeram candidatorum multitudinem (per Ecclesiæ ianuas irrumpentem) coram ipso consistere, à qua salutatus, ad celebranda cum illis in cœlesti curia festiua gaudia inuitatus fuit; Cui post gratiarum actiones, respondit; muneris sui esse in illa die oues sibi creditas pascere; ac vitæ æternæ pane reficere; easq. pariter, quo tramite Christum sequi deberent quò processit, informare; cuius rei gratia plurimi conuenerant; & ideo non posse illa die venire. Dederunt ergo ei inducias vsque ad diem Sabbathi; in qua cũ iusserunt præstò esse, inde cum illis Romam transiturum, & coram Summo Pontifice Sanctus Sanctus, æternùm, cantaturum. Hæc autem omnia vidit, & audiuit Presbyter quidam Elfgarus nomine, qui in domus Dei excubijs, assiduus esse solebat. Maij 19

Dunstanus igitur de imminente sibi æterna felicitate securus, lætabatur in Domino, & spiritali replebatur iucunditate. Cumq. Diuini officij iam hora instaret illud celebraturus) ad a tare festiuus accessit; & lecto ad Missam Euangelio, populo prædicaturus processit. Reuersus deinde ad altare

tare,& facta consecratione, vbi ad Benedictionem super populum ventum est, iterum populo prædicaturus ab altare digreditur. Sermone finito, altare repetijt, & Pontificalem Benedictionem impertiuit. Data benedictione, tertiò populum (cunctis stupentibus) adijt. Moxq. vt os ad loquendũ aperuit, tanta vultus eius claritate resplenduit, vt in toto illo conuentu nemo esset, qui oculorum radios irreuerberata acie in eum figere posset. Detegit autem instantem sui obitus diem; populoq. mœrenti promisit, in spe gratiæ Dei, quod licet corpore absens, nunquam tamen eis, sui præsentia spiritus absfuturus esset. Commendauit omnes Christo, & demum ad mensam epulaturus ascendit: Cumq. à mensa (sumpto cibo) surrexisset, Oratorium petijt; designatoq. loco, in quo sepeliri volebat, sepulchrum sibi parari fecit. Inde languor, corporis inuasit artus, & sexta sequenti feria, lecto decumbens, incessabili mentis deuotione Deo intentus, omnes aduentantes ad Christi sectanda vestigia incitabat. Vltimo tandem aduenięte die Sabbathi, sacro munitus Christi Corpore, expectabat lætus horam, sibi angelica reuelatione prædictam; in qua subitò, cum lecto, in quo iacebat, vsque ad superiora domus eleuatus est; sed trabibus obsistentibus, ne veheretur vltra, leniter fuit ad terram demissus. Pauore nonnulli circumsedentiũ percussi in diuersa dissilierunt; sed illo iam demisso reuertentes, iterum sicut prius ad trabes raptum, & demissum viderũt: Quod tertiò factum est. Tunc congregatis circa se filijs dixit pater: Vos ipsi oculis vestris quò vocor intuiti estis, & quò vadam. Nostis viam, qua incessi; nostis opera, quibus insudaui dum vixi: quapropter breuiter vos moneo; si quò vado, vultis venire, quà incessi non pigeat vos ire. Ipse benignus Deus, qui direxit iter meum ad se, dirigat ad omnem voluntatem suam corda, & corpora vestra in pace. Respondentibus autem cunctis, Amen, in pace quieuit, anno Domini 988.

Sur. tom. 3. De eo Molan. in addit. ad Vsuard. Trith. de Vir. Ill. Ord. S. Bened. lib. 3. cap. 221. & lib. 4. c. 100. Baron. in Annal. tom. 10.

A N-

ANNOTATIO.

Cum adhuc puer DVNSTANVS languore correptus, ad exhalationem vſq. vltimi ſpiritus perductus eſſet; & veluti mortuus iaceret; circa mediæ noctis ſilentia ſanitatem diuinitus recepit; & illicò, ſtupentibus omnibus, lecto exilijt; domum exiuit; ac ad Eccleſiam pro reddita ſibi ſanitate, Deo gratias acturus, impiger tetendit; ſed cum eam clauſam omni ex parte inueniſſet, Angelico miniſteriò intra eam ſublatus, coram altari depoſitus fuit.

Idem Sur. in vit. ipſius cap. 2.

Quadã nocte, cum mẽbra vir Sanctus quieti dediſſet, per viſum in ſuperna raptus, cœleſtibus interfuit melodijs; & iubilantiũ choros reſonantes vndiq. Hymnos, ac laudes in gloriam potentiſſimi Regis audiuit. Interrogatus autem à iuuene quodam, cãdidiſsimo cooperto amictu, cur & ipſe illorũ laudibus non ſe commiſceret? Reſpondit, ſe quid cantare in laudem tanti Regis ignorare; vnde ab eodem iuuene hanc edoctus eſt Antiphonam,

O Rex gentiũ dominator omniũ, propter ſedem Maieſtatis tuæ da nobis indulgentiã, Rex Chriſte, peccatorum Alleluia.

Quam DVNSTANVS per viſum ſæpius repetens, & in laudem præfati Regis frequentius canens, mira iucunditate paſcebatur: expergefactus autem à ſomno, antiphonam ſtatim (ne obliuioni daretur) ſcribi præcepit, eamq. à ſuis poſtmodum cantari ſæpius coram ſe fecit. *Idem Sur. in vit. ipſius cap. 35.*

Multa paſſus fuerat ab Eduuino Rege, quem tamen pœnitentem ex hac vita diſcedere, precibus obtinuit vir Sanctus; quod quidem narrat Osbertus (vitæ Auctor) his verbis: Interea Eduuinus è vita præſenti ſubtractus eſt, & anima ipſius DVNSTANO (in orationibus occupato) à quibuſdam teterrimis hominibus è veſtigio eſt præſentata. Cuius miſeriam miſeratus (ſuarum iniuriarum immemor) pro liberatione eius immenſos Omnipotẽti Deo lachrymarum imbres effudit; nec ab eis deſtitit, donec ſe pro eo exauditum agnouit. Facto igitur nõ grandi interuallo, Mauri illi ad DVNSTANVM ſua præda vacui redeunt: Et quia ſuas iniurias vlciſci ſuperuacuè venerant, calumnioſa voce depromunt; quorum ille furores nihili penſans, Deo, ſuper ineffabili miſericordia eius gratias egit.

Hæc Osbertus. Habentur ead. in Annal. Baron. tom. 10. anno Chriſti 959.

De ead. Dunſtano plura infra in Eduardo, *& in* Elſgina.

I.

Iul. 7.



EARCONGOTA Monialis in Monasterio Brigæ in Gallia, imminere sibi sciens suæ vocationis diem, cæpit circumire eiusdem Monasterij cellulas infirmarum; earumque maximè, quæ vel ætate prouectæ, vel morum probitate insigniores habebantur: Quarum se omnium precibus humiliter commendans, obitum proximè suum significabat esse futurum. Ipsa autem nocte, qua migrauit ad Dominum, multi de fratribus (qui alijs morabantur in ædibus) audientes Angelorum psallentium concentus, & sonitum plurimæ multitudinis domum illam ingredientium, egressi de Monasterio, dignoscere quid esset cupientes, viderunt lucem permaximam cælitus emissam, quæ sanctam illam Animam ad cælestia gaudia ducebat.

Beda histor. Angl. lib. 3. cap. 8. ex quo Sur. tom. 4. & 7. Lippom. tom. 2.

ANNOTATIO.

Fuit Earcongota, seu Eartongota, filia Earchomberti primi Regis Anglorum, virgo (vt inquit Beda) magnarum virtutum, indesinenter Deo seruiens; quæ, cum suo tempore, pauca essent in regione Anglorum Monasteria constructa, Galliarum Monasterium adiuit: in quod multi de Britannia (Monasticæ conuersationis gratia) adire solebant. *Idem Beda ibidem.*

II.

EBERARDVS Dux Vuitemberg. in Saxonia, infirmitate correptus, cum exoptatam instare sibi mortem agnosceret, curiæ primates viros; quod patriæ; quod suæ cuiusque debetur honestati commonuit: Vxorem item oratione graui, ac longiori est consolatus. Deinde, cùm de sæculi negocijs à nonnullis interpellaretur, audire se velle (ait) sermonem, quo & fides confirmari, & spes accendi, & charitas inflammari posset: desertas esse mundi curas: vnicam diuinitatem modò agitari. Inualuit interim adeò morbus, vt linguæ etiam officium

cium ademerit; & per nutum confiteri (interrogante Sacerdote) coactus fuerit. Sed post confessionem vires recepit corporis; & cum dixisset aliquoties: Domine ago tibi gratias, resedit in lecto; & voce clara, & integra in hunc modum oravit.

Creator cæli, terræque Deus, te quæso fac agnoscam. Si quisquam est, cui præter æquitatem graue nimis fuerit imperium meum, restituetur is, rebus meis impensis omnibus. Quod si ne hoc quidem satisfieri potest, tibi (benigne conditor) en hoc est (quod offero, quod deuoueo) corpus; castiga iugiter; hoc piaculum esto. Nec his plura effatus, Eucharistiæ Sacramento accepto, sequenti die feliciter obdormiuit in Domino, anno salutis 1496. ætatis 51.

Naucler. in Chron. vol. 3.

III.

EBHERARDVS Monachus Bertholdi discipulus (eo defuncto) ad sepulchrum ipsius continuis precibus, lamentisq; flagitabat, vt quantocyus posset suum sequi magistrum. Apparuit autem ei Bertholdus, iubens vt paratus esset, velociter ad eum venturus, sicut petierat. Visione transacta cœpit infirmari; atque in grabato, in quo vir Domini obierat (propter eius amorem) decumbens (factus in extasi) vidit quadam die sanctum eundem ad altare B. Petri, quasi missam celebrare; vnde exiliens è lecto, cœpit currere, vt eum adiuuaret: & cum vsque ad ostium monasterij cucurrisset, interrogatus à videntibus quò sic properaret? Nescitis (inquit) quod Dominus noster Missam celebrat ad altare S. Petri? illuc festino, vt eum adiuuem. Tunc ad lectum reductus est, & post modicum ex hac luce subtractus.

Sur. edit. postr. in vit. Bertholdi num. 29. 30.

ANNOTATIO.

EBHERARDVS, cum Clericus esset, à Marchione quodam (in cuius ditione erat) Monachus fieri (vinculis, atque verberibus) coactus fuit: Sed, quamuis talem habuerit Religionis initiũ,

adeò

adeò tamen profecit in timore Domini; vt omnes, qui simul cum eo monachi fieri, pariter compulsi fuerant, superauerit.

Hunc BERTHOLDVS (de quo supra) cũ in extremis esset successorem sibi, proposuit discipulis (eum de successore nominando rogantibus) & quia impeditæ linguæ existens, eloquentiæ donum non habebat, subdidit: Est quidem illi paruus defectus, sed hunc diuina prouidentia vtiliori supplebit munificentia; & minus nocebit non esse facundum, quem constat cælesti approbatum sententia. Dum hæc loqueretur BERTHOLDVS, ipse EBHERARDVS pedes sancti viri (quoniam frigidi erant) in manibus & gremio tenens (more suo) dulciter confouebat, nihil curans de illorum circa regimen confabulatione. At vbi (omnibus digressis) ipsi soli duo fuere, talibus verbis virum Dei est allocutus: Eia (inquit) quid fecisti? Quale consilium in me dedisti? Hæccine est gratia, quam laboribus meis retribuis? Hoc promerui? Pia merces, clemens retributio: Tu ad requiem tendis, & me tribulationibus immergis: Tu pergis ad Christum, & mihi onus imponere niteris, sub quo curuantur qui portant orbem. Huiuscemodi igitur (quasi improperijs) pium obiurgabat patrem, flens largiter, & totis præcordiorum affectibus; vel simul abire desiderans; vel sub omni subsequi celeritate. Quod etiam precabatur multis contestationibus, videlicet, ne hic diutius dimitteretur. ***Idem ibidem.***

I V.

Dec. 29. EBRVLPHVS Eremita in Pago Oxomensi in Gallia, cum iam octogesimum ætatis annum excessisset, cupiebat dissolui, & esse cum Christo; illud repetens sæpius, infidelem esse seruum, qui nolit in conspectu venire Domini Dei sui. Incidit igitur in grauem morbum, adeò vt nihil esculenti, aut poculenti sumere posset, præter solam aquam: Atque ita sine cibo, dies quadragintaseptem vitam duxit; Christi solummodò sacri corporis, & sanguinis perceptione se sustentans. Tandem cum adhortatus esset fratres, vt manerent in charitate, eisque vale dixisset; alacri, & Angelico vultu migrauit ad Dominum, anno salutis 596.

Anon. obit. Ebrulphi autẽ huius Diaconus, qui ob vitæ sanctimoniam ei charus valdè fuerat, videns eum iam mortuum in lachrymas erumpens, ait: Cur me Pater deseruisti? Cur non mihi licuit prius sepeliri, quàm tu exires à corpore? Hæc cum dixisset,

xiſſet, in cubiculum ſe recipiens, eadem nocte (cum eſſet poſtridie ſepeliendus EBRVLPHVS) meritis illius, Deo ſpiritũ reddidit; & ambo ad idem ſepulchrum fuerunt deportati, ac repoſiti.

Sur. tom. 6. Vſuard. Martyrol. hac die. Petr. de Natal. lib. 11. cap. vlt. num. 23. Vuillhelmus Gemiticenſis in hiſtoria Anglica, Norman. &c. ex Camdemio cap. 23.

ANNOTATIO.

Cum audiſſet aliquando EBRVLPHVS vnũ è fratribus abſque ſacro migraſſe Viatico, infremuit ſpiritu, & orans cum lachrymis, defunctum interrogauit; vtrum vellet Euchariſtiam accipere? Ille verò quaſi à ſomno expergefactus, aperuit oculos, annuit; ſuſcepit; & rurſus in ſomno pacis obdormiuit. *Idem Sur.*

V.

EDELHVN, & EICBERT fratres Angli, cum eſſent in Monaſterio, & ſocij ipſorum omnes, vel mortalitate de ſæculo rapti, vel per alia eſſent loca diſperſi, correpti ſunt ambo eiuſdem mortalitatis morbo, & grauiſſimè afflicti; è quibus, EICGBERT, cũ ſe exiſtimaret eſſe moriturũ, egreſſus eſt matutino tempore de cubiculo, in quo infirmi quieſcebant; & in opportuno loco ſolus reſidens, de actibus ſuis cæpit ſedulus cogitare; ac peccatorum ſuorum memoria compunctus, faciem lachrymis abluebat; & ex intimo corde Deum precabatur, ne adhuc mori deberet, priuſquam vel præteritas negligentias perfectius caſtigaret; vel in bonis ſe operibus abundantius exerceret. Votum etiam vouit, adeò peregrinum velle viuere, vt nunquam in Inſulam, in qua natus erat (Britanniam ſcilicet) rediret. Inſuper præter ſolemnem canonici temporis pſalmodiam (ſi non valetudo corporis obſiſteret) pſalterium totum quotidiè in memoriam diuinæ laudis decantare. Adiecit quoque, in omni hebdomada diem cum nocte ieiunum tranſire. Cumque finitis precibus, & votis, domum rediret, inuenit ſodalem dormientem; & ipſe quoq. lectum conſcendens, cæpit in quietem membra laxare; cumq.

paululum

paululum quieuiſſet, expergefactus ſodalis, reſpexit eum, & ait: O frater Eicberte? ò quid feciſti? Sperabam quia pariter ad vitam intraremus æternam, veruntamen ſcito quia, quæ poſtulaſti accipies (didicerat enim per viſionem, & quid ille petijſſet, & quia petita impetraſſet) ipſe igitur Edelhun proxima nocte defunctus eſt.

Eicgbert autem decuſſa ægritudinis moleſtia conualuit, ac multo poſt tempore viuens, bonis operibus plenus; ſicut optauerat, tandem ad cæleſtia regna migrauit, anno Dom. 664. *Beda hiſt. Angl. lib. 3. cap. 27.*

V I.

Nou. 16. EDMVNDVS Epiſcopus Cantuarienſis extremum aduertens ſibi aduenisse diem, Sacroſanctum Chriſti corpus ad ſe afferri iuſſit; eoque allato, manus extendens, magna fretus fiducia, ſic orauit: Tu es Domine, in quem credidi; quem prædicaui; quem veraciter docui: Tu mihi teſtis es, quod in terris nihil præter te quæſiui; & tu noſti nihil me velle, niſi quod tu vis: Ita fiat Domine voluntas tua. Quibus dictis ſacroſanctam percepit Euchariſtiam; dieque tota iucũdus adeò, & hilaris apparuit, vt omnis ægritudinis expers omninò videretur. Extremæ quoque vnctionis Sacramentum accipere voluit; quo munito, Crucem (non ſine lachrymis) complexus, mira deuotione, ac pietate, Chriſti vulnera (ſed lateris præcipuè) crebrò & prolixius deoſculabatur; illud repetens Iſaiæ 12. Haurietis nunc aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.

Membris autem ſenſim deficientibus, & morti iam proximus cum eſſet, nullum tamen mortis in eo apparebat indicium; non ſuſpiria; non gemitus, vel querimoniæ ſunt auditæ. Quinimò nec lecto decubuit, vt ſolent morientes; ſed vel ſedens, vel (quietem aliquando capturus) caput in manus deponens, vocatus tandem à Domino feliciter obijt, & ad ipſum abijt, anno ſal. 1240.

Surius tom. 6. & Vinc. in ſpec. lib. 31. cap. 67. & ſeq. Petr. in Catal. lib. 10. cap. 68. Antonin. par. 3. tit. 19. cap. 10.

cap. 10. *Molan. in addit. ad Vsuard. Hist. S. Bernardi par.* 1. *lib.* 5. *Hispanice.*

A N N O T A T I O.

Dum aliquando EDMVNDVS à sodalibus (quibuscum puer deambulabat) se celerius subduxisset, ne conscientiæ contaminaret puritatem, pueri Iesu dignatus est apparitione; à quo cum interrogaretur, an sui notitiam haberet? & ipse negasset, iussus est in faciem eius aspicere, & intueri quid in ea descriptum esset. Aspiciens autem EDMVNDVS vidit ibi (cælestibus exaratum literis) IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM, quod cum puero Iesu indicasset, ille respondit ocyus. Hoc est nomen meum, quod tu debes affigere animo tuo, eiusque ardere desiderio; ac semper noctibus tuæ fronti imprimere: Quod tibi magno præsidio erit aduersus mortem repentinam; sicut & alijs, qui illud fronti suæ inscripserint: eius nempe desiderio ardentibus, & illud cordi imprimentibus.

Adolescens EDMVNDVS Beatissimam Virginem sibi in sponsam elegit, castitatemque coram eius imagine vouit; In cuius initi fœderis signum, digito eiusdem sacræ imaginis infixit annulum, in quo Salutatio Angelica erat inscripta; alterumque similem in digito suo habere voluit, quocum etiam se sepeliri iussit.

Post obitum tanti viri, cum sacrarij custos cuperet aliquid ex eius reliquijs adipisci, accessit ad feretrum, & annulum Pontificalem nisus est à B. Viri digito auellere, alium in eius locum reponere cogitans. Sed nullo unquam conatu eum extrahere valuit. Vnde frustra se niti videns, os suum ad aures defuncti applicauit, & demissa voce, tanquam viuenti, sic ait: Peccaui, sancte Pater, quod non prius petita venia, quod tuum est mihi vsurpare institui. Sed quia id facere volui, honoris tui causa, ignosce (obsecro) consentiendi, & optatum munus tangere petenti. His dictis, apprehendit B. Viri manum, summaque facilitate annulum non tam detractum, quam elapsum è digito, ex eis accepit. Qui inter alias res sacras fuit appositus, eiusque contactu postea multa ægri beneficia perceperunt.

Anthracem, siue Carbunculum in pede tulit EDMVNDVS aliquando. Calamum igitur arripiens, quo scribere solebat, tres vel quatuor Cruces in eius circuitu, vnam super Apostema depinxit; quo facto, altera die, ita malum illud omne euanuit, vt nullum eius vestigium cerneretur.

VII.

Ianu.5. EDVARDVS Angliæ Rex, ſciens quia appropinquaueràt hora eius, vt ex hoc mundo recederet, ſuum tranſitum mox in circuitu propalari iuſſit: ne (dicebat) mortis agnitione dilata, orationum quoq. ſuffragia differantur; ſicq; ſenex, & plenus dierum feliciter migrauit ad Dominum anno ſalut. 1066.

Sur. tom. 1. Roderic. Toletan. in Chron. Hiſp. tom. 1. Deco Baron. in Annal. tom. 11.

ANNOTATIO.

Plura de tanti Regis pietate, clementia, terrenarumq. rerum contemptu notari poſſent; ſed hæc præcipue non omittenda; ex quibus (tanquam ex vngue Leo) qualis fuerit dignoſci poterit.

Recumbebat aliquando EDVARDVS in lectulo, eiuſq. Camerarius interim acceſsit ad Thecam, in qua æs Regium ſeruabatur; & repoſito intus quod volebat, illam claudere oblitus, foras eſt egreſſus: Animaduertit hoc quidam, & ad eandem tacitus accedens thecam, pecuniam non modicam inde abſtulit, & abſceſsit; Reuerſus quoq. denuò (Rege inſpectante) facinus iterauit: Quod cum tertiò attentaret, cernens Rex in ſpiritu, theſauri iamiam superuenturum cuſtodem, ait; Importunè agis ò homo; ſi mihi credis, tolle quod habes, & fuge; quoniam ſi venerit Hugolinus (hoc enim cubicularij nomen erat) nec vnum tibi nummum relinquet: fugit mox ille; & vix pedem extulerat, adeſt Hugolinus, qui theſaurum ablatum reperiēs, exclamare cœpit; tunc ſurrexit Rex, & quaſi quid acciderit ignoraret; tace (ait) fortè ille qui cœpit, plus nobis indiguit: Habeat ſibi, ſufficit nobis, quod remanſit.

Conſtruxerat pius Rex Sancti Petri Apoſtoli Eccleſiam iuxta Palatium ſuum, in qua cum aliquando moraretur, venit quidam vir Hibernicus; pedis vtriuſq. priuatus officio; nerui enim in poplite contracti, ad poſteriores corporis partes crura retorſerant, talibus natibus inhæſerant; immerſiq. carnibus pedum articuli à lumbis eius, & deorſum corpus omne peruerterant. Hic videns Regis cubicularium, dixit ei (opem eius implorans) ſexies Apoſtoli limina, repens vt cernis, viſitaui, & ſanitatem needum promeruit, etiam tamen mihi Apoſtolorum Princeps non negauit, ſed diſtulit, ſocium in hoc miraculo habere volens EDVARDVM, quem ſibi nouit in omnibus eſſe deuotum. Ab ipſo enim Apoſtolo in-

mandatis accepi, Regem adire, vt me suo sacro subiectum dorso, ad Ecclesiam eius, quæ palatio vicina est, perferat; recepturum (si id fecerit) membrorum meorum integram sanitatem. Nunciauit hæc cubicularius Regi; qui gratias Deo agens, citatus mox Ægrum arripuit, humerosq. suos ad eum portandum supposuit. Pendebat ex humero tanti Principis plenus sordibus pauper; Regiumq. illud pectus, squallidis manibus, brachijsq. squamosis complectebatur. Cum itaque Rex paululum processisset, subitò extenduntur nerui; distenditq. homo crura; poplite jam flexibili, & (sanie cum sanguine profluente) vestis Regia ornatur potius, quàm fœdatur. Satis esse clamarunt omnes; sanatum jam languidum; onus ob sordes vlcerum deponendum: Rex verò memor præcepti, quod susceperat, Sirenarum cantus (obturatis auribus) pertransijt; ingressusq. Ecclesiam, ante Sanctum altare, holocaustum quod detulerat, Deo, ac Beato Petro resignauit, incolumemq. hominem dimisit.

VIII.

EDVARDVS Monachus negligentior factus, & obiurgationes patrum non sustinens, fugam meditatus est è Monasterio, in quo sepultus fuerat S. Dunstanus Archiepiscopus. *Nou. 11.* Nolens autem discedere, nisi permissu eiusdem Sancti (cui quidem valde fuerat deuotus) adijt ejus sepulchrum; & humi stratus, orauit, vt iter suum paterna dignaretur benedictione prosequi; quocunq. etenim pergeret suæ deuotionis memorem se futurum pollicebatur. Inde igitur discedens, è templo exiturus, obuium habuit, reuerendo vultu, Monachum quendam scipioni innixum; à quo iussus est ad sepulchrum redire, & orare attentius; voluntate mutata, stupefactus ille redijt; sed nihil priorem precandi formulam mutauit; & denuò egredi volens, videt eundem Monachum; à quo obiurgatus, iterum redire iussus est, mentemq. cum prece mutare; Illo verò potius progredi, quam regredi nitente, Monachus scipionem sustollens, & in eum vibrans, compulit, vel inuitum, redire. Multo igitur pauore perculsus, priores repetijt preces; & inde reuertens, nullum amplius videns, arbitratus est, se iam rectè fecisse, & ad ostium cœnobij properauit; Ibi tum stantem eundem inuenit Monachum; qui vultu concitato, rursus quò

ret sciscitatus est: sed & ipse Eduardus, commoto animo, eũ quis esset interrogauit, cuiusue auctoritatis, qui sibi hanc molestiam excitaret: Respondit ille, qui Monachus esse videbatur: Dunstanus ego sum, amator, & adiutor omnium bonorum filiorum Ecclesiæ huius: Tu verò peruersa voluntate vis deserere Ecclesiam matrem tuam: vis deserere Deum patrem tuum, & ad huiusmodi rem vis me tibi suffragari? Monui te semel, atque iterum, vt resipisceres, & noluisti. Noueris ergo, cum mea bona venia, nunquam te hinc exiturum; sed velis, nolis, hic te permansurum, hic etiam moriturum: Et quia me monentem audire noluisti, te ipsa te perperam fecisse sentics.

His dictis, scipione eum grauiter cecidit, & mox disparuit. Ille vero in terram collisus, & humi prostratus, à fratribus illuc superuenientibus, debilis valdè repertus est, & ad valetudinarium deportatus: cumq. crescerct in dies dolor eius, & deterius se haberet semper, quo laboraret morbo nemo scire poterat, nec ipse quid passus fuerit cuiquam apetire volebat. Accidit hoc intra duo festa Assumptionis, & Natiuitatis Beatissimæ Virginis. In ferijs autem Sancti Martini (morbo ingrauescente) sacro Viatico, & Vnctione extrema se muniuit, & in terram super stratum cilicium, tanquam mox moriturus, fuit depositus: tunc fratres (de more) Septem Psalmos recitarunt, & Litanias pro eius felici obitu; sed cum dicerent suo loco, Sancte Dunstane intercede pro anima eius; idq. sæpius iterarent, spe auxilij impetrandi, quam erga Sanctissimum patrem illum suauius conceperant, cœpit æger (qui iam propè animam exhalabat) respirare, & circunstantes piè intueri; quibus tunc ad se inclinantibus, dixit: Ponite me quæso in lectum meum; eo facto, Priorem accersiuit Monasterij, eiq. rem totam explicauit; Malæ suæ voluntatis pœnitentiam egit; veniam petijt, atque absolutionem; & fassus est, se nullo pacto mori potuisse, nisi id prius notum fecisset, & pœnitentiæ remedio, atque absolutione potitus esset. Prior igitur, admiratus Dei misericordiam, eum absoluit; eiq. pœnitentiam

iniunxit. Tunc ille mente exhilaratus, Deo gratias egit, petijtq. à Priore, vt sibi iam è córpore liceret abire. Prior autem dixit ei: proficiscere cum benedictione Omnipotentis Dei; comes tui itineris sit Beatus & pius Pater Dunstanus; & suscipiat te in Regnum suum filius Dei Dominus noster Iesus Christus. In quibus verbis, priusquam è lecto deponi posset ad stratum cilicium, feliciter migrauit ad Dominum.

Sur. in Vita S. Dunstani, tom. 3. propè finem, vbi agitur de miraculis, post eius obitum.

ANNOTATIO.

Simile habetur apud Gregor. in regist. lib. 9. epist. 38. de quodã Monacho Monasterij S. Andreæ; cui fugã meditanti, apparuit ipse Sãctus, & canem ad eum dilaniãdum dimisit. Vnde miser tremens, ac eiulans; apertisq. oculis nihil videns, Monachorum manibus ad Altare eiusdem Sancti fuit perductus: ibiq. eorum orationibus adiutus, quæ sibi contigerant, enarrauit.

IX.

AEGIDIVS Ord. Min. Sancti Francisci tertius socius, graui morbo correptus, adeò vt neque somnum, neque cibum capere posset, pridie eius diei, quo S. Georgij feriæ celebrabãtur; cum nocte à fratribus esset in quodam lecto depositus, & Perusini ciues apud eum excubias agerent, vt sacrum eius corpus sibi post obitum retinerent, cuidam fratri illic adstanti ait: Dicito Perusinis, eos vel propter mea miracula; vel ob mei in Sanctos relationem, siue Canonizationem, nullam vnquam pulsaturos campanam; nec aliud eis datum iri signum, nisi Ionæ Prophetæ. Deinde quietissimè, & placidissimè, in lectulo decumbens, clausis oculis, & ore; absq. vlla membrorum valida protractione, aut cõmotione, beatissimũ reddidit spiritum, anno sal. 1282. eodem die, quo ante annos quinquagintaduos à S. Francisco habitu Monastico indutus fuerat. *Apr. 23.*

Porrò Perusini, dum saxum inquirunt, vnde eius condant monumentum, reperiunt sepulchrum marmoreum, in quo Ionæ historia sculpta erat. In eo igitur corpus eius deposuerunt, sicut ipse prædixerat.

Sur. tom. 2. hist. Seraph. lib. 1. Chron. Francisc. par. 1. lib. 7.

X.

Sept. 22. EIMERAMMVS, seu HEMMERAMVS Episcopus Ratisponensis, & Martyr, cum à carnificibus (post pedum, & manuum abscissionem, linguæ quoque radicitus euulsionem) esset in loco Martyrij relictus, postulauit à Clericis suis (è latibulis, alijsque vicinis locis tunc accurrentibus) paululum aquæ pro sui refrigerio; cui Vitalis Presbyter respondit: Ecquid Pater, omnibus corporis membris destitutus, refocillationem quæris, cum satius (meo quidem iudicio) mortem optares? Cernens autem Christi Martyr, Presbyteri animum secus affectum, ac debebat; collecto spiritu, abscissa quamuis lingua, vt potuit explicans, ad eum ait: Non tibi venit in mentem eius, cuius te sæpius admonui; Neminem scilicet ad mortem festinare debere, sed potius longiora pœnitentiæ optare spatia, vt contractas animi sordes in hac vita lachrymis abluere possit? An verò pigritiæ tuæ molestum videtur cruentum refrigerare pectus? Ecce nunc temporariæ vitæ, hanc propono pœnam, vt quoties potum ori tuo applicueris, fias mentis inops; nec tamen cuiquam noceas; sed inobedientiæ de te exemplum præbeas; & quidem Viri sancti dicta effectus deinceps secutus est. Ipse autem paulò post, cum ad Pagum quoddam efferretur, inter gestantium manus sanctam emisit animam, anno Domini 702.

Sur. tom. 5. Canis. Antiq. lect. tom. 2. §. 12. De eo Baron. in Annal. Eccl. tom. 8.

ANNOTATIO.

Fuit hic Episcopus Ratisponensis, qui ad imitationem Christi Domini nostri, aliena supra se peccata suscepit, libens volensque quousque eum liberaret à morte, qui scelus admiserat; licet postea suæ extiterit innocentiæ defensor. Dum etenim Theodonis Principis filia, nomine Ota, Sigibaldo cuidam commixta, in vitæ discrimine, vnà cum iubene adduceretur; ipse vt eos à nece eriperet, sibi passus est crimen ascribi; cuius causa crudelissimè à fœminæ illius fratre cæsus est.

Plures

Plures etiam alios SS. abſciſsis loquutos eſſe linguis,legimus. in Martyrol. enim Rom. 18. Nou. mentio habetur de Romano Martyre. apud Vict. Vtic. de perſec. Vuandal. lib. 3. de plurib. Catholicis, nolentibus ad Arianorum partes tranſire; quorum vnus (Reparatus nomine) adhuc ſuo tempore ſubdiaconus manebat Conſtantinopoli,in palatio Zenonis Imperatoris; Gregorius item Dial.lib.3. cap. 23. aſſerit ſe vidiſſe in eadē Ciuitate aliquos Epiſcopos abſciſsis linguis loquentes; quorum quidem vnus, in crimen lapſus,donum perdiderat.

Baron.in Annal. to.6. Anno Chriſti 484. eorundem, & aliorum affert exempla, atque teſtimonia.

XI.

ELECTVS Ord.Min. Adoleſcens, cum ad extrema deueniſſet;in ipſo mortis articulo cœpit cantare ſubmiſſa voce: Aſcendo ad Patrem meum; ſecundò altius; tertiò, voce tam alta, vt fratres omnes, ea commoti, ad ipſum conuenerint; & ita ſpiritum Deo reddidit in Conuentu Bremæ, Prouinciæ Saxoniæ.

Petrus Rodulphus in hiſt. Seraph. lib. 1. De eo in Chron. Min.par.2. lib.5. cap. 1.

XII.

ELIAS, & FLAVIANVS Archiepiſcopi in exilium relegati,die quadam ſignificauerunt ſibi ambo mutuò dicentes; Anaſtaſius (Imperator ſcilicet qui eos relegauerat) mortuus eſt; eamus igitur, & nos, vt iudicemur cum illo: Et poſt duos dies (à datis ſcilicet literis) ambo migrauerunt, anno Domini 518. *Iulij 4.*

Prat. ſpirit. cap.35. Lippom. tom.3. Sur. tom.6. in vita S.Saba cap.84. Vit.Patrum lib.x. de eo Baron. in Annal. tom.6. Niceph. hiſt. lib.16. c.32.34.38. hiſt. Miſcel.lib.15. Cedren. in Anaſtaſio.

ANNOTATIO.

ELIAS fuit Epiſcopus Hieroſolymitanus; FLAVIANVS Epiſcopus Antiochenus; ambo in exilio poſiti, ELIAS autē per viſū fuerat edoctus de Anaſtaſij interitu, dum eſſet cum Abbate Saba, qui ad eum viſendum venerat; cui quidem Sabæ, acerbè eiulans, dixit:

ò B. Pater ; heu , hac hora mortuus est Imperator Anastasius ; & oportet me quoque omninò decimo die post eum excedere , vt causam nostram agamus ante horrendum tribunal . Dedit postea literas Flauiano (biduò scilicet antequam decem illi complerentur dies) eundem de imminenti profectione admonens .

De eodem Imperatore Anastasio habetur in Prato spirituali cap. 38. quod in somnis apparuit ei Vir quidam codicem scriptum tenens, ac legens; euoluensq. codicis eiusdem quinque folia, & nomen Imperatoris ibi legens ; ait illi : ecce propter perfidiam tuam deleo quatuordecim;& digito suo illos deleuit: Ac post duos dies, facto fulgure magno, atque tonitruo, pauore turbatus infelix, in summa obijt angustia .

Simile quodammodo habetur infra in EVSTACHIO.

XIII.

Dec. 1. ELIGIVS Episcopus Nouiomensis , de obitu suo per visum edoctus,conuocari iussit omnes ministros; quibus, finem suum denuncians , mandauit vt mutuam seruarent pacem & concordiam . Febri demum correptus , morbum dissimulauit ; & scipioni innixus obambulans , à Dei opere non cessabat; ac pernox in vigilijs, & orationibus, lassescentia membra spiritui seruire cogebat.

Appropinquante migrationis die,adhortatus est discipulos suos , vt Iesum semper suspirarent ; præcepta eius suis animis affigerent ; Nomen eius (sicut ipse fecerat) amarent ; incertum vitæ lubricæ occasum ob oculos perpetim haberent ; Deique tremenda iudicia nunquam non formidarent . Videns autem eosdem discipulos lugentes , lugens & ipse dixit eis : facessat mœror, nec mihi quæso fletu vestro molestiam afferatis : De recessu meo (si sapitis) gaudere vos potius conuenit,quam lugere ; etsi enim corpore absens ero, spiritu tamen melius vobis adero ; atque etiam si ego nullibi essem , Deus tamen semper vbique est ; Illi equidem vos commendo . Et post multa, eisdem osculatis valedixit , dicens : Valete viscera mea . Deinde fixis humi genibus , orauit pro idoneo successore . Tùm oculis,ac manibus in cœlum erectis,diu mente precatus in vocem prorumpens,ait: Nunc dimittis seruum

tuum

tuum in pace: Memento quęso, quod sicut lutum feceris me, & : Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens : Memento mei, qui solus sine peccato es, Christe mundi Redemptor; & educens me de corpore mortis huius, saluum me fac in Regnum tuum cæleste: Tu semper fuisti protector meus: In manus tuas commendo spiritum meum. Scio me non mereri conspectum tuum; Tamen tu scis, quia semper spes mea fuit in misericordia tua; & fides mea in tua credulitate permansit: & nunc quoque in confessione sancti nominis tui moriens, extremum (Christe) anhelitum efflabo. Suscipe ergo me secundum magnam misericordiam tuā, & non confundas me ab expectatione mea. Aperi mihi properanti ianuam vitæ; & Principes tenebrarum non occurrant mihi; nec conturbent me potestates aeris huius; sed clemens dextera tua protegat me, & tua potentia me defendat; manusque tua deducat me in locum refrigerij, & vel in vltimam mansionem ex ijs, quæ præparasti seruis tuis timentibus te. Sub quibus verbis reddidit spiritum, anno Domini 665.

Sur. tom. 6. ex S. Audano Episcopo Rothomag. qui eius vitæ acta descripsit. Vinc. in Spec. lib. 23. cap. 86. & seq. Anton. part. 2. tit. 13. cap. 6. §. 15. & seq. Petr. in Catal. lib. 1. cap. 17. Molan. in Indiculo. De eo Baron. in Annal. tom. 8.

ANNOTATIO.

Sancti huius capilli custodiebantur à fidelibus, dum adhuc ipse viueret; auditæq. sunt sæpè Psalmorum suauissimæ melodiæ in cubiculo vbi à quadam Matrona repositi fuerant; ibique post longa temporis spatia, reperti sunt admodum suaueolentes, & prorsus incorrupti. *Idem Sur. in vita eiusdem lib. 2. cap. 55.*

Diebus singulis vir sanctus plebem sibi commissam ad pietatis amorem excitans, eam aliquando ad mortis præcipuè meditationem, ac præparationem his verbis admonuit: Diem mortis semper ob oculos statuite; ad vitæ emendationem, quantum potestis festinate. Nolite negligere, quod vos pius Dominus peccantes sustinet. Quantò enim diutius expectat, vt vos corrigatis;

gatis; tantò grauius vindicabit, si neglexeritis. Si fortè persuasum habetis, finem mundi procul abesse; certè cogitare, debetis, suum cuique impendère finem. Ecce quam multi, dum viuunt iucundissimè, multaque in longum tempus moliuntur, repentè tolluntur è medio, & ex improuisò rapiuntur è corpore? Itaque beatus ille est, qui horam illam semper habuit ob oculos, studuitque in ea paratus inueniri, vt possit tanti criminis expers esse. Scire enim debetis fratres, cum ingenti metu, magnisque doloribus animam separari à corpore. Veniunt enim Angeli, vt sistant eam ad tribunal tremendi iudicis. Tùm verò illa commemorans opera sua mala, quæ die, noctuque gessit, miserè contremiscit, cupit ea fugere, petitque vel vnius horæ dilationem sibi dari. Adsunt eius opera, dicuntque illi: Tua sumus, tu nos perpetrasti. Non te deserimus, sed tecum ibimus ad iudicis tribunal. Interim illa infelicissima cum horrendo timore separatur à corpore, plena peccatis, & summa ignominia. Secus est de anima iusti, quæ cum exit è corpore non timet, nec expauescit: Sed potius cum gaudio egreditur, & cum exultatione pergit ad Deum, sanctis Angelis eam deducentibus. Illam ergo horam modò timeatis fratres, ne tunc timere cogamini. Hæc *ELIGIVS apud Sur. lib. 2. cap. 16.* Quæ quidem hic libuit recensere, vt mortis præparationē (quam scire cupimus) eundem sanctum, non modò exemplo, sed verbo etiam nos docentem audiamus.

XIV.

Nou. 19. ELISABETH Vidua, Andreæ Regis Hungariæ filia, correpta infirmitate vltima, læta admodum canebat, cælestem audiens melodiam. Ante diem autem sui obitus tertium, iussit cubiculo excedere omnes, qui ad ipsam visendam conuenerant; nullosque in posterum admitti, dicens: Volo (tumultus externi vacua) meminisse iudicis mei, terribilisque censuræ, quam perbreui habeo subire. Pridiè quam decederet, culpas integerrimè confessa, Christum in pauperibus hæredem testamento reliquit; vilem dumtaxat excipiens tunicam, in qua se sepeliri mandauit.

Paucis post horis, Eucharistiæ Sacramento refecta, oleoq. sancto peruncta, reliquum temporis in feruore spiritus exegit; colloquens cum adstantibus de rebus, quas in concionibus audierat,

audierat, vel diuino instinctu didicerat: Præcipuè de historia S.Lazari; & de consolatione, quam Christus eius exhibuit sororibus,eas inuisendo,lachrymãdo,&c. De quibus quidem lachrymis tam flammea fecit verba,vt & lachrymas omnibus exciuerit.

Dæmonem sibi interim apparentem abegit dicens: Fuge miser, fuge infelix.

Appropinquante tandem noctis medio; & imminente iam sui exitus hora: Hæc est (ait adstantibus) hora virginei partus; disputemus, ac dulciter conferamus de Iesu puello candidissimo; quemadmodum hieme; noctu; alienisque ædibus sit natus; pannis inuolutus; positus in præsepio; à Pastoribus inuentus; stella proditus; ac denique à Chaldæis adoratus. Inter quæ verba, veluti obdormiens, capite paululum labente, pia famula requieuit in pace, anno Christi 1231.

Sur. tom. 6. hist. Seraph. lib. 1. Bonfinius Decad. 2. lib. 7. Anton. par. 3. tit. 19. cap. 11. Petr. in Catal. lib. 10. cap. 79. Crant. hist. Saxon. lib. 7. cap. 48. Chron. Ord. Mir. à Marco Vlyssiponen. edita, par. 1 lib. 9. cap. 10. vsque ad 19.

ANNOTATIO.

Infirmis sollicitè suadere consueuerat,vt expiandæ conscientiæ vacarent;peccata confiterenrur; & Vnctionis vltimum Sacramẽtũ perciperent. Vnde mulierculam quandam,delicta confiteri diutius detrectantem,etiam virgis castigauit, donec excusso verberibus, negligentiæ somno, consilijs audientem effecit. *Ibidem.*

Quarto postquam decesserat anno S. ELISABEHT in Sanctarum Catalogo fuit ascripta à Greg. IX. P.M.

X V.

ELSGINA mulier Angla, à S. Dunstano in via Dei instituta; cum infirmitate correpta decumberet, visitatur ab eodem Sancto, ab eoque monetur de salute animæ suæ; de gloria vitæ eternæ; de gehemnæ pœnis,& harum infinito fine; ac suadetur, nuncium penitus huic sæculo,eiusque rebus omnibus, remittere, & Christi sectare vestigia. Paruit illicò di-

ctis

ctis ELSGINA; & mox, quæ sui iuris erant, Christo relinquens, omnia per eundem Dunstanum sine mora pauperibus distribui voluit. Cumque dies ille ad Vesperam iam declinaret, Vir sanctus (ne extra cellulam suam à nocte deprehenderetur) ad eā properauit, & Vespertinum officium psallens, cum ante fores Ecclesiæ perueniret, nec eam intrare (quia clausa erat) valeret, substitit, volens pro foribus horam perficere, quam inceperat. Tunc subitò, ex dulcedine psalmodiæ, oculos ad cœlum subleuans, conspexit inde columbam miri candoris præpeti volatu descendere, domumque morientis Matronæ subintrare, illicò reflexo gressu, concitus redit, & ante cubiculi introitum permanens, totum habitaculum nitore videt affectum; eamque audit interius, cum quodam, de cœlestis Patriȩ iucunditate sermonem conferentem, & eidem innumeras gratias persoluentem. Cuius rei finem patienter expectato, ingreditur tandem; & præter eam neminem inueniens, quis fuerit is, cum quo loquebatur, interrogat: Ille idem (ait ipsa) qui tibi ante fores Ecclesiæ psallenti, priusquam ad me venires, apparuit; à quo certior sum reddita, me non à pœna infernali, sed à gloria cœlesti fore suscipiendam: vnde nullatenus quisquam dolere debet meum discessum; tantum precor, vt manè ad me venias, & mihi cum Sacramēto Sacræ Inunctionis, Viaticū sacratissimū Dominici corporis tradas. Annuit Dunstanus, & diluculò iuxta condictum reuersus, eam Sacramentis Ecclesiæ muniuit. Quibus compos (quemadmodum desiderauerat) effecta, beatum finem adepta est. *Sur. tom. 3. in vit. S. Dunstan. cap. 9. & seq.*

XVI.

Sept. 27. ELZEARIVS, seu ELEAZARVS Comes, infirmitate lethali correptus, generalem peccatorum suorum confessionem, cum multis lachrymis, facerȩ voluit. Quotidiè, apud lectum suum, Missæ sacrificium peraudire, & crebrius sub illa aduersa valetudine confiteri curauit.

Dei spiritu compellente, reuelauit suam, & sponsȩ virginitatem, ad adstantes ita loquens: Saluatus est homo malus

per

per mulierem bonam; quam ſicut virginem accepi, ita & virginem relinquo.

In infirmitate, quæ grauiſſimos ei, ac perpetuos dolores afferebat, quosue patientiſſime tolerabat, ſpiritus eius cum Deo iunctus erat; quæ Dei ſunt volebat audire; Iubebat ſib Chriſti Paſſionem legi; nec lingua eius à Diuinis ceſſabat vnquam laudibus, crebrò repetens illud Pſalm. 40. Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius; vniuerſum ſtratum verſaſti in infirmitate eius.

Sumpta Euchariſtia, & ſacro perunctus oleo cum diceretur poſtea: Per ſanctam Crucem, & Paſſionem tuam libera eum Domine, ipſe eundem verſum tertiò repetiuit, addens: Hæc eſt ſpes mea, in hac volo mori. Ad extremum, iam in agone poſitus, vultum præſetulit valde terribilem; vnde colligi potuit, in magno tunc verſari labore, ob aliqua ſibi obiecta; exclamauit autem dicens: Magna eſt Dæmonum vis, ſed eam penitus eneruarunt virtus, & merita Sacroſanctæ Incarnationis, & Paſſionis Chriſti. Poſt paululum exclamauit rurſum: Planè (inquiens) vici. Poſt aliquantulum verò temporis ſpatium, cum ingenti item clamore dixit: Totum me Diuino iudicio committo. Quibus dictis, reparatus eſt vultus eius; & quodam rubore, ac ſplendore perfuſus, reddidit ſpiritum, anno Domini 1325. *Sur. tom. 4. Seraph. hiſt. lib. 1.*

ANNOTATIO.

Fuit. ELZEARIVS ex Gallia Narbonenſi Oriundus, Comes Ariani ſeu Alſatiæ; qui ſex & viginti annos cum Delphina vxore continens permanſit; profeſſus illud S. Franciſci inſtitutum, quod vocant de tertia Regula.

Quod hic Diuino monitu fecit, reuelando ſuam, ſuæq. coniugis continentiam, in alio quodam improbatum legitur, eadem (vt credendum eſt) iuſsione Diuina. Quod narrat Gregor. Turonen. *de Gloria confeſſ. cap. 32. his verbis.*

Duos fuiſſe apud Aruernum (virum ſcilicet, & Puellam) refert antiquitas, qui coniuncti coniugio caſtitatem ſeruantes, poſt multos annos ex conſenſu pari, vir tonſuratus ad clericatum, puella verò Religioſum induit veſtimentum. Factum eſt autem vt imple-

tis diebus, puella migraret à sæculo. Cumq. vir eius eam sepulchro reconderet, arcanum quod inter eos conuenerat, eleuatis manibus ad cœlum, pandit, dicens: Gratias tibi rerum omnium artifex ago, quod sicut mihi eam commendare dignatus es, ita tibi reddidi ab omni voluptatis contagio impollutam. At illa subridens, ait: sile, sile, vir Dei, quia non est necesse fatearis nostrum (nemine interrogante) secretum. Post hæc, obtecta opertorio, recessit.

Quanti verò vtriq. fuerint meriti, ex his quæ Idem Greg. subdit colligi potest; pergit enim: Non post multum verò tẽporis, & ipse migrauit à sæculo, sepultusq. est in loco suo. Erat autem in vna quadam Basilica, sed è diuersis parietibus vtrumq. sepulchrum habebatur; & vnum quidem ad meridiem; alterum ad aquilonem. Mane autem facto, inuenta sunt pariter esse sepulchra; quæ vsque hodie sic perdurant. Idcircò nunc incolæ, duos amantes, vocitant, & summo venerantur honore. *Hæc Greg. vbi supra.*

X V I I.

Ianu. 5. AEMILIANAE (Sancti Gregorij Magni amitæ) per visionem nocturnam apparuit soror eius S. Tarsilla dicens: Veni, vt quia natalem Dominicum, sine te feci, Sanctam Teophaniam iam tecum faciam. Cui illa protinus (de sororis suæ Gordianæ salute solicita) respondit: & si sola venio; sororem nostram Gordianam cui dimitto? sępius enim cum viderent eam tepescere, & ad amorem sæculi redire, dicere solebat AEmilianæ Tarsilla cum gemitu: video Gordianam sororem nostram de nostra sorte non esse; perpendo enim quia foras defluit, & cor ad quod proposuit non custodit. Respondit igitur, vultu tristi: Tarsilla veni; Gordiana enim soror nostra inter laicas deputata est. Quam visionem mox molestia corporis secuta est; atque ita vt dictum fuerat, ante Dominicæ Apparitionis diem, eadem molestia ingrauescente, defuncta est. Gordiana verò solam se reperiens, oblita pudoris, oblita consecrationis, postmodum maritum duxit.

Greg. Hom. 38. Ferrarius in Catal. Gallonius de Virginibus Romanis.

X V I I I.

Nou. 8. EMMA pia, ac religiosa mulier, Beatæ Virginis deuotissima, cuius Ecclesiam, quæ est Nouigenti, sæpius, deuotionis

ergo,

ergo, frequentabat; in ea cęreos accendens; deq. suis rebus pretiosa munera altari eiusdem Sacratissimæ Virginis offerēs, cum audiret, Godefridum Abbatem Nouigentensem (à quo ad pietatis studia fuerat incensa) electum esse Episcopum, humi procumbens, Deum exorauit, ne sineret ab eo loco Sanctum exire virum, priusquam ipsius corpusculū mandet sepulturæ. Mirares! illius preces ægritudo, Aegritudinē mors, Mortem sepultura sequuta est, qualem ipsa optauerat. Godefridus enim solicitè eam inuisit, Sacramentis muniuit, mortuamq. honorificè, vt par erat, tumulauit.

Sur. in Vita S. Godefridi Episcopi lib. 1. cap. 30. tom. 6. Io. Bonifatius Histor. Virginali lib. 3. cap. 2. ex quo Matthæus Tympius in Triumpho Christianarum Virtutum, tit. de Fortunatissima morte amatorum perpetua virginis. Histor. Saxon. tom. 1. lib. 4. cap. 26.

X I X.

EPHREM Syrus Edessenæ Ecclesiæ Diaconus post vitā benè beatèq. peractam, sui obitus præscius, testamentum condidit (lectu dignissimum) quo discipulos, & quoscunque Monachos, atque Christifideles, de futuris admonuit; salutaribus vitæ præceptis instruxit; Hæresesq. & Apostasias detestans, errantes ad viam rectam reduxit; quæue ad salutem cuiq. necessaria sunt, proposuit. In eo autem præcipuè humilitatis suæ (quam semper excoluit) egregium specimen dedit, Pluries enim contestatione maxima prohibuit; ne exhiberi solita sanctis viris sumptuosa funera, sibi impenderentur, nempè: *Febr. 1.*

Ne poneretur sub Altari corpus, eius; sed neque in templo.

Ne panni eiusdem velut Reliquiæ tollerentur.

Ne solemni pompa ad ostētationem circumferretur, quinimò iussit Discipulis, humeris illud tollere, & cursim comitantes, funusq. curantes, sepelire tanquam opprobrium, atque abiectum.

Ne quis eorum præconijs, ac laudibus eum celebrare auderet.

Ne candelas accenderet; neue incensum in eius funere adhiberet.

Ne in monumento cuiusquam poneretur; sed in cœmeterio; vbi contriti iacent corde.

Tunica, & Pallio, quibus quotidie vtebatur, se sepeliri; non veste aliqua pretiosa; quam siquis forsitan præparasset, eam vendi iussit & pretium pauperibus dari.

Quæ quidem omnia honoris ejusmodi officia, Defunctorum corporibus exhiberi solita, respuit solum humilitatis gratia; quod se illis indignum prorsus iudicaret; vtpotè qui (sicut in testamento eodem pluries profitetur) scelestissimum se peccatorem existimaret. Cæterum, illa postrema, quæ à Sancta Ecclesia pro animarum salute præstari solent (preces nempe, & sacrificia) non solum non renuit; sed ea sibi impendi solicitus in eodem postulauit. Voluit enim vt loco odoris aromatum, orationibus eum adiuuarent: In ipsis, continuè sui memoriam facerent; comitarentur eum Psalmis, & Orationibus & demum post diem trigesimum, eiusdem memoriam iterarent: Sciens (vt ibi pariter profitetur) mortuos beneficio affici in oblationibus recordationum Sanctorum viuentium. Apparuit autem quanti fecerit Deus huiusmodi spiritum humilitatis, dum eadem ipsa humilia proloqueretur. Cum enim inter innumeros Edessenos, qui adstabant, adesset vnus, qui vestem pretiosam attulerat ad eum sepeliendum; audiens hic, Sancti viri præceptum, ægrè admodum tulit, & eam pauperibus dare distulit, tam eius esse iudicans, tantum illis auri erogare, quanti vestis æstimaretur: cumq. sic agere statuisset, inobedientiæ protinus pœnas dedit, à Dæmone arreptus, & miserabiliter tortus. Quamobrem ad Sancti lectulum coram omnibus se prorumpens, fassus est inobedientiam. Sanctus autem sola precatione, & manuū impositione liberauit eum; iubens quod decreuerat perficere.

Pluries quoque inter dictandum, conuertit ad Deum orationem suam; Diuinam implorando pietatem, & misericordiam, his præcipue verbis.

Domi-

Domine Iesu Christe, Ne intres in iudiciũ cum seruo tuo; & ne des alteri iudicium meum; sed ante gloriosum tuum tribunal, fac vt dignè astare possim. Nam quem Dominus iudicat, misericordiam promeretur, *& alibi.*

Rogo atque obsecro te Saluator, Dux, & creator meus, ne me affligens, miserum reddas, & conterés me, dolore afficias, atque condemnes: si enim dignè ea quæ à me gesta sunt perscrutatus fueris, vndiq. ruina me circundabit, *alibi.*

Respice Domine ad humilitatem, & supplicationem meã, & rogo te vt miserearis mei; dignumq. me facias, Vnigenite fili Dei; neque pro rebus à me in vita gestis tribuas mihi. Nã si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et si secundum maiestatẽ tuam reddideris nobis quis in iudicio tuo misericordia dignus censebitur? Omne enim os (inquit scriptura) obturabitur, & totus mũdus subditus fiet Deo. Non autem hæc affero, tanquam gratiam spernens; Nam ea loquor, quæ scripta sunt, clementissime Christe. Quæ enim vtilitas in sanguine meo, si in ignem ardentem missus fuero? Age igitur mecum secundum consuetudinem miserationum tuarum; & in eo gratia tuæ cognoscatur pietatis, atque clementiæ.

Testamento huiusmodi peracto, benedixit filijs suis nouus Isaac, prædicẽs eis singillatim quæ sibi ventura erant: Paulino præsertim, quem præsenserat ex studijs, vel sermonibus, noua inuestigare, & in hæresim tendere, hæc ait.

Vide Pauline ne te submittas cogitationibus tuis, & eleueris: sed cum te ad purum comprehendisse putaueris Deum, crede nec intellexisse. Qui etsi (viuente Magistro) clarus in Doctoribus Ecclesiasticis fuerit, & maximus ex tempore declamator; post illius tamen obitum, amore primatus, & nominis, separans se ab Ecclesia, multa scripsit fidei contraria.

Dum hæc proloqueretur, & ageret vir Sanctus, totius ciuitatis multitudine circunstante, ac plorante, mulier quædã nomine Lamprotate, semota hinc inde virorum, ac mulierũ turba, procidit ante pedes eius, & dixit: Per Deum tuum,

quem à iuuentute vſque ad ſenium dilexiſti, permitte mihi ancillæ tuæ, vt exiguum loculum ſicut præcipiendo adiuraſti nos, facere poſſim, in quo venerabiles reliquias tuas recondã.

Ille autem, probato illius feruore, dixit ei: Mulier vade, & fac quemadmodum propoſuiſti: ex marmore autem caue monumentum mihi feceris: Nihil enim mihi vanagloria proderit.

Mandauit ei deinde, ne in lecticis ſederet; Neque enim (inquit) pium eſt, neque licitum, vt homo ad geſtamen mulieris ſuas ceruices reclinet. Quod cum iuraſſet ſe nullatenus permiſſuram, ſubdidit Beatus: ò filia priuſquam deficiam, ac moriar benedicam tibi ſecundum propoſitum, atque deſiderium tuum. Benedicens ergo illi, ait: Non deficiat ex ſemine tuo Sanctorum doctrina vſque in ſæcula: Cum venerit Chriſtus ad mutandum cœlum, & terram, ipſe memoriam tuam in libro Vitæ inſcribet in Regno cœlorum: Et Pax Dei, quæ Sanctos ſertis coronat immaculatis, in vocatione præmium tibi largiatur ſecundum cor tuum.

Demum cum eos, qui aderant admonuiſſet, & ad virtutũ operationem excitaſſet, ad æterna migrauit tabernacula: Anno Domini 378.

Deceſſit Ephrem ex hac vita poſt menſis vnius circiter ſpatium à Sancti Baſilij migratione. Expetierat enim hoc vir Sanctus ab eo in fine orationis Panegyricę, quam habuit poſt eius obitum, illis verbis. Deprecare pro me admodum miſerabili, & reuoca me tuis interceſſionibus.

Lippom. tom. 2. 3. & 5. ex quo Sur. tom. 1. Vita eiuſdem in operibus per Voſſium collect. tom. 1. & in vit. Patrum lib. 1. De eo Baron. fuſius in Annal. tom. 4.

ANNOTATIO.

Inſaniam aliquando ſimulauit Ephrem, ne fieret Epiſcopus. Cum enim quidam, ad Epiſcopatum gerendum ſuffragati, eum comprehendere conarentur, vt ad locum in quo crearetur Epiſcopus deducerent; ſimul ac intellexit vir Sanctus, quod futurum

erat

erat, in forum cursitauit; atque incompositè incedendo; vestem lacerando; cibumq. palàm capiendo, se furere monstrauit. Vbi verò hi, qui eum comprehenderant, è mentis potestate illum exiuisse arbitrarentur; & appetitio, qua ad eum constituendum Episcopum ferebantur, restincta esset; ille (idoneum tempus nactus) clàm aufugit; & tantisper latitauit, dum alius eius loco creatus esset Episcopus. *Baron. eod. tom. 4. ex Sozomen. lib. 3. cap. 15.*

Quantus verò fuerit Ephrem, ex eius colligitur apertissimè scriptis. Quæ quidem publicè olim in quibusdam Ecclesijs recitabantur. *Idem Baron. ibid.*

In ijs habentur præcipuè morientium diuersa genera, quæ ipse recenset Ser. 2. in Sanctos Patres suo tempore defunctos. tom. 3. in hæc verba.

Multi ex eis sunt, qui precibus intenti, placidè, atque mansuetè coram Domino requieuerunt.

Alij similiter in petris, ac saxis firmati, suas proprio Domino animas tradiderunt.

Alius simpliciter in monte deambulans mortuus est; factusq. est ei locus simul in tumulum, & sepulturam.

Alius rursus, signans se Crucis signo, atque seipsum in sepulchro componens (quod mortem aduenisse intelligeret) se ipse quodammodo sepeliuit, gratia confirmatus Domini.

Alius porrò herbas depascens Domini, obdormiscensq. in sua ipsius mensa expirauit.

Alius autem rursus in Diuinis constitutus laudibus, à sui flatus voce abreptus est.

Alius dum in monte Psalmis, & Diuinis precibus recitandis vacat, venit ab inferis mors, quæ ipsius preces obsignat, terminatq.

Sermone autem sequenti in eos, qui in Christo obdormierunt, Idem Sanctus Ephrem morientium status, angustias, terrores, mortisq. plurima signa, fusius enarrat.

X X.

EPIPHANIVS Episcopus Ticinensis vltima correptus infirmitate illud semper ore versabat: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum, & versiculos illos, læto animo, ac sereno vultu sæpius repetebat, nempè: Misericordias Domini in æternum cantabo; & : In manus tuas commendo spiritum meum; Adijciebat quoque: Confirmatum est cor meum *Ianu. 21.*

in Domino, & exaltatum est cornu meũ in Deo salutari meo: sicq. huiusmodi Canticis, & Hymnis in morte resonans, ad sedem suam cælestis anima remeauit anno Domini 495.

B. Ennodius Ticinen. in eius vita ex quo Sur. tom. 1. De eo Sigiber. de Vir. Illustr. cap. 12. Baron. in Annal. tom. 6.

XXI.

EPPO Monachus appropinquante hora vocationis suæ, morbo correptus, in domum infirmorum (de more) delatus est; vbi & alij fratres erant, diuersis morbis laborantes. Ad extrema autem perductus conspexit Dæmonum turbam cũ titionibus igne fumigantibus, irruentem per domum illam, furioso, vbiq. impetu discurrere. Qui cum ita bacchantes huc, illucq. verterentur; ecce B. Apostoli de cælestibus aduenientes, perterritos fratres, ne timerent blandè hortati sũt; & mox sui aduentus præsentia, latrunculos illos effugarunt: & sic domo Dei ab immundis spiritibus emundata, cælestis visionis gloria augmentatur, & Beatis Apostolis Sancti Angeli coniunguntur.

Habebatur autem in domo media locus, vnius corporis capax, adhoc aptatus, vt fratres ibidem in cinere, & cilicio compositi, extremum Deo inde spiritum redderent. Hunc locum Eppo ita abhorrebat, vt nullatenus ei se appropinquare pateretur. Dum ergo, quæ dicta sunt contemplaretur, vidit Angelum Domini manum in sublimè porrigentem, signo Sanctæ Crucis eundem locum signasse: quo facto, visio ab eius oculis sublata est; & ipse iam à corde, omni sublato timore, post paululum se in loco eodem reponi fecit; sicq. animam suam Sanctis, qui apparuerant alacriter tradidit.

Petr. Venerab. lib. 1. de Mirac. cap. 19.

XXII.

ERCHANTRVDIS Monialis in extremis posita, exclamauit dicens: Citò currentes, vnam è consortio vestro mortuam segregate, atque deijcite; Non enim est dignum, vt quæ Crucifixæ mundo, Christo non sibi viuunt, mortuam, & à vita segregatam, inter se habeant. Conquirentibus itaque

soro-

ſororibus,& quidnam dicere vellet ſciſcitantibus, vna earum confuſa, ac terrore perculſa, ſolo proſternitur; noxam ſuam confitetur; & in omnibus ſe de reliquo emendaturam pollicetur: Erat enim ſæculo vacans, & ſæcularem vitam deſiderans, nec morti ficationi omninò præbebat ſtudium, ſed tota viuebat ſæculo. Poſt hæc ERCHANTRVDIS, cum iã nox incũberet, in cellula, qua iacebat, lumẽ ignis rogat extinguere; Cumq. cæteræ ſciſcitarẽtur quid vellet dicere? Non videtis (inquit) quantus ſplendor aduenit? & choros cantantium non auditis? Quærunt illæ; quid cantari audiret? illa ait: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius: Confitemini Deo Deorum, & cætera quæ ſequuntur. Hæc(inquit) omnium ora concinunt. Admirantibus verò omnibus, ipſa ſingulis Valedicens, emiſit ſpiritum.

Beda tom. 3. in vita S. Burgundoforæ ore qua vide infra in Anon. L I X.

XXIII.

EREBOLBVS Monachus ſolitarius, cum ad vitæ mortalis finem tenderet, viribus corporis cœpit admodum deſtitui, & nimio angore premi, ac vrgeri; Rogauit ergo Arnulphum miniſtrum ſuum (qui fuit poſtea Epiſcopus Sueſſionenſis) vt parum lactis afferret, quo imbecille corpus refocillaret: Arnulphus ocyus id exequi volens, tulit panem vnum ex ijs, qui erant pauperibus deſtinati; & eo vendito emit lac, & obtulit ſeruo Dei. Sumpſit ille; ſed parum inde profecit: diſpenſatio enim cœleſtis ad requiem capeſſendam prolixioribus flagellis eum adaptabat. Ad mortem igitur properantem rogauit Arnulphus, vt poſt obitum ſuum, quo in loco & ſtatu anima eius eſſet, ipſi reuelaret. Ille verò, quod fidei calore eum petere nouerat, ſe facturum promiſit. Cum igitur de ſæculo feliciter emigraſſet, Arnulpho (iuxta promiſſum) iucundam de ſe exhibuit viſionem; & cum interrogaretur ab eo, quomodo ſe haberet? Quid ageret? An pœnam aliquam culpæ alicuius pertulerit? Reſpondit: lactis illius cauſa, quod tu mihi miniſtraſti, & ego comedi, nonnihil pœnarum perpeſſus ſum;

quod illud, pauperum substantia comparasses; sed tùm hoc, tùm cętera peccata omnia mihi remissa sunt.

Sur. to. 4. in vita S. Arnulphi Suession. Episcopi. c. 7. Aug. 15.

XXIV.

Iun. 21. ERENDRVDIS Abbatissa Monasterij Nunbergen. neptis S. Ruperti, eiusdem ciuitatis Episcopi, cum sibi vitæ huius finem appropinquare intelligeret, corde, & ore sæpius ruminabat verba illa Psalm. 72. dicens: Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam, &: In manus tuas Domine commendo spiritum meum: sicq. sacris munita, ad sponsum abijt.

Canis. Antiq. lect. tom. 6. De ea Trith. de Vir. Illust. Ordin. S. Bened. lib. 3. c. 206. Baron. in Annal. tom. 7.

XXV.

Ian. 6. ERMINOLDVS, Abbas necem sibi moliri sciens, obuiam ire percussoribus voluit, dicens: Absit, vt perdam paratam mihi à Domino coronam. Cæsus autem, & in lecto decumbens, prædixit fratribus, se die sequenti, cum in summo Missę sacrificio Gloria in excelsis canerent, è corpore discessurum: ne autem signum obitus eius tunc audiētes, ea causa aliquid erroris, aut negligentiæ in officio admitterent diuino, iussit, vt paucis tantum egredientibus, cæteri cum omni deuotione sacra Missarum solemnia celebrare pergerent. Et ita, sequenti die, & hora feliciter migrauit in cœlū, anno Domini 1171.

Sur. to. 1. Canis. antiq. lect. to. 2. De eo Baron. in Annal. to. 12.

ANNOTATIO.

Fuit hic nobilis Sueuus, qui ex Monacho Hirsaugiensi factus est Abbas Lorsacensis; deinde primus Abbas Monasterij Brunsenigensis propè Ratisponam.

Anon. obit. Post Sancti ERMINOLDI obitum, Monachus quidam simplex, & rectus, morti iā proximus perquirebat ex ministro, qui decumbenti aderat, num aliquis illic esset? Illo respondente nullum adesse: Ecce (inquit Ægrotus) video cœlos apertos, & B. Patrem nostrum ERMINOLDVM coram Deo in maxima gloria assistentem,

tem: cuius rei certum hoc erit testimonium, quod iam ecce recedo ab hac vita. & his dictis, confestim desijt esse in humanis.

Idem Sur. & Canis.

X X V I.

ESICA puer, trium circiter non amplius annorum (qui propter infantilem ætatem in virginum Deo dicatarum nutriebatur Monasterio) pestilentia, quæ tunc ibi grassabatur, tactus, vbi ad extrema peruenit, clamauit tertiò vnam de eisdem virginibus absentem, proprio nomine, quasi præsentem alloquens, Eadgit, Eadgit, Eadgit; quibus verbis temporalem terminans vitam, intrauit æternam.

EADGIT verò, quam moriēs vocabat, mox in loco, quo erat, infirmitate attacta, ipso quo vocata est die, vocantem secuta est ad Regnum cœleste.

Beda Hist. Angl. lib. 4. cap. 8.

X X V I I.

EHTBINVS Abbas Nectensis in Hibernia, morti se proximum agnoscens, conuocatos fratres commendauit Domino; locum sepulturæ delegit, ad dexteram scilicet Altaris; in quo hostias sacras pro remissione peccatorum suorum offerri iussit: & pace omnibus data, ante idipsum altare spiritum Deo reddidit; cum esset ætatis annorum 83. *Oct. 19.*

Sur. tom. 5. Petr. in Catal. lib. 9. c. 84. Molan. in addit. ad Vsuar. Tritbem. de Vir. Illust. Ord. S. Bened. lib. 3. cap. 54. qui etiam claruisse ait anno Domini 610.

X X V I I I.

EVANGELISTA puer nouennis, Sanctæ Franciscæ Romanæ filius, lethali febre correptus, confessarium statim accersiri voluit; cui peccata sua (si quæ commiserat innocentiæ amator) confiteretur. Morbo autem ingrauescente, cum iam exitus immineret, ad matrem conuersus plorantem, ait: En separamur ab inuicem mater mea. sic equidem Domino placuit. Hoc mihi iam diu fuit in votis, qui (vt benè nosti) patriā suspiraui semper; hancq. non terram, sed cœlum esse duxi, vbi cum Angelis esse, & cum eisdem Deo meo adesse concupiui.

Vale igitur Mater, & Benedic mihi: Ecce aduocati mei Honuphrius,& Antonius adſunt, me proficiſci iubentes. Quibus dictis, adfuit & Angelorum multitudo (ſicut & eidem ſubdidit Matri)& clauſis oculis, manibuſq. per ſe compoſitis, dormienti ſimilis migrauit è vita; comiteſq. ſecutus eſt cęleſtes, anno Domini 1411.

Eodem temporis momento, paruula quædam, lecto infirma decumbens, iuxtà Euangeliſtæ ædes, quæ pluribus diebus ex vi morbi loqui non potuerat, clamauit magna voce dicens: Aſpicite; videte: Euangeliſta de Pontianis inter duos Angelos cœlum petit.

ANNOTATIO.

Sepultum eſt corpus eius in Eccleſia Sanctæ Ceciliæ Transtyberim, eo loco vbi modò eſt ſacrariũ eiuſdem Eccleſiæ; ibi etenim Sacellum erat familiæ de Pontianis; ibiq. videbatur lapis Marmoreus cum eiuſdem pueri Euangeliſtæ ſculpta imagine, promiſſa delineata veſte ad talos vſque, cũ hac inſcriptione: HIC IACET EVANGELISTA DE PONTIANIS

XXIX.

Dec. 8. EVCHARIVS Epiſcopus Treuirenſis, Sancti Petri Apoſtoli Diſcipulus, cum per Angelum didiciſſet imminere ſibi deceſſum, conuocatis ad ſe diſcipulis dixit eis: Quod de me terreum eſt, terræ commendate; ſpiritum verò veſtris iuuate Orationibus. Commendauit deinde Chriſti Eccleſiam Valerio Diacono, qui ſibi in Epiſcopatu ſucceſſit; dumque ſingulos admonere pergeret, ſubitò lux clara velut fulgur, per vnius horæ ſpatium, totam (in qua erat) cellulam circumfulſit. Ipſe verò fratribus valedicens, oculisve reuerenter demittens, cum ipſa luce migrauit ad Chriſtum; anno Domini 75.

Harigerus Abb. Bobienſis in geſtis Pontif. Tungren. tom. 1. Molan. in addit. ad Vſuar. De eodem Sur. tom. 4. in vita S. Valerij 25. Iulij ex Metaphr.

AN-

ANNOTATIO.

Ordinatus hic Episcopus à S. Petro Apostolo missus fuit ad Metropolim Treuirorum Ciuitatem, vnà cum Valerio Diacono, & Materno Subdiacono, de quibus infra suis locis.

XXX.

EVDOCIMVS (militum Cappadociæ Præfectus) morti proximus, familiaribus suis diligenter mandauit; eosque iureiurando adstrinxit, vt eum sic indutum sepelirent; & nequaquam in ipso, quæ solent in mortuis, obseruarent. Deinde cum omnes extra fores egredi iussisset, ipse orationi se dedit; auditusque est à quodam, propè fores auscultante, orare, vt eius ad Deum excessus esset obscurus, & nulli cognitus (quomodo etiã tota ferè eius vita nulli euaserat manifesta) sicq. in oratione persistens, & Deo gratias agens, cum postremò dixisset: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, in Domino fideliter obdormiuit, anno ætatis 33. *Iul. 29.*

Sur. tom 4. Molan. in addit. ad Vsuard.

XXXI.

EVGENDVS Abbas Monasterij Iurensium in territorio Lugdunensi, cum sex mensibus morbo laborasset, vocato vno ad se de fratribus, cui olim perungendi infirmos opus iniunxerat, secretissimè sibi quoque pectus petijt (vt moris est) perungi. Cumque transacta nocte interrogaretur à discipulo de nocturna quiete, in singultus, ac lachrymas erumpens ait: parcat vobis omnipotens Deus, qui me tanta inæqualitate constrictum, non permittitis corporeis vinculis iam resolui. Flentibus autem discipulis, subdidit: Domini mei Abbates Lupicinus, & Romanus proprijs humeris feretrum ante hunc lectum exhibentes, meque deosculatum, & compositum eleuantes, immiserunt in gestatorio deferendum: Sed cum eleuatum in Oratorium introferrent, occurrentibus vobis in ostio, violenter excussus, in hunc sum à vobis lectulum reportatus; & ideo rogo, si quid seni, si quid paternæ pietati præstatis, ne me istic retinete diutius; sed ad patres tandem *Ian. 1.*

tran-

transſire permittatis. Monuit deinde eos Patrum inſtituta ſeruare; & quinto demum die (eidem lectulo ſe imponens) dormienti ſimilis, ſpiritum exhalauit; & in Domino requieuit.

Sur. tom. 1. Molan. in addit. ad Vſuard.

ANNOTATIO.

Fuit EVGENDVS Sanctorū Romani, & Lupicini diſcipulus, cuius vita virtutibus, & miraculis plena refulſit. Eius epiſtola ab Ægrotante quodam apprēhenſa, & oculis admota, ægritudinem propulſauit: Quin, & Dæmonem ab Energumena eiecit. Precibus enim aliquando exoratus, & coactus rogantium, qui energumenæ cuiuſdā liberationem efflagitabant, facta oratione; in hunc modum ſcribens, atque conſignans, ſpurciſsimo tranſmiſit Epiſtolam.

EVGENDVS ſeruus Chriſti, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Patris, & Spiritus Sancti præcipio per ſcripturam iſtam, Spiritus gulæ, & iræ, & fornicationis, & amoris, & Lunatice, & Dianatice, & Meridiane, & Diurne, & Nocturne, & omnis ſpiritus immunde, exi ab homine qui iſtam ſcripturam habet. Per ipſum te adiuro verum filium Dei viui, exi velociter, & caue ne amplius introeas in eam, Amen.

Deinde orans, & complicans ſcripturam, tradidit eam ſupplicibus deportandam. Sed nec dum iſti, itineris medij ſpatia confecerant, cum ecce Dæmon frendens, & eiulans, prius egreſſus eſt ex obſeſſa, quam domus limina reuertentes attingerent. Simile habetur infra in GREGORIO THAVMATVRGO.

XXXII.

Nou. 17. EVGENIVS S. Ambroſij Diſcipulus, & S. Zenobij Epiſcopi Florentini Diaconus, cum graui morbo in lectulo detineretur, & cuiuſdam propinqui ſui mortem, abſque pœnitentia, & cæteris Sacramentis audiſſet, grauiter commotus, cœpit illicò contriſtari, & valde mœſtus eſſe: Cuius religioſæ affectioni S. Zenobius compatiens, aquam benedixit, deditque Eugenio dicens: Fili confeſtim ſurge, & accelera ad domum defuncti; atque hanc aquam ſuper illum aſperge, vt in nomine Ieſu reuiuiſcat, & Deo gratias agat. Quo audito, ac ſi in nullo pateretur, ſtatim exurgens, atque iniuncta exequens, ſuper defuncti cadauer aquam effudit; qui confeſtim à mortuis

tuis resurrexit, & cum Eugenio ad Episcopi domum aduениens, gratias Deo, & S.Zenobio egit. Sed Eugenius cum primum, domum applicuit, morbo statim regrauatus, super lectulum se composuit,& adstantibus Zenobio,& Ambrosio, diem sui transitus edixit. Qui cum clericis plurimis psallere cœperunt; & dum venirent ad versum illum: Ad te Domine leuaui animam meam; Deus meus in te confido non erubescam, sancta anima à corpore soluta est.

Sur. tom.3. in vit. S.Zenobij Maij 25. M.S. Bibl.Vall. In vita eiusdem S.Zenobij.

XXXIII.

EVGENIVS Episcopus Carthaginensis, & Martyr, cum Victor de Martyrialibus tormentis exisset; & apud Albigensem ciuitatem exularet, suæ vocationis tempus, quo accerseretur ad gloriam, & S.Amaranthi Martyris societatem (Domino reuelante) cognouit; vnde ad eius sepulchrum; quod erat in illa ciuitate, properauit; & solo prostratus, diutissimam orationem fudit ad Dominum; deinde expansis super pauimentum brachijs, animam Deo reddidit. *Iul.13.*

Greg.Turon. Mirac. lib.1. cap.58. & lib.2. de Gest.Franc. cap.3. Baron. in Annal.tom.6. Lippom. tom.1. Victor Vticensis de persecut. Vuandal. lib.2.& 3. Vbi fusius, quæ Vir sanctus passus est in exilio, enarrantur, non sine lachrymis legenda. Molan. in addit. ad Vsuard.

XXXIV.

EVPHRASIA Vidua in Monasterio degens cum filia eius Virgine (Euphrasia pariter dicta) vocata est aliquando ab Abbatissa eiusdem Monasterij, dictumque est ei: Domina mea Euphrasia, habeo quod indicem tibi; sed quæso ne perturberis: Cui illa respondit: Loquere Domina mea: Tum Abbatissa, vidi (inquit) in somnis Antigonum maritum tuum in magna gloria, rogantem Christum, vt ab hac mortali vita transferaris ad illam sempiternam; liceatque tibi deinceps esse cum illo, & ea frui gloria, qua ipse fruitur. Hæc vbi didicit Euphrasia, multum exhilarata est; cupiens è rebus hu- *Mar.13.*

manis

manis excedere, & esse cum Christo. Mox igitur accersiuit filiam suam, & dixit ei: Ego iam vocor à Christo, sicut mihi indicauit Domina Abbatissa, & propè adest finis vitæ meæ: Itaque tibi (filia mea) omnes facultates trado, quas tu ea pietate dispenses, vt possis esse consors hæreditatis sempiternæ. Hæc vt audiuit filia, ingemuit, & fleuit dicens: Hei mihi, quia peregrina sum, & orphana; dicit ei Mater eius: cum habeas Christum, nec peregrina es, nec orphana; Deum time; Dominas sorores venerare, seruiens eis cum omni humilitate: Caue ne cogites in animo tuo, regio prognata sum sanguine; nec me istis seruire par est: Sis interim pauper in terris, vt quandoque diues efficiaris in cælis; & absque intermissione roga Deum pro me. Hæc cum filiæ suæ præcepisset, tertio post die feliciter migrauit ad Dominum 13. Martij.

XXXV.

EVPHRASIA verò filia cum post matris obitum (distributis in pauperes facultatibus) in eodem Monasterio multis annis Deo sanctissimè deseruisset; quadam die dictum sibi est, eandem Abbatissam de suo tunc imminente obitu per visum fuisse iam edoctam; ipsumque cum cæteris Monialibus lugere. Quo audito Euphrasia, angore correpta, cecidit in terram; rogauitque Dominum dicens.

Cur me despicis pie Iesu? Ecce nunc tempus adest, quo confligere me oportebat cum improbo Dæmone; & anima mea à me repetitur? Miserere mei Dómine Iesu Christe, & patere me adhuc annum vnum permanere in hac vita, vt plãgam peccata mea: Sum enim Domine expers pœnitentiæ, & omni pietate destituta. Nemo in inferno confitebitur tibi: Non est in sepulchro pœnitentia; non possum post mortem quidquam lachrymis proficere; sed viuens confitebitur tibi, & laudabit nomen sanctum tuum. Hæc illam dicentem audiuit quædam è sororibus, & retulit Abbatissæ: Cui interroganti quid ingemisceret? Respondit: Ploro (Domina mea) quia sciuisti supremum mihi impendere diem, nec indicasti, vt peccata mea lugerem. Hæc dicens procidit in terram, te-

nensque

nenſque Abbatiſſæ pedes ait: Miſerere mei Domina, & ora pro me, vt Dominus vel vnius anni mihi ſpatia impertiatur; ne me ſine pœnitentia decedentem tenebræ comprehendat. Reſpondit Abbatiſſa: Viuit Dominus (filia) quia Beatorum conſilio dignam te fecit Rex tuus Chriſtus; narrauitque viſionem, in qua thalamus & corona ei præparata, oſtenſa ſibi fuerant; & rogauit eam, vt ipſa potius Dominum oraret, quò eius particeps eſſe mereretur.

Paulò poſt febris valida Euphraſiam inuaſit; ſororeſq. eam in Oratorium perduxerunt, vbi vſque in veſperã cum illa permãſere. Veſpere autẽ facto iuſſit Abbatiſſa omnes diſcedere ſolam Iuliam ſecum retinens; clauſiſq. oſtijs, vſque in lucem alterius diei apud illam pariter permanſerunt. Quo tempore Iulia (quæ fuerat ei ſemper comes indiuidua, & magiſtra, docuerat enim eam literas, & Pſalterium, ac exercuerat ad certamina) rogauit eam, ne eſſet ſui immemor; & vt oraret Dominum, ne ſineret vnquam ab ea ſeparari; ſed hinc ſecum egredi iuberet. Die igitur illuceſcente, Abbatiſſa iuſſit omnes adeſſe ſorores (Euphraſia extremum iam trahente ſpiritum) accurrunt illicò omnes, & valedicunt Euphraſiæ, cum lachrymis dicentes: Memento noſtri Domina ſoror. Ipſa autem Abbatiſſam intuens; ora pro me (inquit) nam in magno certamine verſatur nunc anima mea. Orante igitur Abbatiſſa, & ſororibus dicentibus Amen, Virgo ſanctiſſima migrauit ad ſponſum.

Poſt dies triginta Abbatiſſa, maiores natu ſorores ad ſe euocans ait: eligite vobis matrem, quæ meo loco præſit. *Anon. obit.* Reſpondentibus illis, cur id ita iuberet? Dixit; vocat me Chriſtus, precibus flexus Dominæ Euphraſiæ; qua rogante, etiam Iulia eius conſors eſſe meruit; itaque & ego feſtino, vt poſſim digna haberi illarum in cœlis conſortio. Elegerunt igitur ſorores Theogeniam, quæ ipſis præeſſet; cui dixit Abbatiſſa: Adiuro te per intemeratam, & conſubſtantialem Trinitatem, ne acquiras huic Monaſterio pecunias, aut poſſeſſiones; neque huius mundi curis occupes ſororum animos,

vt peritura respuentes, bonis mereantur cœlestibus augeri. Rursumque sororibus ait; probè cognitam habetis Dominæ Euphrasiæ vitam, & conuersationem, ad eius vos imitationem componite, vt eius possitis effici consortes.

Hæc cum dixisset; omnesque respondissent, Amen, cunctis valedicens ingressa est Oratorium; clausisque ostijs, præcepit, ne qua illarum ante alterius diei ortum introiret. Itaq. manè intrantes inuenerunt eam obdormisse in Domino.

Sur. in vit. S. Euphrasiæ Martij 13. tom. 2. Vita Patr. Hereber. lib. 1. fusius.

IVLIAE *obitum vide infra.*

ANNOTATIO.

EVPHRASIÆ vir Antigonus, fuerat in Vrbe Regia Constantinopoli, ordinis Senatorij, Theodosio Imperatori & genere, & consuetudine coniunctissimus: Post cuius obitum Euphrasia cum filia ætatis annorum septem clam petijt Ægyptum; nuptias respuens; & interiorem penetrans Thebaidem, peruenit ad quoddam Monasterium virginum; quarum orationibus pia mulier commendauit sese, filiam, & animam Antigoni viri sui; munera plurima illis offerens; quamuis illę thimiama solum, & cereos ad Oratorij vsum acceperint, alia verò respuerint. Monasterium autem idem frequentantes, dixit vna dierum Abbatissa Euphrasiæ infanti, tentando eam: Domina Euphrasia, diligis Monasterium nostrum, & omnes sorores? Illa respondit etiam Domina, dixit ei rursum (iocās) Abbatissa; si nos diligis, esto nobiscum; Cui infantula: verè si mater mea non contristaretur, non egrederer amplius de loco isto; Subdidit Abbatissa: inter nos, & sponsum tuum, quem plus amas? Puella dixit; neque illum noui, neque ille me; vos autem noui, & vos amo; & ad moniales conuersa ait: dicite mihi, vos autem quem diligitis, me, an illum? Illæ verò dixerunt: nos te diligimus, & Christum nostrum; puella vero respondit: ego verò, & vos diligo & Christum vestrum. Interim mater volens domum reuerti dicit filiæ: Aduesperascit iam filia, domum reuertamur; sed puella dixit ei, vt abiret; illic enim cum Abbatissa manere statuerat. Renuit Abbatissa, dicens ei: Non potest quisquam hic manere, nisi se deuouerit Christo; cui puella: Vbi est Christus? Illa Dominicam ei imaginem demonstrauit; osculata est igitur puella figuram, & conuersa ad Abbatissam dixit: Verè & ego me voueo Christo meo

sto meo, & vlterius cum Domina mea matre non vado. Nolebat tunc Abbatissa; instabat illa; blandiebatur mater vt secum reuerteretur; sed videns hoc agi frustra, surgens, & assumens filiam suam, ad eandem adduxit Dominicam imaginem; & extendens ad cœlum manus, cum clamore, & fletu magno clamauit, dicens: Domine Iesu Christe habe curam istius infantulæ, quia te concupiuit, & tibi se commendauit; & conuersa dixit ad filiam suam: Euphrasia filia mea, Deus qui fundauit immobiles montes, te quoque in suo timore confirmet; & cum hæc dixisset, in manibus eam tradidit Abbatissæ; & deflens à Monasterio recessit.

Orientis Monasteria deinde (illinc discedens) obeundo visitauit EVPHRASIA senior, possessiones multas, & beneficia indigentibus conferens. Postea cum in morbum incidisset, reuersa est ad Monasterium, in quo filiam reliquerat; vbi requieuit in Domino.

EVPHRASIA filia ab ineunte ætate varias pertulit diaboli tentationes, quas continuis occupationibus superabat: Abbatissa enim ob id exercebat eam assiduè, vel saxorum molem sæpius mutare, & aliò reportare iubens; vel alia ei iniungens opera, adeò vt nunquam Dæmon eam vacantem inueniret. Ipsa quoque nullam sibi dabat requiem, licet aliquando à Dæmonibus saucia. & nihilominus Humilis virgo spatium adhuc pœnitentiæ exoptabat.

Ioannes Damascenus ex Euphrasiæ actis petit auctoritatem, orat. 3. de Imaginibus, vbi de ostensione illa imaginis Christi, facta Euphrasiæ puellæ ab Abbatissa.

Claruerunt temporibus Theodosij Imperatoris.

Alia ab ista est Euphrasia Nicomediensis, quæ mira arte elusit procaciam lasciuientis iuuenis, de qua Niceph. hist. l. b. 7. cap. 13.

X X X V I.

EVPHROSINA Virgo Alexandrina sub Smaragdi nomine in Monasterio latitans, patrem eius Paphnutium ad eam sæpius venientem, vt eius frueretur colloquio; & de amissa filia consolationem acciperet, rogauit, vt tres dies in eodem maneret Monasterio, dicens non inutilem eam sibi moram futuram. Cum autem aduenisset dies tertius (quem ex diuina reuelatione nouerat sibi esse postremum) Euphrosina propè se patrem aduocauit; suamque se esse filiam illi aperuit, vultum ostendens quam fieri potuit euidentissimè, quem antea absconditum semper, & cucullo coopertum habere studuerat

Ian. 1.
Sept. 25.

duerat; gratias autem Deo egit; quod licet eum per totam viderit vitam, nullum tamen ab eo afferri sibi impedimentum permiserit; & quod tunc ibi adesset, vt proprijs manibus sepulturæ suas mandaret reliquias. Rogauit eum postea, vt possessiones suas Monasterio traderet; suumque corpus per semetipsum lauaret; nec id ab alio fieri permitteret. Demum dum ei diceret; ora pro me, tradidit spiritum, post triginta & octo annos in cella solitaria peractos.

Sur. tom. 1. Prat. spir. par. 1. Lippom. tom 6. Menol. Grec. & Roman. Martyrol. 1. Ian. Vsuardi 11. Febr.

EVPRAXIVS vide infra in annot. B. Nili.

XXVII.

Ian. 25. EVSEBIA Hospita è vita excessura, accersiuit ad se sorores omnes; gratias eis de impensis sibi beneficijs egit; earumq. orationibus plurimum se commendauit: Videns autem eas flentes (& præcipuè duas ancillas, quæ & fugæ, & vitæ eius sociæ fuerant) collachrymans & ipsa, eas est adhortata, vt relictis fletibus se ipsas componerent, ne in fine ipsæ dignæ essent, quæ deflerentur. Cum verò post adhortationem lugere magis pergerent, & lecto hærerent; ne minimum quidem ab eo discedere sustinentes; ipsa manus, & oculos ad cœlum eleuans, ait: Deus, qui in hodiernum vsque diem, omnia mihi fuisti, benignissimus Pater, & Mater, Nutrix, & Patria, Solum, & iucundum mei hospitæ solatium; ipse quoque Domine dignare me manè suscipere in supernam patriam, & ciuitatem Hierusalem: Memento autē harum quoque omnium, quæ mihi secundum spiritum (vt sorores) coniunctæ sunt; & conserua eas omnibus maligni Dæmones insidijs superiores; harum quoque duarum mihi præcipuè conseruarum, memento tu, qui bonus es; & quomodo in hac (quæ est ad tempus) vita, sociæ fuere, & à me perpetuo mansere inseparabiles, ita, vt nos quoque illic inseparabiles simus, & beata tua vita fruamur, concede. Hæc cum precata esset, rogauit sorores vt eam parum dimitterent; cumque illæ essent egressæ, è lecto ipsa descendit, & Oratorium petijt; vbi inclusa, cum genu-

genuflexisset in terram, intensius orauit, duabus ancillis eam extrinsecus contemplantibus. Cum ergò diutissimè produceret orationem, viderunt illæ Domum repente luce circumfusam, ipsamque lætitia perfusam; cumque suauem sensissent quoque odorem, ostium aperientes, irruerunt simul, & inuenerunt HOSPITAM, ab Hospite susceptam cœlesti, feliciter obdormisse.

Sur. tom.1. Lippom.tom.5. Molan.in addit. ad Vsuar.

ANNOTATIO.

Fuerat hæc virgo nobilis Romana, quæ nuptias respuens, fugam arripuerat, rebus suis elargita pauperibus; & cum duabus ancillis (quæ se ei adiungi voluerunt) Alexandriam venerat: Inde in Mylassam ciuitatem, vbi opera cuiusdam Episcopi ad se diuinitus missi, Monasterium ingressa cum iisdem ancillis, vitam admirabilem duxit: studens autem soli Deo esse notã, noluit EVSEBIAE nomine, sed HOSPITAE appellari, vt quæ à rebus mundanis esset planè Hospes, & aliena.

Non multum intercessit temporis, & eius ancillæ ex hac vita migrarunt; Episcopus quoque præfatus, qui eiusdem Hospitæ fuerat spiritus moderator, migrauit & ipse, paucis post diebus, vt simul in cœlesti patria beatitudine fruerentur æterna. *Anon. obit*

XXXVII.

EVSTACHIO Abbati Luxouiensi, ex hac vita exitum præstolanti, & postulanti, in optionem ei per visum datur, velitne quadraginta dierum spatio leuiori pœna cruciari; vel triginta feruentiori incendio purgatus; vitam beatam functus, cœlos penetrare? Lata enim erat iudicis sententia, vt quod minus annorum circuli (diuersis afflictionibus peracti) purgauerant; hoc paucorum corporis infirmitas dierum sanaret. respondit igitur: Melius esse, quamuis duris, breui tempore subiacere flagellis, quàm pœnis leuioribus prolixius consumi; & sic trigesima die (sumpto Viatico) purgatus euolauit in cœlum anno Domini 615. *Mar.29.*

Sur. tom.2. Beda tom.3. Trith. de Vir.Ill. lib.3.cap.70. Baron. in Annal.tom.8.

ANNOTATIO.

Eustasius dicitur hic in Martyrologio. Fuit autem discipulus S. Columbani, sexcentorumq. Monachorum Pater. Qui Agrestinum Monachum schismaticum, eiusdem S. Columbani Regulam euertere conantem, ad iudicium diuinum citauit intra annum; intra quod tempus (triginta nempè diebus antequam anni meta compleretur) à seruo suo, quem ipse redemerat, miser Agrestinus securi percussus interijt.

XXXIV.

Apr. 6. EVTICHIVS Patriarcha Constantinopolitanus cupiens ex hoc mundo discedere, iterabat sæpius verba illa: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? In die igitur Paschatis, cum sacrificium explesset, & Christi corpus populo distribuisset; sacrasque postea persoluisset preces, sacrum altare osculatus, gregem suum Domino commendauit, & a salutatum dimisit. Reuersus in Episcopium, in lectulo procubuit, vehementi febre correptus; ac ita mansit diebus septem, assiduè precibus incumbens, seque signo Crucis muniens. Cumque ab Imperatore Tiberio medici præstantissimi fuissent missi, qui eum curarent, nullum medicamentum ab eis sibi passus est adhiberi, dicens: Medicum habeo, qui mihi pro arbitratu suo medebitur. Tandem, adueniente sui exitus expetita hora, pellem suæ manus tenuit; & coram omnibus dixit: confiteor quia omnes in hac carne resurgemus. Post quam catholicæ fidei confessionem, collegit pedes suos; & in Dei manus tradidit spiritum, anno Domini 586.

Sur. tom. 2. De eo Baron. in Annal. tom. 7. Fusius.

ANNOTATIO.

a Quid sit salutare populum vide infra in Io. Episcopo Neapol.

Commentarium à se scriptum ediderat EVTICHIVS, quo firmiter aduersus Gentiles, & Hæreticos carnis resurrectionem astrue-

astruebat; sed ab Origenis erroribus petitam opinionem iisdem suis scriptis inseruerat; nimirum fore eam absque carne palpabili. Quod cum accepisset Gregorius Ro. Diaconus, qui Constantinopoli tunc manebat, conuenit eum, atque redarguit; vtque ab erronea,& prorsus hæretica sententia recederet,verbis admonuit; atque perfecit tandem, vt damnatus liber, incendio cremaretur; ipseque Eutichius suum fuerit detestatus errorem. Quod ipsemet Gregorius in Moral. lib.4.cap.29. narrat his verbis(explicans illud Iob. Et rursus circundabor pelle mea) Dum apertè pellis dicitur, omnis dubitatio veræ resurrectionis aufertur, neque sicut Eutichius Constantinopolitanæ Vrbis Episcopus scripsit, &c.

Et post disputationis argumenta recensita subdit.

Tunc itaque de hac re in longa contentione perducti, grauissima à nobis cæpimus simultate resilire; cum (piæ mem.) Tiberius Constantinus Imperator,secretò me, & illum suscipiens, quid inter nos discordiæ versaretur agnouit; & vtriusque partis allegationem pensans, eundem librum, qui de Resurrectione scripserat, suis quoque allegationibus destruens,deliberauit vt flammis concremari debuisset. A quo vt egressi sumus, me ægritudo valida, eundem verò Eutichium ægritudo & mors est subsecuta, & paulò post. Dum tamen adhuc viueret, & ego validissimis febribus ægrotarem, quicunque noti mei ad eum salutationis gratia pergebant (vt eorum relatione cognoui)ante eorum oculos pellem manus suæ tenebat dicens: Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus.

Cæterum haud valuit Neuus iste, vel quantauis macula (quam citò abstersit) eius animæ labefactare pulchritudinem; vtpotè(etsi errauerit) haud tamen Hæreticus videri potuit; quippe qui, vbi primum à doctore & monitore Gregorio didicit veritatem, eandem coram omnibus ad se ingredientibus, certa confessione professus est; vt non immeritò eum Græci vt Sanctum colant, anniuersariaq. die, eiusdem Natale celebrent.

Comparat eum Soli, pulchra similitudine Baronius in Annal.vbi supra: sicut enim(ait)illustrans orbem Sol, raro contingit,ad Occasum, absque nubium obice puris radijs deorsum ferri; ita sanctissimi quoque viri, virtutum fulgore coruscantes, absque aliqua labe raro vsque ad obitum perseuerant. Quod de Eutichio dici potest, qui gloria confessionis (ob exilium passum) Illustris; miraculorum operatione sublimis: Prophetiæ quoque charismate pollens; animarum lucro prædiues; victorijs aduersus Hæreticos,

longè lateque conſpicuus; propè exitum tamen (obſcuro nimbo contectus) penitus obſcuratur; ſed quàm citiſsimè, flante Dei ſpiritu, nubibus illis procul expulſis, eniteſcens prioribus fulgoris radijs, ad occaſum, aſcenſurus deſcendit.

Hac Baron. De eadem concertatione Io. Diac. in vita S. Greg. lib. 1. cap. 39. & ſeq.

X L.

Ian. 20. EVTHIMIVS Abbas in Palæſtina, ſuæ mortis præſcius, conuocauit Monachos; vltimas cum eis peregit nocturnas vigilias S. Antonij; delegit ſucceſſorem; prædixit multa; multaque eos admonuit, præſertim, ne fratres negligerentur, qui improbis grauantur cogitationibus. Deinde hoc poſtremò adiecit: Si inuenerim aliquam ad Deum fiduciam, hanc primam petam ab eo gratiam, vt vobiſcum & cum veſtris poſteris ſit ſemper ſimul ſpiritus in ſæculum. Hæc cum dixiſſet, omnes dimiſit, præter Domitianum (quem prius accerſiri fecerat, & poſt dies ſeptem moriturum dixerat, ſicut & contigit) cumque tres dies poſtea manſiſſet cum eo in Diaconico, ibidem obdormiuit in Domino anno 472. ætatis 99.

Sur. tom. 1. Lippom. tom. 5. de eodem Niceph. hiſt. lib. 14. *cap.* 30. 34. & 57.

ANNOTATIO.

Fuit & alter EVTHIMIVS Abbas in Aegypto qui in Origeniſmum cecidit.

De DOMITIANO habetur ſupra.



FAMIA-

I.



AMIANVS Eremita apud Gallesium in infirmitate positus, dissolutionem sui corporis sibi instare cognoscens, Gallesianæ Ecclesiæ Archipresbyterum accersiri fecit; cui obitum suum octauo ab illinc die futurum esse prædixit; & à Deo confortatus, è lecto exiliens, manumq. eiusdem Archipresbyteri apprehendens, locum ei è fenestra digito demonstrauit, in quo sepeliri desiderabat; In hortulo scilicet Ascarj cuiusdam eius hospitis, cuius domus in mœnibus ciuitatis sita erat: qui locus cum parum conueniens pro tanti viri sepultura Archiepiscopo videretur, respondit: Satius esse in Dei Genitricis templo intra ciuitatem posito, quàm in Hortulo illo, vbi nec Ecclesia, nec Ecclesiæ locus esset., honorificè eum condi: Sed videns illum in proposito persistere, eundem locum ab Hospite impetrauit. Octauo deinde die, Archipresbytero, & Sacerdotibus omnibus dictæ Ciuitatis ad eum accedentibus, iniunxit humiliter, vt eius corpus post obitum custodirent; Nã Dei magnalia visuri essent. Nec multò post Ascarus prædictus, qui tunc, & iam diu renum laborauerat doloribus, ad lectulum Sancti viri asportari se fecit; & illius manus deuotè exosculatus, à morbo quo detinebatur, continuò liberatum se cognouit; summasq. Deo Opt. Max. & Beato Famiano gratias egit: qui hoc peracto signo, in cęlum suspiciens; clero astante, & orante, in manus Domini tradidit spiritum, anno sal. 1150. ætatis vero 60. Aug. 8.

Vita eiusdem Sancti impressa Gallesij anno 1576. Ferrarius in Catal. ex Monum. Eccl. Gallesianæ, & ex lib. qui fabrica Hortana inscribitur.

ANNOTATIO.

Patriam suam hic (Coloniã scilicet Agrippinam) adolescens reliquit, & suis facultatibus in vsus pauperum erogatis, loca Sãcta, deuotionis affectu perlustrauit: factus deinde Cisterciensis Ere-

mita, Gallesij triennium in assidua carnis maceratione permansit, & in Monasterio annos vigintiquinque vitam herbis, pane, & aqua transegit. Qui Sanctitate, & Miraculis clarus, quadriennio post eius obitum (anno scilicet 1154.) ab Hadriano IV. in Sanctorum numerum relatus fuit.

II.

FAVSTVS Romanus, Sanctarum Dafrosæ & Bibianæ propinquus, cum ad tribunal perductus, fidem Christi (quam nuper ab eisdem acceperat) constantissimè profiteretur, positis ibidem genibus; & in eadem confessione perseuerans, Deo spiritum reddidit.

In actis S. Bibianæ apud Gallonium de virg. Rom. & in M.S. Cod. Biblioth. Vall. Petr. etiam de eo in Catal. lib. 1. cap. 19.

III.

Ian. 14. FELIX Presbyter Nolanus adueniente suæ migrationis tempore, die Dominico, confectis Mysterijs, & data pace vniuerso populo, proijciens se in pauimentum, orans perrexit ad Dominum.

Mombritius tom. 1. *S. Paulinus ex quo Beda, & Sur. tom.* 1.

ANNOTATIO.

Præclarum hoc de eo Baronium habet elogium in notationibus Martyrologij, nempè.

Vix credi potest (superant enim humanum captum) quot Deus per S. Felicem miracula sit operatus. Obstupuit hoc ipsum S. Augustinus epist. 137. qui & de eodem agit libro de cura agen. pro mort. c. 16. Item S. Damasus in carmine, quod de eo scripsit, vota persoluens, &c. scribit quoque de eo Gregor. Turonen. de Glor. mar. cap. 104.

IV.

Nou. 6. FELIX Martyr in Aphrica, confessus, & ad tormenta dilatus, alio die inuentus est in carcere exanimis.

Martyrol. Rom. ex S. Aug. tract. in Psal. 127.

V.

Dec. 27. FERDINANDO Magno, siue Fernando, Regi Castellæ de

de vitæ iam termino sibi imminente, apparuit S. Isidorus Hispalensis Episcopus, & diem sui obitus intimauit: cumq. cœpisset post modicum infirmari, fecit se Legionem adduci, vbi erat corpus eiusdem S. Isidori; & ingressus Ciuitatem (de more) corpora Sanctorum flexis genibus adorauit; petens & supplicans, vt cum dies obitus iam instaret, anima eius ab Angelis duceretur in æternam requiem. In ipsa nocte Dominicæ Natiuitatis, licet æger, & itinere fessus, Matutinis interesse cum Clericis voluit, concinens & ipse, quantum sibi ex infirmitate dabatur: facto autem die, fecit sibi Missam solemniter celebrari, in qua Corpus, & Sanguinem Domini mira deuotione percepit. In crastino vocatis Episcopis, Abbatibus, & viris Religiosis, vnà cum eis fecit se ad Ecclesiam deferri; capiti imposito diademate, & regalibus indutus indumentis. Cum peruenisset autem ad Sancti Isidori sarcophagum, coram eo astans, clamauit ad Dominum clara voce: Tũa est potentia; tuum Regnum Domine; tu es super omnes Reges; tuo imperio omnia sunt subiecta: quod te donante accepi, restituo tibi regnum; tantum animam in æterna luce iubeas collocari. Et his dictis, exutus regalibus ornamentis, pro venia exorabat; & recepta ab Episcopis pœnitentia, & gratia vltimæ vnctionis, indutus cilicio, & conspersus cinere, duobus diebus in pœnitentia, & lachrymis superuixit. Tertia autem feria, in festo Sancti Io. Euangelistæ, reddidit Deo spiritum immaculatum, anno sal. 1065.

Rodericus Toletanus de rebus Hispaniæ tom. 1. *lib.* 6. *c.* 14. *Baron. in Annal. tom.* 11.

V I.

FINA Virgo Hetrusca, ex oppido S. Geminiani, in domo paterna, quasi in Monasterio degens, adeò graui morbo percussa est, vt vix in lectulo volutari posset. In carne autem eius (à vermibus consumpta) lata conspiciebantur foramina: Quin & tabula ipsa lignea, super quam accubabat, ex carnis tabe computrescebat. Nec tamen in tantæ ægritudinis doloribus, longum ducens martyrium, illa conqueri, aut animum *Mar.* 12.

despondere visus est vmquam: Sed miram patientiam, tranquillam mentem, hilaremq. vultum omnibus aduenientibus ostendebat. Tandem post diutinam tantæ calamitatis, summæq. insuper paupertatis perpessionem, à S. Gregorio Papa (quem illa præcipuè colebat) de sua instanti migratione fuit per visum admonita. Vnde pia virgo sacris se muniens; & ad iter se præparans, octaua adueniente prænunciata die, ad momentaneæ tribulationis retributionem æternam læta migrauit, anno Domini 1253.

Ferrarius in Catalog. ex vita ipsius edita Florentiæ anno 1598.

ANNOTATIO.

In eius obitu Campanas sponte sonasse ferunt; & (quod etiam mirandum est) cum sepulturæ traderda esset, manum attollere visam, nutricemq. suam tactu ab insanabili morbo curasse.

FLAVIANVS, & ELIAS, vide sup. in Elia.

VII.

Dec. 22. FLAVIANVS Pater Sanctæ Bibianæ in exiliũ ad Aquas Taurinas, apud Centum Cellas, propter fidei confessionem deportatus; ibi post triduum, orando spiritum Deo reddidit.

In Actis S. Bibianæ apud Gallon. de virg. Rom. Greg. Dialog. lib. 4. *c.* 55. *Plura habet de Aquis Taurinis. Ferrarius ex eisdem Actis.*

FLORENTIVS. Vide infra in Io. Gualberto.

VIII.

Nou. 13. FLORIDVS Episcopus Tifernensis cum Diœcesim visitaret, pleurisi correptus, in vrbem relatus est. Laurentius autem Episcopus Aretinus, per quietem excitatus his verbis: Laurenti festina, quia Floridus migrat, venit ad eum vnà cum Habentio Episcopo Perusino, & Leontio Episcopo Vrbinate, à quibus sacro Viatico munitus, obdormiuit in Domino.

Ferrar. in Catal. hac die, ex Monum. Eccl. Tifernatis. Eius meminit S. Greg. Dial. lib. 3. *c.* 35.

FRAN-

IX.

FRANCISCA Romana febri correpta dissolutionem sui corporis(sæpius optatam)concupiuit; & exorauit; cumq. de sui obitus die per visum esset edocta,mira exinde exultatione tempus illud intermedium trāsegit;quo non murmur aliquod, non querimonia; sed corde tacito, mens bene conscia seruauit patientiam. *Mart. 9.*

Die igitur exoptata adueniente, sacrum in eodem cubili, in quo iacebat, audire voluit; Sacram Eucharistiam cum cæteris monialibus(ibidem assistentibus)sumpsit; & illicò fuit in extasim rapta; cumq. postea ad se rediret,cœlestis vim amoris, singulari quodam,& admirabili modo in se expertam esse asseruit. Rogata à Monialibus vt vehemens moriendi desiderium remitteret; & vt diutius cum eis permaneret, à Domino deprecaretur,eleuatis in cœlum oculis,in diuinæ voluntatis beneplacito se resignauit; eadem quæ Sanctus Martinus, verba proferens,nempè: Domine si adhuc pusillo huic gregi sum necessaria,non recuso laborem,fiat voluntas tua. Consolata est deinde sorores flentes;Dei amorem erga eas insinuās; & consequenter protectionem spopondens.

Demum,extrema Vnctione (quam postulauerat) munita, quietem à circumstantibus,& solitudinem quæsiuit. Quibus recedentibus,antequam ex hoc mundo exiret,coronam Beatæ Virginis recitare voluit; cumq. in huiusmodi deuotione ab hora nona adVespertinā vsque perdurasset,videns sibi aliquid adhuc virium superesse,voluit etiam Vesperarū eiusdem B. Virginis horam recitare. Videbantur autem eius labia moueri, sed verba distinctè audiri nequibant; Vnde confessarius eam interrogauit,quid faceret? Cui B.Mulier spiritum, quod minimum supererat, omni colligens nisu, respondit, se nunquam ex quacumq. infirmitate Officium Beatissimæ Virginis omisisse; cumq. tunc esset Vesperarum hora, eandem in vltimo vitæ suæ recitare (sicut par erat) voluisse. Quibus dictis,per se mēbra componēs,& oculos in cœlum erigēs,quasi placidissimo correpta somno,spiritū exhalauit.ann. sal. 1440.

Vita

Vita ipsius impressa Romæ Auctore P. Iulio Societ. Iesu & M.S. Bibl. Val. ex Archiuio Monasterij Turris speculorum.

Relata fuit in Sanctorũ numerũ à Paulo V. anno sal. 1608.

X.

Octob. 4. FRANCISCVS de Assisio, Ord. Min. Institutor, suum obitum longè ante prænoscens, fratribus indicauit; eiusque die imminente, ad S. Mariæ Ecclesiam (de Portiuncula dictam) deportari se fecit: Vbi super nudam humum, se totum nudatum prostrauit; vt in illa hora extrema, nudus cum nudo luctaretur.

Decubans sic in terra, faciem (de more) leuauit in cœlum; manuque sinistra, dextri lateris vulnus, ne videretur, obtexit; tum ad fratres conuersus ait: Ego quod meum est feci, quod vestrum est, vos Christus edoceat. Guardianus autem, votum ipsius ex diuina inspiratione cognoscens, acceptam cum corda, & fœmoralibus tunicam, pauperculo Christi obtulit dicens: hæc tibi tanquam pauperi commodo; tu illa suscipias obedientiæ mandato. Hæc audiens Franciscus gauisus est valde; palmasque ad cœlum eleuans, Christum suum magnificauit pro eo, quod exoneratus ab omnibus, vt concupierat, liber & expeditus sibi daretur ad ipsum transitus.

Apropinquante verò sui exitus hora, fratres conuocari fecit, & circumsedentibus omnibus, post data monita, extendit super eos manus (brachijs in modũ Crucis cancellatis) & præsentibus, atque absentibus benedixit, ac valedixit. Deinde codicem Euangeliorum sibi afferri fecit; & Euangelium S. Ioannis legi poposcit; ab eo scilicet loco, Ante diem festum Paschæ, &c. Ipse verò (prout potuit) Psal. 141. pronuncians, nempè: Voce mea ad Dominum clamaui, in eo versiculo: Me expectant iusti donec retribuas mihi, ad æternam retributionem in societate iustorum percipiendam, commigrauit, anno sal. 1226.

Sur. tom. 5. cap. 14. Breuiar. Rom. Chron. Ord. Seraph. hist.

AN-

ANNOTATIO.

Cum infirmitatibus multiplicibus laboraret aliquando FRANCISCVS, adeò vt vix in eo membrũ aliquod absque ingenti passionis doloris remaneret, & semel (solitò grauius) dolorum vrgeretur aculeis; frater quidã, simplex admodũ dixit ad eum: Pater ora Dominũ vt mitius tecum agat; manũ enim suam plus debito super te grauare videtur: Quo audito Vir Sanctus, cum eiulatu exclamans, ait: Nisi in te simplicem agnoscerem puritatem, tuum ex nunc consortium abhorrerem; qui ausus fueris circa me diuina iudicia reprehensibilia iudicare; & (licet totus attritus esset granis prolixitate languoris) in terram se proiecit; ossa debilia duro casu collidens; & humum deosculans: gratias (inquit) ago tibi Domine Deus de omnibus his doloribus meis; teque (mi Domine) rogo, vt centuplum (si tibi placuerit) addas; quia hoc erit mihi acceptissimum, vt affligens me dolore, non parcas; cum tuæ sanctissimæ voluntatis adimpletio, sit mihi superplena consolatio.

Relatus fuit in Sanctorum numerum bienniò post eius obitum à Gregorio IX. Eiusque ordo breui tempore adeò propagatus est, vt (S. Francisco adhuc viuente) ad nonaginta millia fratres excreuerit, quod testatur Sabellicus Ennead. Decad. 9. lib. 9.

Vide infra in Anonimo XXVI. De mortua suscitata precibus S. Francisci vt peccatum panderet, quod nec dum confessa fuerat.

XI.

FRANCISCVS de Paula, Ord. Minimorum institutor, *April. 2.* pridie quam ex hac vita decederet (die scilicet cœnæ Domini) pluribus è fratribus suis (qui ex varijs prouincijs, & Regnis tunc ad eum venerant) astantibus in Ecclesia, post Pœnitentiæ Sacramentum deuotè susceptum, sacrosancto Eucharistiæ Viatico, magna cum deuotione se communiri voluit. Postea, peractis gratiarum actionibus, ad cellam suam proprijs pedibus (licet debilis & infirmus) baculo innixus redijt. Sequenti verò die (nempè Veneris sancti) cum tempus migrationis adesse cognosceret, eosdem fratres ad se iterum conuocari iussit; quos salutaribus monitis erudiuit, & benedictione donauit. Demum circa horã, qua Christus Dominus noster pro nobis passus est, signo sanctæ Crucis deuotè consignatus; omnibus

nibus Sacramentis communitus; passione Dominica coram eo perlecta; iunctis manibus, erectisquè in cœlum oculis; Crucis trophęum amplectens, & osculans; ac sæpius: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, aliasquè pias orationes iterans; absque doloris, aut mortis signo feliciter migrauit ad Dominum anno sal. 1507.

Sur. tom. 2. ex bulla Canonizationis eius, data à Leone X. Dauid Romæus in eius vita à se conscripta.

XII.

FRANCISCVS de Montecchiello Ord. Iesuatorum cum assiduè dissolutionem sui corporis precaretur, eamque promissam à B. Io. Columbino (cuius migrationi interfuerat) reposceret; febri tandem correptus, exultauit spiritu, & ait: Benedictus Deus, qui recordatus est mei. Ingrauescente morbo, viaticum petijt; quo allato, genuflexus fidei confessionem fecit, ad eiusdem B. Io. imitationem; quam à tabellione, & ipse in acta publica redigi voluit. Cum plurimi verò eum inuiserent, & aliqua salutis monita ab eo peterent, sic respondebat omnibus: Quid dicam vobis nescio, nisi hoc tantummodo: Temporis iacturam vnusquisque timeat. Tandem Sacramentis munitus, feliciter migrauit ad Dominum.

In vita B. Io. Columbini cap. 83. de quo infra.

XIII.

Sept. 8. FRANCISCVS de Retza Ord. Præd. Magister, dum Antiphonā Salue Regina suis discipulis exponeret, febri correptus, ad socium ait: miror satis, quid sibi hoc velit Virgo Beatissima, quod infra suam octauam (Assumptionis scilicet) celeberrimam, & in suo occupatum opere, ita me alterari permittit. Ingrauescente igitur morbo, deuotè confessus est peccata sua Ioanni Nyder, eiusdem Ord. Magistro; & Eucharistiam suscepturus, ad S. Martini Cappellam properauit; vbi Missa audita, & sacrosancto Viatico cōmunitus, oleo quoque sancto inungi voluit. Deinde ad cellam reuersus, die sequenti (ipso videlicet B. Virginis Natiuitatis festo) mortis agonem ingressus est; & exinde in Salutationem Angelicam, de more,

pro-

(prorumpens, eandem iugiter repetijt, quousque labia claudere valuit; quinimò, & semiclausis labijs, verba salutationis ipsius, formare balbutiendo nisus, in ijsdem sic prolatis verbis vitam (nullo mortis apparente signo) finiuit. floruit circa annum Domini 1415.

Io. Nyder in formicario lib. 4. cap. 7. Leand. Albert. de Vir. Illustr. Ord. Præd. lib. 4.

ANNOTATIO.

Fuit FRANCISCVS hic mirum in modum Sanctissimæ Virgini addictus à iuuentute sua; adeò vt quoties nomen eius audiret, statim in eius reuerentiam, & honorem, Salutationem Angelicam occultè recitaret. Idem faciebat vbicunque eiusdem sacratissimæ Virginis imaginem aspiceret. Hac deuotione fretus, in singulis dormitorij, & conuentus locis; in choro; & vbi conuersari consueuerat, Iconam tantæ Virginis poni curauit. Quandocunque inter doctores, legendi ordo ipsum tangebat sabbatinis diebus, thema lectionis (pro medietate saltem) ad Beatissimæ Matris laudem dirigebatur; & dum de eadem gloriosa Dei genitrice dissereret, in tantas prorumpebat lachrymas, vt vix verba (præ fletu) intelligibilia formare posset *Idem Io. Nyder ibidem*.

XIV.

FRANCISCVS Xauerius societ. Iesu, cum febri æstuans subdio iaceret, à Lusitano quodam prætereunte exceptus, & domum suam, quæ erat in deserto colle, seu potius tugurium deductus est. Rogatus ab eodem hospite, vt venam sibi incidi patiatur, Xauerius, quanquam non ignarus quales haberet deserta insula medicos, tamen ait se in rebus omnibus, quæ ad sui corporis curationem pertinerent, in medentium fore omninò potestate. Sanguinem igitur misit, non sine spasmis, ac neruorum distentione. *Dec. 2.*

Dolorem corporis subsecutum est ciborum omnium fastidium; quanquam cibi nulli, ægrotis idonei, præter paucas amigdalas, suppetebant.

Biduò iam inedia traducto, cùm morbus magis magisque ingrauesceret, magis etiã Francisci virtus, ac patientia enituit:

Huma-

Humanis eten. ſubſidijs omnibus deſtitutus(inita iam hieme) iacebat in tugurio, ventis,atque imbribus peruio; maximoq. peſtiferæ febris iactabatur æſtu: Nil aliud tamen dolebat, niſi ſe naturali, vulgarique morte extingui in lectulo; & expetitam martyrij palmam,in manibus penè ſibi infringi. Cæterum tam inſigni beneficio ſe indignum exiſtimans, ad prouidentiæ diuinæ rationem ſuum compoſuit animum.

Eadem faciebat moribundus, quæ ſanus facere conſueuerat; nunc ſcilicet defixo in cœlum oculorum obtutu, cum Chriſto Domino colloquens; nunc Pſalmorum verſus piè admodum vſurpans; ſed præcipuè illas identidem iterabat voces: Ieſu fili Dauid miſerere mei: Tu autem peccatorum meorum miſerere: Mater Dei memento mei. Quibus,alijſq. eiuſmodi vocibus biduum extraxit. Adueniente tandem ſuprema illi hora, Chriſti effigiem manu tenens, intentiſque oculis intuens, crebros edebat gemitus,& ſubindè ſucclamabat: Ieſu Deus cordis mei, lachrymas precibus miſcens; donec eum vox, pariter ac vita deſeruit. Sicque die 2. Decembris,Ieſum & Mariam ſæpius inclamans, obdormiuit in Domino, anno ſalutis 1552. ætatis 55.

Vita ipſius ab Horatio Turſellino deſcripta,lib. 5. cap. 11. & in hiſt. Societ. lib. 12, à num. 107. De eodem vide infra in PETRO Vellio.

ANNOTATIO.

Ob inſignia,& crebra miracula in Sanctorum numerum relatus fuit FRANCISCVS à Gregorio XV. vnà cum Ignatio, Iſidoro, Tereſia,& Philippo Nerio anno 1622. 12. Martij.

XV.

FRIARDVS Recluſus,febri correptus, cum ſuæ vocationis diem ſibi imminere prænoſceret, miſit diſcipulũ ſuum ad Felicem Epiſcopũ Nanneten. vt nunciaret ei diſceſſum,in hęc verba: Frater tuus FRIARDVS dixit; ecce, cõſumato curſu vitę huius, de hoc mũdo abſoluor; & vt certior ſis de hoc verbo,

die Dominica transitum accipio, & vado ad requiem, quam promisit mihi Rex æternus: Veni, obsecro, vt videam te priusquam abeam. Episcopus autem occasione quadam detentus, mandatum remisit dicens: Rogo te (si fieri poteſt) vt me modicum expectes. His auditis FRIARDVS, cum iam lectulo decubaret, ait: Surgamus ergo, vt sustineamus fratrem nostrum; sicque protinus (quiescente febri) sanus surrexit. Post multum verò temporis, adueniente Episcopo, à febri iterum correptus est; & ingressum ad se eundem Episcopum salutauit dicens: grandes mihi moras de itinere debito facis, ò sancte Sacerdos. Cum igitur tota nocte simul vigilassent, & collocuti essent, manè facto, Vir Sanctus reddidit spiritum, circa annum Domini 574.

Lippom. tom. 8. Sur. tom. 4. ex Greg. Tur. vit. Patrum c. 5. habetur etiam tom. 7. Biblioth. veter. Patr.

XVI.

FRIDERICVM Episcopum Traiectensem IVDITHA Regina Adultera, per Sicarios à se mercede conductos, occidi curauit. Quibus Traiectum venientibus, significatum est ei (tunc ad sacrificandum se præparanti) adesse Reginæ nuncios, qui aliqua habeant in mandatis sibi dicenda. Ingemiscens autem Episcopus, & sursum oculos, ac manus erigens, Deo prolixè gratias egit, quod optatæ mortis tempus iam sibi adesset. Deinde ad astantes vultu conuersus Angelico: (scio ait) quid isti velint, sed expectare eos iubeo, donec peractum sit sacrificium. His dictis, è cathedra Pontificia surgens, Missam celebrauit; & post lectum Euangelium, sermonem ad Populum habuit, obitum suum subobscurè prædicēs: Cumque oues suas diuino pabulo corporis, & sanguinis Domini pauisset, eas Pastori summo commendauit; vltimumque eis Vale dixit.

Absoluto sacrificio (sic vt erat vestitus) in oratorium S. Io. Euangelistæ, vbi eius Sarcophagus positus erat, ingressus, exclusis omnibus præter vnum Cappellanum suum, Sanctorum omnium cum lachrymis patrocinium implorauit; &

deinde

deinde nuncios iussit introduci. Illis intrantibus, præcepit Cappellano suo, vt retrò Altare Saluatoris ambularet; nec rediret, nisi ab ipso vocatus. Cumque iam solus cum Sicarijs remansisset, eosque trepidantes cerneret: Facite (ait ad illos) quod iussi estis, intrepidi: Ego enim aduentus vestri causam antequam huc veniretis probè noui. Id vbi audierunt impij, percusserunt eum in extis; irridiculè vicissim dicentes: Vltasse est de te Regina nostra. At Martyr Dei, quibus potuit viribus, vulnera compressit, ne sanguis, & intestina effluerent; dixitque illis, vt properè abscederent, ne comprehenderentur. Aufugientibus igitur, accersiuit (post aliquantulam moram) Cappellanum; iussitque ei, vt ex muro contemplaretur, num ij Rhenum traiecissent; & qua vterentur celeritate, ipsi renunciaret. Fecit ille vt iussus fuerat; reuersus autem ad Episcopum, vbi eum vidit in facie mutatum, penè exanimis, quæsiuit; quid illi accidisset? Tum Vir sanctus, rogans eum ne perturbaretur: percussus (inquit) sum fili mi: Aduoca fratres, & commilitones meos; accersi populum Dei, vt reddant me vnde egressus sum, terram terræ; orentque vt spiritus meus (licet indignus) dirigatur ad Dominum; pro cuius amore, & legibus sanguis meus hodie fusus est.

Aduocato igitur per Cappellanum Clero, & populo, simulque omnibus eiulantibus, dixit sanctus; si qua mihi pars est cum sanctis in cœlo, non vos relinquam desolatos; sed pro vestra salute, & incolumitate perpetuus ero intercessor.

Prædixit deinde clades Regni futuras; & cum populo benè precatus esset, viuus in tumulum intrauit; ac Psalmodias in funere cantari solitas, ipse inchoauit dicens: Placebo Domino in regione viuorum. Deindè crebrò repetens: In manus tuas Domine commendo spiritum meum; & cœlum supinus intuens, cum dixisset: hæc requies mea in sæculum sæculi; hìc habitabo quoniam elegi eam, requieuit in Domino, anno sal. 838. 12

Sur. tom. 4. De eo Baron. in Annal. tom. 9. Vbi nonnihil dubitat de dicta Martyrij causa; aliamque præcessisse putat. à Molan.

Molan. in addit. ad Vſuard. & in Indiculo pluribus.

X V I I.

FREDERISIVS Monachus Cluniacenſis Amalphitanus, extra Monaſterium in cella quadam manere iuſſus, negligenter admodum vixit; atque Religionis ſplendorem infelicibus actibus deturpauit. Poſt aliqua temporis ſpatia in Monaſterio ſui Abbatis (S. Petri ſcilicet Cauenſis) languore correptus eſt, & ad extrema perductus: Cumq. & mori ſe videret; & culpas ſuas cōfiteri erubeſceret, mirabili pietate cū eo actū eſt, vt magnis cruciatibus hunc languor in mortem traheret; & mori tamen non poſſet. Corpus etiam Dominicum, quo ſe indignum negligenter viuendo, & indigniorem, culpas occultando, fecerat, ſæpè ſibi oblatum, ſumere nunquam valuit. Cum igitur eum fratres ſæpius admonerent; & ille ſe excuſando tegeret, conſilijs eorum tandem acquieuit; & (ex more Monaſterij) Domino Abbati culpas confitendo aperuit. Qui nullum ad agendam pœnitentiam vitę ſpatium ſupereſſe conſiderans; ne impurgatus abiret, eum flagris cecidit; & corporali vindicta expiatum ſoluit: Paternæ autem dilectionis illius verbera, mira diuinæ clementiæ ſigna ſubſecuta ſunt; ſtatim enim vt meritorum ſuorum iudicium patienter excepit, oblatum ſibi Corpus Dominicum ſumpſit; & tanta pace ſtatim obijt, vt in eo non ſolum ſui Patris affectus; ſed etiam Domini promiſſio firmaretur; quia hora, qua peccator conuertitur, vita viuet, & non morietur.

Sur. in vit. S. Petri Abb. Cauenſis tom. 2. Simile habetur apud eundem Sur. in vit. S. Bernardi lib. 1. cap. 11. de non valente Eucharistiam glutire, donec eidem ſancto plenè confeſſus fuerit.

X V I I I.

FVLBERTVS Abbas Perſorenſis poſt obitum in feretro poſitus, redeunte ſpiritu erexit ſeſe, cunctis trepidantibus; aitque ſe à S. Benedicto ad Dei conſpectum fuiſſe perductum; Deum ſibi peccata, ob meritum dilecti ſui Oſuualdi (cuius fuerat diſcipulus) remiſiſſe; ac eiuſdem ſanctitatis declarandæ cauſa, reuixiſſe. Quibus dictis conticuit; & percepto

ſacro Dominici corporis viatico, dimidium ſuperuixit diem; ac rurſum in Domino feliciter obdormiuit.

Sur. tom. 5. in Vit. S. Oſualdi, de quo infra.

X I X.

Ian. 1. FVLGENTIVS Epiſcopus Ruſpenſis, ante annum quàm de hoc ſæculo raperetur, Epiſcopatus curam relinquens; & de ipſo quoque Monaſterio ſuo, ſecretò recedens, ad inſulam Circinam migrauit; vbi in quodam breui ſcopulo (in quo Monaſterium iam fabricari mandauerat) lectioni; orationi; & ieiunijs vacans, maximæ ſe dedit pœnitentiæ: inde tamen (charitatis neceſſitate conſtrictus) diſcedere, & ad ſuum Monaſterium fuit redire coactus. Vbi, vltima correptus infirmitate, & ſeptuaginta propè diebus ægritudine, accerrimiſque paſſionibus fatigatus, hoc ſolum frequenter dicebat: Domine da mihi modò hìc patientiam, & poſtea Indulgentiam. Perſuadentibus Medicis, vt lauacris balnearibus veteretur, renuit dicens: nunquid balnea facere poterunt, ne homo mortalis (expleto ſuæ vitæ tempore) moriatur? Si verò proximam mortem, nec aquarum calidarum poſſunt fomenta repellere, cur mihi (obſecro) perſuadetis, vt rigorem diu ſeruatæ profeſſionis in fine diſſoluam? Morti iam proximus accerſitos Clericos, Monachis præſentibus, ſic eſt allocutus: Ego fratres animarum veſtrarum ſaluti proſpiciens, moleſtus apud vos forſan, & difficilis extiti; & ideo obſecro vos, vt ignoſcat mihi quiſquis aliquid dolet; & ſi forſitan ſeueritas noſtra modum tranſgreſſa eſt debitum, orate ne mihi hoc Dominus imputet ad peccatum. Deinde pauperum curam gerens, requiſita ſumma, de qua fideliſſimus diſpenſator quotidiè egentibus miniſtrabat, totum iuſſit expendi; ac per ſeipſum (memoriter recolens egentium ſingulorum nomina) quibus, quid ſingulariter daretur, propria deliberatione conſtituit. Quibus ordinatis; orans iugiter; & intrantes ſingulos benedicens, vſque ad extremam horam ſana mente permanſit. & ſic peracta veſpera ſanctam emiſit animam.

Sur.

Sur. tom. 1. De eo S. Isidorus de Vir. Illustr. cap. 14. & Baron. in Annal. tom. 6. & 7.

ANNOTATIO.

Fuit FVLGENTIVS vnus ex numero illorum ducentorum viginti Episcoporum, quos Trasamundus Rex Vuandalorum in Sardiniam relegauit, quibus B. Symmacus Papa quotidiana subsidia ministranda curauit.



I.

Apr. 18. ALDINVS S. R.E. Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis, secunda Dominica post Pascha Resurrectionis, zelo Dei in Hæreticos accensus, S. Theclæ petijt Ecclesiam, diuina officia de more in ea peracturus: sed quia multa corporis debilitate laborabat, Missarum solemnia à Cimiliarcha (qui ei postea in Episcopatu successit) celebrari præcepit; ipse verò, confessione cum fratribus facta, priusquam Euangelij lectio populo recitaretur, pulpitum ascendens, contra dictos Hæreticos præclarissimam habuit concionem: Cumq. finem dicendi faceret, eam illicò cœpit corporis sentire molestiam, qua anima separatur à corpore: quaue dabatur intelligi, sui certaminis cursum iam consummasse. Mutationem itaque vultus ipsius, fratres considerantes, eumq. paulatim deficere videntes, ibidem, leui motu, deposuerunt. Perlecto autem Euangelio, & Missarum solemnijs peractis, cum ipse in eodem pulpito iacens, nutibus, quibus poterat, astantibus fratribus animam suam commendasset, in pace spiritum Deo reddidit, anno Christi 1177.

Mombrit. tom. 1. Ferrarius in catal. ex Brev. & Actis Ecclesiæ Mediol. M.S. Bibl. Vall. De eo Baron. in Annal. to. 2.

II.

Dec. 3. GALGANVS Eremita apud Senas, post multorum miraculorum operationem, Humilitatis studiosissimus, sui corporis dissolutionem à Domino postulauit, & obtinuit. Cęlitus enim vocatus his verbis: satis est, quod laborasti, mete nunc quod seminasti, maxima perfusus luce; genibus flexis; manibus iunctis; oculisq. in cœlum erectis, Deo spiritum reddidit anno salutis 1181.

Siluanus Razz. in vitis Sanctorum Hetruriæ, Gregor. Lombardel. Ord. Præd. in vita ipsius impressa Senis anno 1577. ex qua Ferrar.

III.

Apr. 6. GALLA vidua, & Monialis, Symmachi Consulis filia;

cancri vulnere in mammilla percussa, cum nocte quadam iaceret ex eadem infirmitate fatigata, videt B. Petrum Apostolum, inter vtraq. candelabra, quæ ante eius lectum nocturno tempore lucere semper consueuerant, sibi apparentem; cuius visione nihil fuit perterrita; sed ex amore sumens audaciam, exultauit, eiq; dixit: Quid est Domine mi? Dimissa sunt mihi peccata mea? Cui ille (benignissimi vt est vultus) inclinato capite annuit, dicens: Dimissa; Veni. Sed quia quandam Sanctimonialem fœminam in eodem Monasterio præ cęteris diligebat, illicò Galla subiunxit: Rogo vt soror Benedicta mecum veniat; cui ille respondit: Non, sed illa talis veniet tecum; Hæc verò quam petis, die te erit trigesimo secutura. Retulit hæc Galla matri: tertia autem die cum ea, quæ iussa fuerat sorore, defuncta est. Illa verò, quam popoſcerat, die trigesimo est subsecuta.

Greg. Dial. lib. 4. cap. 13. ex quo Petrus in Catal. lib. 9. c. 25. Trith. de vir. Illust. Ord. S. Bened. lib. 3. cap. 13. & alij, præsertim Ferrarius, qui putat obiisse 6. April. de Benedicta (quæ trigesimo die eam est subsecuta) in Martyrol. habetur 6. Maij.

IV.

GALLVS Episcopus Aruernensis cum, grauatus incommodo decubaret, ita febris omnia eius membra depilauit, vt capillos, & barbam simul amitteret. sciens autem post triduū se migraturum, conuocato populo suo, Panem ei cœlestem præbuit; & die tertia postmodum adueniente, interrogauit quid in Ecclesia fratres psallerent; & audito quod psallerent [a] Benedictionem; Psalmo quinquagesimo, & Benedictione decantata, ac [b] Alleluiatico cum Capitello expresso, consummauit officium totum temporis Matutini. Quo iam perfunctus ait: Valedicimus vobis fratres. & hæc dicens, extensis membris, intentum cœlo spiritum præmisit ad Dominum, anno sal. 573. ætatis 65. *Iul. 1.*

Sur. tom. 4. Lippom. tom. 8. Gregor. Tur. de vit. Patrum c. 6. & de gest. Franc. lib. 4. cap. 5. & 6. Baron. in Annal. tom. 7.

ANNOTATIO.

a Benedictionem 1. Psalmum, seu Canticum Benedicite omnia opera Domini Domino. *Baron. in Annal. tom. 7.*

b Alleluiaticum.

Refert Victor Vticens. de persecut. Vuand. lib. 1. propè finem martyrium SS. plurimorum, qui in persecutione Geiserici Regis Ariani, in die Paschæ, in Ecclesia cæsi sunt; quorum vnus, Lector, pulpito sistens, dum ALLELVIATICVM melos caneret, sagitta in gutture transfixus est. Eorundem omnium memoria habetur in Martyr. Rom. 5. Aprilis. Vbi in notis multa Baronius de vsu canendi hanc vocem ALLELVIA in Ecclesia; sed plura Duran. ration. Diuin. Offic. & alij, qui Commentarios de rebus Ecclesiasticis conscripsere.

Patruus fuit GALLVS Sancti Gregorij Turonensis, qui de eo plura conscripsit admiratione digna lib. 2. de glor. Mar. cap. 23. vbi hæc præcipuè.

Cum Aruernensis Ciuitas maximo incendio cremaretur; & hoc Sanctus comperisset, ingressus Ecclesiam diutissimè Dominum ante Sanctum Altare cum lachrymis exorauit: surgensq., Euangelijs comprehensis, apertisq. obuiam se igni obtulit; quo obtemperante, protinus, ad aspectum eius, ita omne incendium est extinctum, vt nec fauillæ quidem in eo igne remansissent. Hæc Gregor. qui & lib. 4. cap. 5. narrat de lue, precibus eiusdem ab Aruernensibus profligata.

V.

GASPAR de Cella Ord. Iesuatorum, vltima infirmitate grauatus, qua diu, noctuq. affligebatur, nullius vnquam turbationis edidit signũ; sed hoc erat ei semper in ore: Deus meus es tu, & ego seruus tuus. Morte autem imminente, è lectulo surrexit, & flexis in terram genibus; iunctis manibus; voce clara, & expedita ait: Domine scis, quia meus es tu, & ego tuus. quibus verbis emisit animam, & dimisit corpus (ita vt erat) genuflexum.

In vitis B. Io. Columb. & soc. cap. 6. per Feum Belcarium, & in recentioribus per Paulum Morigium cap. 5.

VI.

GAVDENTIVS Episcopus Nouariensis, diem obitus sui prædixit: quo adueniente, dum ad populum concionem haberet, sanctum Deo reddidit spiritum. *Ian.22.*

Ferrar. in Catal. hac die ex Breu. Nouariensi. Mombritius etiam tom. 1. eius vitam refert à S. Leone Episcopo scriptam. in ea tamen non habetur, quod concionando obierit.

ANNOTATIO.

Huius Sancti corpus sex mensibus iacuit inhumatum, & incorruptum; crescentibus iugiter Cæsariæ, barba, & vngulis.

Hic idem GAVDENTIVS Sanctum Ambrosium prætereuntē, & eius equum, quominus vlterius progrederetur, fixit, donec ad se visendum remearet.

Nouariæ celebratur eius depositio die 3. August. *Idem Ferrar.*

VII.

GEBIZO Monachus Cassinensis; infirmitate vltima depressus, noluit vitæ rigorem remittere: Absit (inquiens, id rogantibus) vt abstinentiam, quam toto vitæ meæ tempore seruaui, nunc in mortis constitutus articulo perdam; Iam enim Domini mei repræsentabor conspectui. *Oct.21.*

Apparuit ei B. Virgo, & eum confortans ait: Sustine viriliter, quia per ardorem hunc momentaneum, euasurus es illum intolerabilem, & perpetuum. Hac itaque consolatione suscepta, stetit hilarior; & salutatis confratribus, post pusillum, diem feliciter clausit extremum.

Paul. Diaconus in M. S. Bibl. Vall.

VIII.

GERALDVS Comes Aureliacensis dissolutionem sui corporis instare cognoscens, Episcopum iubet euocari, vt eius transitum suis muniret orationibus. Interim cuncta, quæ vel funeris causa, vel remanentium necessitas poposcisset, sano sensu, & integra mente disponens. Cum verò fama velox circumquaq. volitasset, virum Dei ad transitum propinquare, accurrunt omnes cateruatim, eius discessum lugentes; ille autem solus hilaris, ac lætabundus perstabat.

Per omne sui languoris tempus nec vnum quidem matutinale officium, nisi in Ecclesia passus est celebrare; ad quam, suorum portabatur manibus; missam verò vnam diei competentem; alteram pro Defunctis, coram altari positus audire voluit.

Tandem ingrauescente morbo, iussit vt Nocturnum officium coram se Cappellani peragerent; Episcopo cum suis in Ecclesia illud celebrante: Cum psallentibus autem, & ipse psallebat, donec post Matutinas, omnes etiam diei horas cōpleret. Tum verò Completorium finiens, signo se Sanctæ Crucis armauit, & subiunxit Respōsorium illud, quod ei semper familiare fuit, nempè: Subuenite Sancti Dei, &c. Quo absoluto siluit. Episcopo igitur ab astantibus aduocato, sancta illius membra in Cilicio imposuerunt; cæterisque pro exitu psallentibus, quidam de Sacerdotibus Missam concitus celebrauit, atque Sacrosanctum attulit Mysterium. Cum verò quidam dicerent quod iam discessisset, ille sensum adhuc retinens, oculos aperuit, & hoc indicio nondum se discessisse monstrauit. Tum verò Dominicum corpus, quod expectabat, accepit; & ita felix anima ad cœlos migrauit anno Domini 907.

Odo Cluniacensis in vita eiusdem lib. 2. nu. 5. & seq. Habetur in Biblioth. Cluniacen. vbi præclara eius gesta, atque miracula, quatuor libris fusius enarrantur.

ANNOTATIO.

Cum esset de more lauandum nudatum cadauer, Ministri qui id agebant, manus vtrasq. pectori eius applicuerunt, cum subitò dextrum brachium ipsius extensum est, & ita verenda contexit. Quod illi quidem casu contigisse putantes, manum ipsam denuò inflexerunt; sed iterum sicut prius extensa est, & ad sexum contegendum sese aptauit. At illi stupere iam cęperunt; sed rem diligentius scire volentes, adhuc tertiò brachium reflectunt, manumq. super pectus ad alteram reducunt; quæ protinus summa velocitate prædicta membra, sicut prius repetijt, & obtexit. Pollinctores

igitur

igitur admiratione simul, & pauore perculsi, corpusculum festinanter operuerunt. Postquam verò indumentum accepit; nullatenus vspiam se se manus illa extendit. *Ibid. lib.1. n.20.*

Simile contigit in S. Patris nostri Philippi Nerij sacro cadauere abluendo, *vide inf.* in PHILIPPO.

Romam frequētius petebat, GERALDVS, Beatorū Petri, & Pauli deuotissimus, quibus non solum insigne prædium delegauerat; sed sibi hanc præfixerat legem, vt secundo semper anno ad sepulchra eorum recurreret; Decemq. solidos, ad proprium collum dependentes, tanquam supplex seruus Domino suo, quasi censum deferret. *Ibid. lib. 2. num. 17.*

Per septem & eo amplius annos (nouus Tobias) lumen oculorum amisit, *lib.3. num.2.*

Responsorium illud, Subuenite Sancti Dei, semper ori eius fuerat familiare; quod ad cuiuslibet casus euētum inclamare solebat. *Ibid. lib.3. num.5.*

IX.

GERARDVS Abbas Broniensis apud Belgas, diem sibi vltimum imminere sciens, omnia sibi subdita visitare voluit Monasteria; quorum omnium cura à se abdicata, ad eorundem pauperius (Broniense nuncupatum) se recepit, in eo moriturus; Respondens ijs, qui in alijs ditioribus eum detinere volebant: Hæreditas mea (paupertas nempè) præclara est mihi; vbi requies mea; vbi habitare constitui; quoniam præ cunctis eam mihi elegi. *Octob. 3*

Sub mortem, data fratribus pace, & Viatico sacro munitus, iussit pulsari campanam (ipso volente) fusam, & Episcopali benedictione benedictam; in cuius sonitu abijt in cœlum. anno Domini 958.

Sur. tom.5. Trith. de Vir. Illust. Ord. S. Bened. lib.3. c.270. qui lib. de script. Eccles. asserit S. Odonem Cluniacensem scripsisse eius vitam. De eo Baron. in Annal. tom.10. Molanus in addit. ad Vsuard. & in indiculo.

ANNOTATIO.

Cum Arnulphus Flandriæ Comes calculo excruciaretur, orauit Abbatem GERARDVM, vt sibi precibus obtineret sanitatem;

Cui

Cui lachrymanti dixit Abbas; Ne videaris frustra à me petijsse remediũ; indicabo tibi quid facias: Iacta semper in Dominũ cogitatũ tuum, & quia multis auctus es diuitijs, aliquid ex ijs erogato in pauperes; & poteris abolere enormitatem scelerum tuorum. propter peccata enim interdum eiusmodi mala accidunt; vbi verò hac ratione Christum tibi propitium reddideris, etiam optatam licebit recuperare salutem. Annuens autem Comes, & præcipiens domesticis suis, vt fideliter Sancti viri consilium exequerentur, indixit ei Abbas etiam triduanum ieiunium; quod & ipse seruauit. Missam deinde celebrauit; Eucharistiam ei impertiuit; & confestim Comes sanatus est. *Idem Sur. tom. 5. c. 23.*

Cum Æmuli eius irruerent quadam die in Templum, vt eum ad aram occiderent, mira animi constantia obuiam procedens, alacriter sese illis obtulit dicens: ò Fratres, quæ tanta exagitat vestras insania mentes, vt aduersum me imbellem arma corripiatis? Et si autem nullis ego sum terrestribus munitus armis, cœlestia tamen mihi non deerunt: Itaque non me terrent vestra spicula. Non ego recuso pro Domino Iesu haurire mortis calicem; cum ille pro me tam multa perpessus sit. Quibus verbis illi territi, veniam supplices petierunt, & obtinuerunt. *Ibid. cap. 24.*

X.

Aug. 20. GERARDVS Diaconus (cognomento Magnus) Prædicator eximius, dierum suorum sentiens adesse finem, salutare Viaticum petijt, & accepit; & agonem suum fiducialiter Domino commendauit. Deinde ad astantes ita breuiter est allocutus: En vocor à Domino, & tempus resolutionis meæ instat: Augustinus, & Bernardus pulsant ad ostium, nec possum præterire terminum à Deo constitutum: Deus tueatur exitum meum: pergat spiritus ad Dominum, qui fecit illum: Tegat terra corpusculum, non diu ibi mansurum: Det mihi Deus inuenire requiem post mortem, pro cuius amore laboraui, scripsi, & prædicaui. Consolatus est autem discipulos plorantes, monens eos firmiter stare in proposito sancto; cõmendauitq. eos Deo, & Sanctis eius. Spopondit eis insuper auxilium Dei certissimè affuturum, & subdidit: Vt primum venero ad Dominum, spero quod proijciam vobis flores de cœlo, vt gratiam sentiatis, & fructum in mundo faciatis.

Venerunt ad eum interim quidam deuoti ſcholares, peſtilentiæ morbo percuſſi, cupientes pro remedio animæ ſalutare verbum ab eo audire; Ad quos ille clementer ſic allocutus eſt: ſi habetis bonam voluntatem Deo ſeruiendi, ſecurè poteſtis mori: omnes lectiones, quas didiciſtis, reputabuntur vobis ſicut Oratio Dominica, propter piam intentionem, quam in ſtudendo habuiſtis. His auditis iuuenes, conſolati reuerſi ſunt ad hoſpitia ſua; & in bona confeſſione defuncti. Ipſe verò cum S.Bernardi (eius præcipuè Patroni) illuxiſſet dies feſtus, feliciter ex hoc Mundo migrauit.

Thomas ac Kemp. in eius Vita.

X I.

GERARDVS Monachus Ciſtercienſis, decem dies antè eius obitum audiuit pulſari ſignum, quo conuocantur Monachi ad Agonizantem iuuandū; & accurrens illicò ad infirmorū locum, nullumq. ibi reperiens morientem, recordatus eſt Reginaldi (de quo infra) & illicò, leui morbo percuſſus, ad extrema deductus fuit. Quando igitur morti ſe proximum vidit, eleuauit manum, & brachium; quod ante non poterat; ſuſtinens Crucifixi imaginem, & ſic, vultu ſereno reddidit ſpiritum.

Hiſt, S.Bernardi Hiſpanicè lib. 4. cap. 51.

X I I.

GERARDVS Monachus, S. Bernardi germanus, cum ſe deceſſui propinquum agnoſceret, ad Dominum conuerſus ait: Deus tu ſcis, quod quantum in me fuit, ſemper optaui quietem; mihi intendere, tibi vacare; ſed implicitum tenuit timor tuus; voluntas fratrum; ſtudium obediendi; & ſuper omnia, Abbatis, pariter & fratris, germana dilectio. Sub mortem verò, in vultu, & voce exultationis, erupit ſubitò in illud Dauidicum: laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelſis; ſtupentibus autem qui aderant; accitus eſt S. Bernardus; quo præſente, & extrema iam Pſalmi clara voce complente, ſuſpiciens in cœlum ait: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum, & repetens eundem ſermonem, ac *Iun. 13.*

frequen-

frequenter ingeminans, Pater, Pater, conuuersus ad Bernardum exhilarata facie: quanta (inquit) dignatio Dei, Patrem hominum esse? Quanta hominum gloria, Dei filios esse, & hæredes? Nam si filij, & hæredes, &c. Sic igitur cantabat moriens, quem S. Bernardus lugebat.

Idem, Bernar. serm. 26. in Cant. relat. à Sur. tom. 3. & Lyppom. tom. 1.

ANNOTATIO.

De GERARDI morte nihil aliud habet in eo sermone S. Bern. In fine tamen, hæc addit. Cum pro causa Ecclesiæ anno præterito Viterbij essemus, ægrotauit ille (GERARDVS scilicet) & inualescente languore, cum iam proxima videretur vocatio, ego ægerrimè ferens comitem peregrinationis in terra relinquere alienæ, nec resignare his qui mihi eum commiserunt, quoniam amabatur ab omnibus, conuersus ad orationem, cum fletu, & gemitu; Expecta (inquam) Domine vsque ad reditum; restitutum amicis, tolle iam eum si vis, & non causabor: exaudisti me Deus: Conualuit: opus perfecimus: Rediuimus cum exultatione. Porrò ego oblitus penè sum meæ conuentionis, sed non tu.

XIII.

Maij 28. GERMANVS Episcopus Parisiensis diem obitus sui diuina reuelatione præcognitum, in suo cubiculo supra lectum inscribi fecit, hoc modo: Quintò Calendas Iunias. quo die postea feliciter migrauit ad Dominum, anno 579.

Lippom. tom. 8. Sur. tom. 3. Greg. Tur. hist. Franc. lib. 4. c. 51. lib. 5. cap. 8. lib. 8. cap. 33. & de gloria confess. cap. 92. Aimoinus scripsit duos libros de Miraculis ipsius, qui apud Sur. extant tom. 7. die 25. Iulij. De eo Baron. in Annal. tom. 7.

XIV.

GEROLDVS Episcopus Lubicensis infirmitate correptus orauit Deum, vt differretur sibi vita, quousq. dedicaretur Oratoriũ Lubicense, & Clerus recenter adunatus, conualesceret in statu suo. Nec mora, diuinitus adiutus, dilatus est ad modicũ & aggressus est dedicationis opus. Quo peracto, sentiẽs dilatos ad tẽpus dolores rursus incalescere, statuit visitare suã Diœcesim

sim

qua perlustrata, & peracto negocio, expletisque diuinis mysterijs, viribus corporis cœpit repentè destitui; multisque diebus lecto decubuit: Nunquam tamen Missarum solemnijs, vsque ad diem sui obitus, deesse voluit. Audita ergo boni pastoris ægritudine, venerunt ad eum plurimi venerabiles Viri; qui cum lecto ægrotantis appositi, optarent ei adhuc vitæ dilationem, ipse respondit: Quid precamini mihi, fratres, quod inutile est? Quantumcunque viuam, mors semper restat. Iam nunc vtique fiat, quod quandoque futurum est: Melius est euicisse, quod effugere nemini licet. Inter loquendum autem dedit suis lectionem de Psalmo: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Interrogatus quas pateretur molestias? nullos se torsionis dolores professus est, sed tamen defectu virium prægrauari. Cum verò fratres consummationis finem imminere viderent, impenderunt ei sacræ vnctionis officium. sicque Sacramentis salutaribus communitus, illucescente die feliciter migrauit ad Dominum.

Helmoldus in Chron. Slauorum lib. 1. cap. 94. & 95.

X V.

GERONTIVS Monachus in Monasterio S. Gregorij, dum graui molestia corporis esset depressus, in visione nocturna albatos viros in idipsum Monasterium descendere de superioribus, aspexit. Qui dum coram lecto iacentis assisterent, vnus eorum dixit: ad hoc venimus, vt de Monasterio Gregorij quosdam fratres in militiam mittamus; atque alteri præcipiens dixit: scribe Marcellum, Valentinianum, Agnellum, & quosdam alios. Quibus expletis, addidit dicens: scribe, & hunc ipsum, qui nos aspicit. ex qua visione Gerontius certus effectus, facto mane, innotuit fratribus quot, & qui essent ex eodem Monasterio morituri; seque illos continuò secuturum, sicut & contigit. Die enim altero præfati fratres mori cœperunt, eodem ordine, quo fuerant in descriptione nominati. ad extremum & ipse obijt, qui eosdem fratres morituros præuidit.

Io. Diaconus in vit. S. Gregorij lib. 1. cap. 18. relat. à Sur. tom. 2. & idem Greg. Dial. lib. 4. cap. 26. vbi ante decennium ſcribit hoc contigiſſe; nempè anno Chriſti 583. *Dialogos enim ſcripſit ſanctus anno Chriſti* 593. *vt habet Baron. in Annal. tom. 8. eodem anno.*

XVI.

Mar. 17. GERTRVDIS Virgo Niuellenſis in Brabantia, Pipini Ducis filia, cum (Domino reuelante) didiciſſet propè adeſſe ſuam è corpore migrationem, Abbatiſſæ ſtatim ſe abdicauit miniſterio; & deinde triennij ferè ſpatio, ad cœleſtem ſuſpirans patriam, perpetuis vacauit precibus; parauitque ſibi interim ciſtellam, in qua conderetur corpus eius: & decreuit ne vllum aliquod indumentum eius corpuſculo adhiberetur, præter velum quoddam penè nullius pretij, quod quædam Peregrina Sanctimonialis, illi pro benedictione miſerat, vt eo caput contegeret: Porrò in ſepulchro poneretur cilicium; neque alio operimento ſe contegi voluit, niſi cilicio quo fuiſſet induta, & panno veteri, quo cilicium tegebatur, dicens: ſuperflua nihil neque viuentibus, neque morientibus poſſe conferre.

Migrationis autem inſtante die, miſit vnum è fratribus ad peregrinum quendam Monachum, ſciſcitaturum ab eo, quo die eſſet ex hac vita deceſſura; nunciaturum ei quoque, ſe valde formidare, pariter ac lætari. Accepit verò ab eo reſponſum, quod die craſtina intra Miſſarum ſolemnia è corpore ſibi abſcedendum eſſet; & quod nullatenus trepidare, ſed læta proficiſci deberet; cum Sanctus Patritius Epiſcopus, vnà cum Sanctis Angelis, eàm eſſet cum ingenti gloria excepturus. Gratias igitur Deo egit; noctemque totam cum ſororibus in Pſalmis, & precibus duxit inſomnem. Die autem ſequenti, cum ſacratiſſimum Viaticum ſuſcepiſſet; & Sacerdos precem illam, quam ſecretam vocant, abſoluiſſet, feliciter obdormiuit in Domino, anno Chriſti 644.

Sur. tom. 2. Molan. in Indic. Sanct. Belg. Baron. in Annal. tom. 8. De ead. vide ſuprà in Bauone.

XVII.

GERTRVDIS Virgo ab Oesten apud Batauos, cum ad eam peruenisset diem, qua ad sponsum erat itura cœlestem, sacrosanctis munita mysterijs, ad sorores ait: Ego domum proficiscor. Illis autem existimantibus, præ morbi dolore sic eam loqui, dicentibusque ipsam domi tunc esse, rursus ait; nequaquam domi sum, sed illic volo esse, vbi plateæ sternuntur auro mundo. Quibus dictis, paulò post obdormiuit in Domino. anno sal. 1358. Iann. 6.

Sur. tom. 7. Molanus in Natal. Sanct. Belg. fusius, vbi habetur etiam Apologia pro ea, quæ fuerat olim Beghina, non autem ex damnatis, & abolitis à Clemente V.

ANNOTATIO.

Solebat GERTRVDIS quotidiè se exercere in vita, & passione Christi meditanda. In Christi autem Natiuitate, versans animo summam eius humilitatem; extremam paupertatem; & id genus alia; seque paruulo Iesu oblectans, dignata est aliquando vt virginea eius vbera tumescerent; lacteque manarent quotidiè ab eadem Christi Natiuitate, vsque ad Purificationis festum.
Idem Sur. ibidem cap. 5.

GILABERTVS *vide infra* in Vincentio Ferrerio.

XVIII.

GILBERTVS Monachus Cluniacensis ex infirmitate, quam incurrit, ad extrema deuenit; cumque (de more) in substrato cilicio, & cinere à fratribus compositus iaceret; atque horam suæ vocationis expectaret; ecce subitò, resumpto spiritu & apertis oculis, acclamare cœpit professionem fidei, nempè: Quicunq. vult saluus esse, &c. & cum prius idiota, & literarum imperitus ab omnibus agnosceretur, ita distinctè, & apertè singula proferebat, vt peritissimus in talibus extitisse videretur: vnde cum diu, qui adstabant admirantes hæsissent, Prior tandem intelligens, eum aliquid in occulto vidisse, ad eum se inclinauit, & quæ causa clamoris esset interrogauit. Ad quod ille, vidisse se (ait) personam reuerendæ formæ, vas aquæ deferentem, qua pedes eius ablueret inquinatos; & eis

ablutis

ablutis, totum mundatum redderet, qui sibi admiranti dixerat: non nosti ad purgationem tuam, hanc aquam esse necessariam, qui tale (quod ipse nosti) crimen commisisti, & de industria celans, nulli reuelare voluisti? Vnde scias te nullatenus posse saluari, nisi quod perniciosè celaueras, salubriter studeas confitendo manifestare. Deus verò multa sua misericordia ad sensus corporeos te redire permittit, vt de tanto crimine, confitendo pœnitere; & pœnitendo salutem consequi merearis. His dictis, Priorem seorsum aduocauit; peccatum illud ei confessus est; & absolutione suscepta, astantibus, & orantibus fratribus, læto vultu bono fine quieuit.

Petr. Venerab. Cluniac. miracul. lib 1. cap. 4.

XIX.

Ian. 29. GILDA Presbyter (cognomente sapiens) de sui corporis imminente dissolutione, quam concupierat & exorauerat, edoctus ab Angelo, conuocauit discipulos, dixitque eis: quoniam (ego filij charissimi) viam ingredior vniuersæ carnis, dissolui mihi expedit, vt possim Deum videre. Sermonem deinde ad eos habuit de Christi imitatione, & amore; de mutua charitate; cæterarumque virtutum studio, pariter ac vitiorum fuga; cumque per septem continuos dies (quamuis inualescente morbo) monita eis dare salutaria non destitisset, octaua die, quæ erat vltima ab Angelo sibi præfinita, iussit se in Oratoriũ duci; ibique oratione facta, Viaticum Dominici corporis suscepit. deinde discipulos cõtestatus est dicens: Per Christum vos filios meos moneo, ne contendatis pro corporis mei cadauere; sed mox vt spiritum exhalauero; tollite me, & in nauim deponẽtes, supponite humeris meis lapidem illum, super quem recumbere solebam; nemo autem ex vobis in naui mecum remaneat, sed impellentes eam in mare, permittite eam ire quò Deus voluerit. Prouidebit autem Dominus sepulturæ mihi locum, vbi fuerit ei placitum. Confido quoque in Domino, quod in die Resurrectionis resurgere me faciet cum cæteris. Deus autem pacis, & dilectionis sit semper cum omnibus vobis. & cum respondissent omnes,

Amen,

Amen, sancta anima migrauit è corpore 4. Cal. Febr.

Discipuli verò tollentes corpus eius, fecerunt sicut eis preceptum fuerat; sed qui de Cornugallia venerant, conabantur illud tollere, & in patriā suam transferre. Dum ergo inter se colloquerentur, nauis, Dei nutu, cum sancto corpore demersa est in profundum; nec potuit inueniri, donec post tres menses (à discipulis triduano statuto ieiunio) vni eorum reuelatum est vbi esset. Inuenerunt igitur nauem in [a] domo sanctæ Crucis cum sancto Corpore integro, & illæso, sicut ab ipsis collocatum fuerat; lapidemque posuerunt super altare in testimonium; & celebrarunt deinde sacri corporis inuentionem 5. idus Maij.

Vita ipsius in Bibl. Floriac. cap. 18. & 19.

ANNOTATIO.

Oriundus fuit GILDA Arecluta in Britannia, maximusque fuit verbi Dei prædicator, & miraculorum operator.

[a] IN DOMO. In oratoriolo scilicet, quod Vir sanctus olim construxerat in honorem S. Crucis.

X. X.

GINGVRIANVS Monachus laicus in Monasterio sancti Gildæ, cum de vitæ suæ termino per Angelicam reuelationem esset edoctus, venit quadam die ante Abbatem, atque omnem congregationem; humiliter satisfaciens, & petens ab omnibus sibi veniam dari. Dum igitur in circuitu, tanquā innocenti, & simplici viro, respondissent: Dimittat tibi Dominus ignorantias tuas, atque ab omnibus peccatis tuis te absoluat: Scitote ergo (inquit ille) quia ab hodierna die, neque ambulare inter vos, neque manere potero: Rogo charitatem vestram, vt vestris orationibus me commendetis Deo; & Oleo sancto vngatis. Mirantur omnes, quod quem sanum videbant, vngi se rogaret. Ille autem rogabat instantius, vt quandiu loqui poterat vngeretur. Post Capitulum autem, detulit omnia vtensilia, atque ferramenta sua, & posuit ante pedes Abbatis, dicens; Domine ecce obedientiam, Sept. 28.

quam mihi seruare præcepisti: commenda eam alicui ex fratribus, fuerat enim ipse B. Vir custos aluearij ab initio conuersionis, habens sub iura sua plurima Apum vasa. deinde cum Missa celebraretur, ad sanctum accedens altare, Communionem sanctam de manu Sacerdotis accepit; & ambas manus ad pectus adducens, iuxta gradum altaris se extendens, recubuit.

Eductus est autem inter manus fratrum, in domū infirmorum; vbi statim (sicut postulauerat) à fratribus Oleo sancto vnctus est; atque ab illo die (sicut prædixerat) per totum annum paralysi solutus, in lecto iacuit; neque in latere altero se vertere, neque manum ad os ducere valens. Post annum verò exactum, aduenienre sui obitus die, ab Angelo sibi denunciato, dixit cuidam Monacho, vt nunciaret fratribus, quia eadem die de corpore exiret; & quod gratias eorum charitati referebat, quia obsequium ipsi per totum annum exhibuerint. Obsecrauit autem, vt Communionem sanctam sibi deferret, atque ab hora vespertina obitum suum obseruaret. Post vesperas igitur dixit astanti sibi: voca fratres meos ad me, quia iam de hac vita exeo. Omni itaque Congregatione ad eum coadunata, de hac vita, eadem qua prædixerat hora, migrauit ad Dominum.

Bibl. Floriacen. cap. 28. vit. S. Gildæ.

X X I.

Iul. 6. GOAR Presbyter Episcopatum Treuerensem à Rege Sigeberto oblatum renuens; nec obstinato Regis animo obsistere valens, petijt & obtinuit viginti dierum inducias ad deliberandum. Moxque ad cellam rediens, in orationem sese prostrauit; Deum intentè & cum gemitu deprecans, vt se à tanto onere misericorditer dignaretur eripere. Cumque in his precibus persistens semetipsum affligeret; ex voluntate Dei, febri valida correptus ægrotare cœpit; adeò vt, quem Rex post viginti dierum excursum se visurum existimauerat, nec in septem annorum spatio, quo ægritudine laborauit, videret. Euolutis autem iam septem annis (quibus quidem in

infir-

infirmitate positus, pro Episcopo criminoso deponendo orare, & pœnitentiam agere (sicut ipsi spoponderat, non cessauerat) misit ad illum Rex, vt ad se veniret. Sed vir Dei sciens sui corporis dissolutionem sibi iam imminere, respondit ijs qui missi fuerant, in hęc verba: Dicite ò filioli Domino vestro, quoniam faciem meam non est in pręsenti vita visurus; nisi fortè velit ad cellulam nostram ipse venire: Infirmitate enim grauissima comprehensus, nusquam progredi valeo; quanquam hæc diuinæ pietatis flagella longè sunt meis meritis leuiora. Misit alios denuò Rex; quibus apud se (grauius tunc ægrotantem) positis, dixit: nolite filioli vos ipsos, aut Regem vestrum vlterius fatigare, quoniam certum habeo, me neque extra spatium loci istius amplius egressurum; neque vllam euectionem aliam, quam ad sepulturam propriam subiturum. Percontantibus quid sibi per ipsos à Rege vellet impetrare? respondit: petitio mea sola hæc est, vt (si ei placet) de hoc loco amplificationem meritorum, & causam retributionis æternæ sibi in Regno cœlorum acquirat; & cum extremus mihi in hac vita dies aduenerit, auctoritate sua, & imperio, ad me Agrippinum, & Eusebium Sacerdotes venire faciat; qui meum corpusculum debeant sepulturæ demandare. Tandem post septem annos, & tres menses in infirmitate, & Dei laudibus exactos, Vir sanctus coram eisdē Sacerdotibus, & compluribus alijs deuotis Viris, in cellula sua, in qua multos annos Domino deseruierat, Domino spiritum reddidit, anno salutis 575.

Sur. tom. 4. Petrus Cratepol. de Sanct. German. Vinc. in spec. lib. 22. cap. 13. Petr. in Catal. lib. 6. cap. 62. De eo Sigebert. in Chron. ann. 600.

X X I I.

GODEFRIDVS Monachus Præmonstratensis, cum assistentibus fratribus diceret, se magno teneri è vita abeundi desiderio; & vnus ex illis respondisset: absit Domine, vt ita nos desolatos relinquas; tanquam indignabundus ait: quid est quod loqueris? Quamobrem (oro) pœnitentiæ habitum *Ian. 13.*

accepimus? Quare, & pro Christo nitimur mortificari tota die, si non hisce laboribus id spectamus, vt quamprimum liceat euolare ad Christum? optandum profectò mihi est, vt breuiori possim via ire ad eum; & ad conspectum vultus illius (quem semper concupiui) celerius pertingere. Ad fratrem autem germanum, de sua morte lugentem, conuersus ait; Ea causa (mi frater) omnia propter Deum reliquimus, quod nos morituros certissimè sciremus; nec possumus optatam operum nostrorum mercedem recipere, nisi corpus hoc morti succumbat.

Sacro deinde inunctus oleo, pacis osculum cunctis præbuit fratribus; ab eisque veniam petijt, si quem ex ipsis, diuini honoris & ordinis zelo permotus, seuerius interdum fuisset allocutus. Paulò post ait ad fratrem; frater mi audio vocem dicentem: exite obuiam ei. Interrogatus autem ab eodē, quid haberet spei? Respōdit: spe magna ego sum; nec si mihi liceret toto potiri orbe terrarum, vel paululum velim in hoc exilio degere. His dictis, cum parum quieuisset, apertis mentis oculis, subitò cum ingenti exultatione dixit: veniunt nuncij Domini, & Creatoris mei. in quibus verbis abijt in cœlum.

Sur. tom.7. De eo etiam tom.3. In vita S. Norberti. Baron. in Annal. tom.12. Petr. Cratepol. de Sanct. German.

ANNOTATIO.

Fuerat hic Comes Cappenbergensis, porrò Castrum suum & omnia sua Deo obtulit; triaque Monasteria ædificauit; & factus Monachus, Othonem fratrem suum ad idem propositum perduxit; quin & eiusdem coniugem prorsus renitentem, salutaribus adhortationibus eò permonuit, vt sacrum velamen acciperet.

Pro Christo mori iucundissimum putabat; dicebatque: quemadmodum scopæ, multo vsu detritæ tandem in ignem injciuntur, ita ego cupio corpus meum, Christi seruitio confectum, & exhaustum, vexationum & afflictionum igne demum consumi. Tanto flagrabat ex hac vita migrandi, & ad Christum proficiscendi desiderio, vt sæpè (socijs eius in itinere quiescentibus) supinus ipse iacens, manus, & brachia componeret, vti solet funus componi, dum celebrantur exequiæ; & magno cordis clamore diceret; ò

vtinam

vtinam veniat hora illa, qua hinc discessuri sumus: Vtinam illi horæ me præparare digneris Domine Deus meus.

XXIII.

GODEFRIDVS Monachus Cisterciensis, visione Beatissimæ Virginis, & eius benedictione dignatus, postridie infirmitate correptus fuit; qua tamen non obstante, chorum, & officia diuina (de more) frequentare voluit, donec eadem infirmitate prægrauatus ad infirmorum locum semiuiuus fuit perductus; Vbi cum iam proximus morti esset; & interim Refectorij signum pulsaretur, infirmorum Præfectus (qui ibi tunc aderat) anxius, quid faceret nesciebat; obedientiam scilicet, an charitatem exerceret: timebat enim, si ad prandium cum alijs iret, ne rediens eum mortuum inueniret. Hanc igitur animi dubietatem perspiciens Godefridus, rogauit eum, vt pransum iret; & absque vlla hæsitatione certò sciret se inuicem iterum ante mortem visuros. Hac promissione fretus infirmarius ad Refectoriũ perrexit; & paulò post, inter comedendum vidit illum ingredientem, & postulata à Patre benedictione, statim egredientem: cumque secum cogitaret, eum conualuisse, & propterea è lectulo surrexisse, audiuit pulsari campanã ad conuocãdum Monachos in morientis agone. Tunc recordatus id, quod sibi dixerat (nempè sese ante mortem visuros) cognouit impletum, & credidit eum iam defunctum. Quod rei probauit euentus; cum enim ad cellulam eius cum Monachorum conuentu properasset, inuentus est migrasse ad Dominum.

Hist. S. Bernardi Hispanicè lib. 4. cap. 14.

ANNOTATIO.

Campana quæ dicitur audita ad conuocãdos Monachos in morientis agone, per se mirabiliter (nullo pulsante) insonuit. *idẽ. Ibidẽ.*

XXIV.

GORGONIA S. Gregorij Nazianzeni soror, cum ad vitæ terminum se proximam esse per visum didicisset, quamuis resolutionis desiderio teneretur; ac esse cum Christo exop- *Dec. 9.*

taret, antea tamen baptizari maritum percupiens, id à Domino precibus postulauit, & obtinuit. Deinde comparata sese ad mortem, monuit astantes; differuit de futura vita; & diem extremum, festiuum, ac solemnem fecit.

Iam soluebatur, atque extremos efflabat spiritus: Illaque nec spirabat, nec mouebatur, nec sonum vllum edebat: Pastor autem eius, qui facta, dictaque illius omnia obseruabat, labia moueri sensit, auremque propius admouens, Psalmodiam audiuit submussitare, ac psalmodiæ verba excessuris accomodata; ex quibus illud vltimum pronunciauit: In pace in idipsum dormiam, & requiescam. quo hilaris, & spe lætissima perfusa, obdormiuit in Domino.

Greg. Naz. in oratione funebri eiusdem Lippom. tom. I.

ANNOTATIO.

Aduersa corporis valetudine laborabat sæpius GORGONIA, præcipuè subita totius corporis inflammatione, ac velut ebullitione quadam, & feruore sanguinis; quam sequebatur deinde eiusdem sanguinis concretio, torpor, pallorque incredibilis, & mentis ac membrorum dissolutio.

Cum aliquando morbo insolenti, & prodigioso, doloreque maximo premeretur, desperatis aliorum omnium auxilijs, noctis intempesta caligine obseruata, cum aliquando leuius morbus vigeret, ad altare cum fide procubuit; eumque, qui super illud colitur, cum magno clamore obtestans, eam, quæ Christi fimbria sanguinis profluuium compressit, imitata est; caput cum pari clamore vberrimisque lachrymis, ad instar Magdalenæ, admouit; nec se ante ab eo discessuram est minitata, quàm sanitatem consequeretur. Quo facto protinus liberatam se sensit. Facti autem miraculum, quandiu ipsa vixit contectum, & silentio compressum voluit. *Idem ibidem.*

XXV.

Maij 4. GOTHARDVS Episcopus Hildemesensis prædixit obitũ suum in die Ascensionis futurum, & pueri item cuiusdam (qui vocabatur BRVNO) cui vilia sua vestimenta, & calceos dare solebat: Hunc vltima, correptus ipse, infirmitate, indui voluit vestibus, quas deposuerat; & cum antea sæpius eum admo-

nuisset,

nuisset, vt se pararet ad secum in patriam proficiscendum; eadem hora, qua fuit vestibus indutus, morbo correptum, & ipsum decumbere oportuit. Quo audito Vir Sanctus per nuncium hæc ei mandauit: Consolare puer meus, & confortare in Domino, quia iam tempus instat, quo ad patriam æternæ beatitudinis re vera mecum proficisceris. Ea verba puer lætus accepit; & ipsamet die (Ascensionis nempè Domini) sacrosanctam Eucharistiam sibi porrigi rogauit; eaque percepta, iucundo animo B. Antistitis pollicitationem sustinebat: qui quidem Antistes (linguæ cessante officio) corde, & mente psallere non cessabat: cumque pueri quatuor scholastici, ex vtraque lecti parte positi essent, vt Psalterium totum ab initio recitarent, eos audiens B. Pater, valde est delectatus; & nonnunquam cum eis psallere iucundum fuit; præcipuè versus illos, qui ad deprecandum Dominum pertinebant; quos apertis, & sursum erectis oculis, altius vt poterat exprimebat.

Media nocte, absoluto iam Psalterio, matutinas preces inchoarunt fratres astantes; & cum ventum esset ad Cantici Zachariæ versum illum: Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, in supremo ipse iam agone desudans, ægrè apertis oculis, quod reliquum est pronunciauit, nempè: Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. sub quibus verbis concinente Clero, Gloria Patri, cum Antiphona, Ascendo ad Patrem meum, &c. sublatus ab astantibus è lecto, felicissimè migrauit ad Dominum, anno sal. 136.

Concrepātibus autem campanis, BRVNO puer prædictus (qui eodem momēto præmortuis membris decumbebat) supremo spiritu in solo pectore palpitante, tanquam à somno experrectus, stupens rogabat, quid hoc sibi vellet? Respondit Mater dissimulanter, ad nocturnas preces pulsari; at ille stomachabundus, Matris, & aliorum dissimulationē arguens: cur (inquit) rem ipsam me celatis? Reuera Dominus meus Gothardus cœlum ascendit; & promissionum suarum (proh dolor) oblitus, me hic dereliquit: Surgite, & eleuatis mani-

bus, & cordibus, eius dilectam animam diuinæ clementiæ commendate; & vt mei meminerit eum obsecrate: ac subinde quibus potuit viribus, oculos ad cœlum sustollens: ô sancte Præsul (inquit) per illum te adiuro, ad quem vadis, vt nunc sis memor mei; nec me patiaris tibi superstitem in carne manere, cui toties pollicitus es, quòd tecum essem in patriam abiturus. Ad has voces stupent astantes, nec sine formidine faciunt, quod iussit; & ecce vix ad eum reflectunt oculos, eum iam cernunt exanimem, & Patrem suum esse subsecutum.

Sur. tom. 7. Petr. Cratepol. Minorit. de Sanct. German. Baron. in Annal. tom. 11.

XXVI.

Oct. 15. GRAMATIVS Episcopus Salernitanus, dissolutionem sui corporis sibi imminere sentiens, Ecclesiam adijt, vt oraret; audiuitque ibi vocem dicentem sibi: Veni serue bone, & fidelis, accipe requiem, quam tibi præparaui. His auditis, cum clericis in cubiculum se recepit; eosque benedictione donatos, paternis monitis ad pacē est exhortatus. Post hæc, suppellectilia domus, proprijs manibus, pauperibus erogauit: ieiuium culparum remissionē, per pœnitentiæ Sacramentum, accepit: & deinde corpus stramini aliquantisper dedit. Demum sacra Vnctione perunctus, Psalmos alternatim cum clericis, dimidio horæ spatio, vt potuit, cantare voluit: Et tandem elatis in cœlum oculis dicens: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, spiritum Deo reddidit, anno salutis circiter 400.

Tabulæ Eccles. Salernitan. Ferrar. ex eisdem & ex Gaspare Musca de Episcopis eiusdem Ecclesiæ.

XXVII.

Iul. 3. Nou. 17. GREGORIVS Neocesariensis Episcopus (cognomento Thaumaturgus) sub obitum visitauit suam Diœcesim, scire volens qui adhuc essent extra fidem relicti. Vt autem cognouit nō plures septendecim esse, qui in antiquo errore permansissent: Acerbum quidem etiam hoc, inquit, ad Deum

suspi-

suspiciens, deesse aliquid eorum plenitudini, qui seruantur. Veruntamen magna gratiarum actione dignum esse (aiebat) quod totidem simulachrorum cultores successori relinqueret quot ipse Christianos accepisset. Precatus autem credentibus incrementum ad perfectionem, & incredulis conuersionem, ad Deum feliciter migrauit; suos necessarios obtestatus ne peculiarem sibi locum sepulturæ compararent. Nam si viuus nullius loci dominus vocari voluisset, sed in alienis (tanquam inquilinus, & peregrinus) habitans, vitam transegisset; ne post mortem quidem prorsus inquilinatum sibi dedecori fore putare; sed in sequenti (inquit) sæculo fama prodatur, quod Gregorius nec viuens ab aliquo loco cognominatus sit, & post mortem, alienorum locorum fuerit inquilinus: cum enim ab omni terrena possessione sese abstinuisset; ne sepeliri quidem in proprio loco sustinuit; solamque illam possessionem prætiosam, & expetendam putauit, quæ fraudis, & auaritiæ vestigia in se non admittit. obijt anno Domini 389.

Greg. Nyss. orat. de eodem. Lippom. tom. 4. Sur. tom. 4. Baron. in Annal. tom. 2. vbi fusius præclara eius gesta digesta habentur.

ANNOTATIO.

Cum in Idolorum templum aliquando GREGORIVS noctu diuerti coactus esset; & Dæmones idcircò illud ingredi amplius non valerent, vt æditu conquerenti, diuinam ostēderet virtutem, eorundemque dæmonum imbecillitatē; scripsit in libelli particula hæc verba: GREGORIVS SATHANÆ INGREDERE eius modi autem libello super altare posito, vidit æditus consuetos nidores. Vnde in Christum credidit, & eiusdem Gregorij factus est diaconus, & comes indiuiduus. *Ibidem*. Simile supra habetur in EVGENDO.

X X V I I I.

GREGORIVS Episcopus Vltraiectensis cum per triennium paralysis morbo detentus esset, ad extrema deueniens, imbecillia eius membra candida apparuerunt; vt foris videntibus innotesceret, quàm mundus eius spiritus in oculis existeret *Aug. 25.*

ſteret Domini. Audiens autem contriſtari circunſtantes diſcipulos de electi filij eius Albrici abſentia (erat enim in Italia, regali ſeruitio deputatus) dixit eis: Nolite timere: Non tranſibo antequam ipſe veniat. quod factũ eſt. tertio namq. poſt eius aduentum die, petita abeundi licentia, iuſſit ſe ante Oratorium Saluatoris collocari; ibique, oratione facta, & communione percepta, aſpiciens ad altare, deuotus migrauit ad Dominum, anno ſal. 784. ætat. 70.

Io. Molan. de Sanct. Belg. & in indic. Trith. de vir. Ill. or. S. Ben. lib. 3. cap. 284. & lib. 4. cap. 188. De eo Sur. in vita S. Ludgeri 26. Martij tom. 2. & in poſtr. edit. eadem die 25. Aug.

XXIX.

Iulij 8. GRIMBALDVS Abbas Vuintonienſis à Deo precibus obtinuit, vt igne languoris ante obitum probaretur. Infirmus autem, ob virtutem patientiæ fortior exiſtens; cum ſacroſanctum Viaticum (migrationi proximus) eſſet ſumpturus, quamuis præ ægritudine ſe mouere non poſſet, forti nihilominus niſu, ſeipſo fortior, erexit; & Chriſto aduenienti in faciem ſe proſtrauit. A fratribus deinde petijt, vt ſolus per triduum ad iter ſuum parandum relinqueretur: quo tempore in contritione cordis, & lachrymarum imbre ſe Deo immolare curauit. Quarto autem die, fratribus ad ſe reuocatis, & in pace commendatis, ad æthereos migrauit ciues, anno Domini 903. ætatis ſuæ 83.

Io. Molan. de Sanct. Belg.

XXX.

Ian. 10. GVILLHELMVS Archiepiſcopus Bituricenſis, migrationis ſuæ tempus adeſſe cognoſcens, quamuis acutiſſima febri laboraret, concionem tamen ad populum habere voluit; ſumens ſibi pro themate illud Apoſtoli: Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere; Deinde (fratribus conuocatis) Eccleſiaſticis Sacramentis communiri ſe voluit. Percepturus autem Sacroſanctam Euchariſtiã, è ſtratu proſilijt, quamuis deſtitutus viribus, & iam ferè in ſupremo ſpiritu poſitus videretur;

proce-

procedensque Saluatori obuiam, sub ipsius aspectu, flexis genibus, totus lachrymis diffluens, illum adorauit; vtque sæpius posset genua flectere, crebrò prostratus, erigere se curauit. Demum cum prolixius coram Domino sic prostratus orasset, suumque illi agonem commendasset, tota deuotione postulãs, vt siquid purgandum superesset, ipse purgare dignaretur; manibus in Crucis formam expansis, & oculis in cœlum sublatis, sacrosanctum Viaticum sumpsit; & postmodum ad stratum rediịt. Vbi cum paululum respirasset, cæpit nutibus indicare, se velle vt corpus eius in quodã Monasterio (cui præerat) humaretur. Reluctantibus autem fratribus, cum lachrymis obsecrauit eos, vt quod cuiuis catholico licet, liceret & sibi, nempè sepulturam deligere. Ea re tandem ab inuitis obtenta, omnes est osculatus, & exoratus vt pro ipso Dominum deprecarentur; & ceu filij pacis, pacem inter se amarent, & colerent.

Nihil à morbo impediri se passus est, quin totus in Dei oratione versaretur. Temporibus, & horis congruis diuina coram se officia recitari voluit; & quos ipse ore non poterat promere psalmos, auribus auscultare curauit. Iussit sub aspectum suum è scrinijs vestes Pontificales proferri; & ex ijs quasdam minoris pretij ad se deferri voluit, quibus tunc vsus fuerat, quando fuit Episcopus consecratus, quasue ad sepulturæ suæ vsum diligenter mandauerat asseruari: Eas autem omnes cuidam familiari ad breue tempus seorsum seruandas tradidit.

Adesse tandem extremam iam horam præsentiens, preces nocturnas præuenire voluit. signo itaque dato, & conuenientibus fratribus, vt laudes Domini inchoarent, ipse prior labijs, & pectori suo, Crucis impresso signo, hæc duo verba vtcunq. pronuncianit, nempè: Domine labia; reliqua verò pronunciare non valens, mente persoluit, & à fratribus recitantibus audire studuit. Quibus completis, voluit in sparsos humi cineres deponi, cilicio (quo vsus perpetuò fuerat) indutus: Cumque paululum hic iacuisset, benedicens fratribus, spiritum Deo reddidit, anno sal. 1199.

Sur.

Sur. tom. 1. Franc. Haraus de vit. Sanctor. Vinc. Bell. hist. lib. 29. cap. 62.

ANNOTATIO.

Funera prosequi consueuerat GVILLHELMVS, & pauperum, ac peregrinorum humandis corporibus libens necessaria præbebat. Intererat autem huiusmodi spectaculis, vt inde in memoriam rediret conditionis humanæ, extremorumque suorum; & huiusmodi cogitatione, aduersus peccata se muniret. *Idem Sur. ibidem.*

XXXI.

Febr. 10. GVILLHELMVS seu GVLIELMVS Eremita, Dux olim Aquitaniæ, infirmitate correptus, iussit Alberto discipulo suo, vt Sacerdotem accersiret, à quo peccatorum suorum absolutionem acciperet; nec moram faceret, vt posset spiritum suum Deo creatori suo reddere. Tunc Albertus foras exiens, vt obedientiam perageret, vidit aerem, ac cœlum turbatum nimis; & niue, glacie, frigoreque nimio omninò impediri. Vnde territus rediit ad magistrum; & omnia exponens, dicit ei Guillhelmus, vt nihil omninò timeat, sed securus vadat, quod nihil patietur incommodi. Processit igitur Albertus, nudisque pedibus properans, Sacerdotem adduxit, & feliciſſimum peregit iter; quo quidem non solum nihil passus est incommodi, sed se leuiatum, & delectatum sentiit. Suscepit igitur de manibus Sacerdotis Guillhelmus Ecclesiæ Sacramenta. Deinde appropinquante exitus hora, subitò primus ille pallor, qui ex cilicio, ferro, ac inedia corpori eius obrepserat, abscessit; vultuque clarificato, lætis oculis, & inuiso antea colore, visus est perfundi. Tunc rogauit Sacerdotem, & Albertum astantes, vt sacram illam canerent Antiphonam: Subuenite Sancti Dei, &c. ipse quoque cum eis exili spiritu (quomodo poterat) eandem canens; cumque peruenissent ad verba illa: Occurrite Angeli Domini, Guillhelmus oculos ad cœlum eleuans, manibus iunctis dixit: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, &

vltimo

vltimo prolato verbo, ſpiritum commendatum emiſit, anno Domini 1157.

Sur. tom. 1. Guillhelm. Caualcantin. in vita ipſius. Baron. in Annal. tom. 12. Ferrar. in Catal.

ANNOTATIO.

Fuerat GVILLHELMVS hic, diſcolus valdè, ſpirans minarum, & cædis (tanquam alter Saulus) in diſcipulos Domini, ſæuo ſchiſmate perturbans Eccleſiam; cuius conuerſionem plurimum exoptauit S. Bernardus; qui, cum ſemel, atque iterum eum conueniſſet, & nihil profeciſſet, acceſſit ad eum tertiò, pro foribus Eccleſiæ ſtantem, dum Miſſarum ſolemnia agerentur; & ſacratiſſimam Euchariſtiam ſecum deferens, in ſpiritu vehementi eum corripuit his verbis: Ecce, poſt ſeruos, ad te Dominus omnium ſupplicaturus aduenit. Ecce caput Eccleſiæ, quam tu perſequeris. Adeſt Iudex tuus, in cuius nomine curuatur omne genu; in cuius manus eſt tuus ille ſpiritus deuenturus. Nunquid & illum ſpernes? Nunquid ipſum contemnes, ſicut ſeruos eius? Quibus auditis GVILLELMVS contremiſcens; velut extra mentem poſitus, ad terrã vſque proſternitur: Reſipiſcit; veniam petit; Bernardi paret imperio; & exinde, quæ audierat, mente reuoluens, conuerſus eſt ad Dominum, & eremum petijt. Habet hoc idem Bernard. Boneuallis in vita S Bernardi.

ALBERTI obedientiã in itinere tam arduo ſuſcipiendo, in hoc quoque Dominus gratam ſibi fuiſſe demonſtrauit. cum etenim ille exeundo, vt ad Sacerdotem pergeret, pauxillum candelæ ardentis ſupra caput Magiſtri, ex obliuione, & ignoranter dereliquiſſet, quando redijt, eandem ardentem, vt prius reperijt, & in nullo imminutam.

XXXII.

GVILLHELMVS Eremita apud Seculum, oppidum Siciliæ, Syracuſanæ Diœceſis, cum obitum ſuum imminentem, cuidam amico ſuo prædixiſſet; & calceos ſuos ad illius domum detuliſſet; ſequenti nocte migrauit ad Dominum, anno ſal. 1404. campanis (nullo pulſante) ſonantibus. Qua nouitate populus Seculenſis commotus, ad cellam B. Viri pergens, illius cadauer genuflexum, manuſque adhuc in cœlum *Apr. 4.*

tendens,

tendens, & locum cœlesti splendore illustratum inuenit.

Ferrarius in Catal. ex monumentis Oppidi Seculen.

XXXIII.

GVILLELMVS Cauailonius Ord. Præd. iuuenis, modestia; humilitate; obedientia; cunctisque virtutibus ornatus, cum lecto decumbens morbo grauatus, audisset ab infirmorum Præfecto, se breui ad cœlos iturum, lætitia perfusus, cœpit, magna vocis suauitate, illos decantare versiculos: Gloria, laus, & honor tibi sit Rex Christe Redemptor: cumque fratres astantes particulam ligni S. Crucis ad eum attulissent; ille maioris spiritus deuotione proclamans: ò Crux aue spes vnica, animam Deo reddidit, anno sal. 1260.

Michael. Pius Bononien. de Vir. Illustr. Ord. Præd.

XXXIV.

GVMPERTVS Herbipolensis, mortuo Præsule Herbipolensi, cum (propter insignem eius probitatem) eiusdem Ecclesiæ creatus esset Episcopus; & inuitus ad id subeundum onus traheretur, orauit Deum, vt absolueretur ab officio: cuius preces exaudiuit Dominus, & Vir sanctus (ante consecrationem) vita functus est.

Petrus Cratepol. Minorita de Sanct. German.

ANNOTATIO.

Fuerit hic antea miles, qui Ecclesias earũq. bona, & priuilegia, contra improbos direptores sacrilegos semper fideliter, & constanter defendebat: militiam postea sæcularem deseruit, & Religiosam conuersationem amplexus (mortuo Episcopo Herbipolensi) eiusdẽ Ciuitatis creatus est Episcopus. *Idem Cratepol. ibidem.*

XXXV.

Octob. 9. GVNTHERVS Eremita, cum à Duce Bredislao (quem ipse è sacro fonte susceperat) inuentus esset in spelunca, vbi triginta & septem annis vitam egerat; & cogeretur ab eo ad terram sui Ducatus pergere, ne tantus Vir incognitus lateret hominibus, noluit acquiescere. Vnde Dux valde miratus, orationibus se sancti Viri commendauit; & vt deinde nulla ei

deessent

deessent necessaria, se de apparatu proprio daturum promisit. Cui Guntherus ait: meæ dilectionis causa, si venisti fili, meæ petitioni contrarius esse noli: Corpusculi mei jam dissolutio instat; & quamuis de sepultura mea diuersi diuersa sentiant; Ego tamen (vt in spiritu loquar) corpusculi mei depositionem Brunoniæ locandā testor, & quod in spiritu loquor, id ab omnipotente (vt fiat) exopto. Proinde (charissime fili) memoriæ meæ causa, prædicto loco aliquid solatij apta; vt & mei in Domino, & tui, tuorumq. omnium in posterum in Deo memoria habeatur: super hæc autem omnia, si meæ discessionis terminum te scire delectat, crastinæ diei tertia hora, quid de meo transitu Diuina operatio sentiat, meæ fragilis vitæ terminus declarabit. Plorauit & doluit Dux, se tam citò eius priuari præsentia; sed iubetur à Sancto discedere, crastinò reuersurus, vt suæ interesset migrationi. Sequenti igitur die, assumpto Episcopo Seuero, summò diluculo ad Viri Dei cellā peruenit. Completā verò oratione, post longa de futura vita colloquia; peractis à Seuero Episcopo Missarum solemnijs, Vir Domini, sacrosancti corporis & sanguinis Christi perceptione se muniuit; & hora demum diei tertia, cementibus qui aderant & flentibus, inter verba orationis, immaculatum Deo spiritum reddidit, anno Domini 1045.

Canis. Antiq. lect. tom. 2. ex M.S. Cod.

ANNOTATIO.

Cum sæpius inuitatus GVNTHERVS, inuitus tandem, ad Stephanum Hungarorum Regem cognatum suum accessisset, & ad mensam secum sedisset, iussus est à Rege comedere carnes, quas sibi Vir sanctus interdixerat; cumque inter prandentes (more solito) orationi insisteret; caputq. manibus inclinando, profusis lachrymis, ne illicitis cibarijs pollueretur, Diuinam clementiam imploraret; Mira res! Completa oratione, caput de manibus eleuat Dei famulus, & Pauo assatus, mensæq. superpositus (de quo edere iubebatur) pristinæ vitæ redditus, euolauit, & ab eius esu gratia diuina virum liberauit.

Simile de Sancto Nicolao *Tolentinate legitur, de quo infra.*

GVTHAL-

XXXVI.

Apr. 11 GVTHLACVS Anachoreta, propinquam sui exitus diem sentiens, vocato Discipulo, dixit ei: ad laborum meorum (fili) stipendia vado: bonum est mihi dissolui, & esse cum Christo. Iussit deinde suo nomine salutem propriæ Sorori dicere; & eam exorare, vt corpus eius sepeliri curaret; causam aperiens, quare in hac vita eius aspectum vitare voluerit; vt scilicet in æterna se inuicem viderent.

Rogatus ab eodem Discipulo vt reuelare dignaretur, quid sit, quod ab ea die, qua primum sibi cohabitare cœpit, quotidiè, manè, & vespere, se cum alio loquentem, mutuosq. sermones audierit, nec tamen scire potuerit, cum quo verba faceret; fassus est, Angelum ei in Eremo degenti, quotidiè locutum esse. Instante autem mortis hora, lucis candor inæstimabilis totam circumfulsit domum; quæ (paulò ante) rosarum floribus, aut effusi balsami liquore videbatur aspersa. Tandem (oriente luce) dixit eidem Discipulo: Tempus est (fili) vt ad Christum transeam; & eleuatis ad cœlum oculis, ac manibus, obdormiuit in Domino circa sal. annum 706.

Sur. tom. 2. Molan. in addit. ad Vsuard. vitam eius scripsere Viri Sancti Gulielmus Ramesij Anglus, & Felix Crolandiensis Benedictini.



HEDVVI-

I.


EDVVIGIS Monialis, olim Poloniæ Ducissa, sciens imminere sibi sui corporis dissolutionem, adhuc incolumis acciuit ad se Catharinam puellam, quam ipsa è sacro fonte susceperat, & ob multam familiaritatem, multarum suarum cogitationum participem fecerat; mandans illi, ne moras nectat; sed ocyus aduolet, seruitura ipsi in ægritudine imminenti. Veniens igitur properè fidelis famula, videt eam sanam; nec recedit tamen, sed in omnibus ei officiosè suam nauat operam. Cum autem Heduuigis in quoddam esset cubiculum ingressa, Catharina vidit tres Dæmones humana effigie, cum ingenti strepitu in eam irruere; eamque atrociter flagellare, dicentes: Quid tu adeò sancta es? Cur tot sanctitatis opera efficis? Illa verò eam Dæmonum vim, & impetum sustinens; & cum tremore, Crucis signo se communiens, illæsa euasit: cumque ab eo loco egrederetur, Catharina eam sequens, eique condolens, crebrò à tergo illius, signum Crucis exprimebat: quod quidem Heduuigis videre non poterat; sed virtutem Crucis Christi sentiens, conuerso ad eam vultu: Catharina (inquit) semper hoc me signo munias; mirandam enim habet vim, & efficaciam ex Domini passione. Priusquam etiam in morbum incideret, accito confessario, extremæ Vnctionis Sacramentum ab eo sibi petijt ministrari. Id vbi sanctimoniales agnouerunt, non mediocriter consternatæ sunt; inde intelligentes propinquare iam tempus migrationis eius; quamuis eam nullo morbo laborantem viderent: & vna earum percontata est, quare vellet eas affligere, petendo Sacramentum, quod ministrari non solet, nisi vbi est de ægroti periculo metus? Cui illa respondit: scio ita esse; sed est tamen, quod hic aduertere te oporteat: cum enim extremæ Vnctionis Sacramento moriturus homo, tanquam armis contra spirituales nequitias muniatur, eiusmodi præsidium cum summa deuotione est accipiendum. Ego autem (& si incolumis adhuc sim) mox O.7. 15.

tamen ſecus habitura ſum; vereorque ne increſcente morbi dolore, tam ſalutare auxilium cum tanto poſſim deuotionis feruore percipere, quanto par eſt animam ad Dominum properantem. Ita ergo ſatisfactum eſt eius deſiderio; &, oleo ſancto inuncta, paulò poſt in morbum incidit; nec Sacramentum hoc denuò percipere voluit. Quod quidem admirandum eſt potius, quàm imitandum in ea; cui ſpiritus Domini per reuelationem id iuſſit; & in qua (vt piè creditur) ſancta deuotio diſpenſauit.

Poſtquam decumbere cœpit, filia eius Abbatiſſa ſeuerè prohibuit cunctis ſororibus, vt alijs ei miniſtrantibus, nulla accederet, & ne grauarent eam. Interim tamen multa ei pandebantur diuinitus, quæ ab vlla nec audierat, nec didicerat; cognoſcebatque ad ſe intrantes, quamuis eas minimè videret. Reprehendit autem inobedientem, quæ ad ſe viſendam, abſque ſuperioris licentia venerat.

Morbo ingraueſcente, eadem filia eius Abbatiſſa (Gertrudis nomine) interrogauit eam, vbi vellet humari; Illa verò: in communi cæmeterio, reſpondit; ſed cernens filiam non aſſentiri, in domo capitulari (vt vocant) elegit ſepulturam; at neque hoc probante filia, ſed dicente: In Eccleſia te, in Patris mei ſepulchro reponemus, reſpondit: Si me omninò neceſſe eſt humari in Eccleſia, conteſtor te per Deum, & obſecro, filia, ne in tumulo Patris tui deponas corpus meum. Nolo enim, vel mortua, mortuo coniungi, à quo caſtitatis amore diù ſeiuncta fui. Dicente rurſus filia: condam igitur te in monaſterio fratris mei, filij tui; illa dixit: cum nullo volo habere ſepulchri conſortium; ſed ſi decreuiſti me tumulare in templo, fiat id (oro) ante aram B. Io. Euangeliſtæ. Iterum dicente filia: coram altari B. Petri te ſepeliemus, vt monumentum tuum ſemper nobis ob oculos verſetur; illa (prophetico illuſtrata ſpiritu) reſpondit: Id quidem ſi feceritis, breui vos pœnitebit, ob crebras moleſtias, quas meum vobis pariet ſepulchrum: & planè ſic accidit; magnam enim quietis iacturam fecerunt ſorores, ex nimia hominum frequentia,

quentia, eius monumentum visitantium. Tandem aduentante tempore, quo laborum suorum fructum à Domino perciperet, Dominus eam cœlestibus repleuit consolationibus: Sanctæ, de cœlis sibi apparuerunt multæ; quibuscum ea latinè loquens audita est: & cum ijsdem feliciter migrauit ad Dominum, anno sal. 1243.

Sur. tom. 5. Chromer. lib. 7. & 8. de gestis Polonor. Io. Bonifatius de Hist. Virginali lib. 2. cap. 6. Tympius in Triumpho Tit. Prem. imag.

ANNOTATIO.

Sanctissimæ Virginis Mariæ paruam apud se habebat effigiem HEDVVIGIS, quam manibus tenebat assiduè, oculisq. inspiciebat; vt illius conspectu, diuinæ Matris amor magis, magisque augesceret. Hac ipsa, cum interdum signaret ægrotos, sanitati eos restituebat. Moriens autem, tam arcto eam nexu tenuit, vt sibi relinqui necesse fuerit; ne si vis in ea extorquenda validius adhibita fuisset, rupta, & lacera reciperetur. Eam ergo in sepulturam mortua intulit. Cum autem in translatione corporis eius, facta vigintiquatuor annis post eius obitum, aperiretur sepulchrum, exesa carne, & membrorum soluta compage, tres illi digiti sinistræ manus integri reperti sunt; inter quos parua illa adhuc erat sacratissimæ Virginis Mariæ imago.

Sanctos mirificè coluit; in eorumque peruigilijs durum sibi indicebat ieiunium, dicens: Sancti nobis sunt necessarij; meritòque eos venerari debemus, vt nobis subueniant, et in morte assistant.

II.

HENRICVS Vratislauiensis in Slesia Ord. Præd. & D. Dominici discipulus, ad extrema deductus, & Sacramentis Ecclesiæ munitus; cruce ad se (de more) allata, & ante se posita, cæpit Antiphonæ verba illa decantare: Securus, & gaudens venio ad te; ita & tu exultans suscipias me discipulum eius, qui pependit in te: & in eandem Crucem defigens lumina, dulciter ridere, manibusque plaudere cæpit; vultu, oculis, manibusque gaudium immensum præseferens. Deinde post pusillum, astantibus fratribus & orantibus ait: adsunt

Dæmones,& meam conantur ſubuertere fidem; ſed ego credo in Deum Patrem,& Filium, & Spiritum ſanctum. Quibus dictis expirauit, anno Donimi 1245.*Leand.Alber.lib.8.*

III.

Mart.16 HERIBERTVS Archiepiſcopus Colonienſis,cum in quadam ſuæ Diœceſis villa febre corriperetur; & vrgente, atque ingraueſcente moleſtia vexaretur,properè Coloniam mittēs, Abbatem Eliam accerſiuit: quo veniente, ſacro voluit vngi oleo; & pariter Dominici corporis, & ſanguinis perceptione muniri. Demum Carinæ impoſitus, cum Coloniam deductus eſſet,in Apoſtolorum Principis oratorium iuſſit ſe deferri: vbi coram altari poſitus, capite, oculis, ac manibus in cœlum protenſis, prout valuit, prolixius orauit. Oratione completa, in oratorium, cubiculo coniunctum, delatus eſt. Omnia ſua interim largiri iuſſit pauperibus. Reſidebat autem ad caput lectuli eius, frater ſuus Comes, nomine Germannus, profundens lachrymas,atque amariſſimos continuās gemitus: Cui Vir Sanctus valde compatiens, ait: Quid frater mi, tam miſerabili afficeris eiulatu? Parce lachrymis, & gemitibus;quia ſperantibus in ſe non deerit conſiliarius,& conſolator Deus. Tu ergo iacta cogitatum tuum in illo; & quia cunctis in hoc ſæculo viuendi tempus breue eſt, & migrare oportet; nunc interim præpara te, & miſerere animæ tuæ, vt dignus habearis ſæculo venturo. Præparationis autem hic modus tibi perneceſſarius eſt, & optimus; vt de rebus tuis, quoad potes, pauperibus impertiendo, amicos tibi facias, vt cum defeceris recipiant te in æterna tabernacula. Poſt hæc,morbo inualeſcente,iuſſit fratribus ſpirituales exequias, pſalmorum decantatione inchoare; pſallens & ipſe pariter quoad potuit; vt illud dicere verè poſſet: Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei, in voce exultationis, & confeſſionis. Vidit interim inter aſtantes, pauperum Procuratorem, cui eorumdem curam cōmiſerat,& ait illi: Quid agunt nunc fratres mei? (pauperes ſcilicet) num illorum ſeruitio deeſt aliquid? Quo reſpondente, ſe cuncta

aſſigna-

assignata expedisse, nihilque superesse erogandum, accersitis Ecclesiæ Præposito; & ciuitatis Aduocato, eosdem commendauit illis pauperes; & vltimum iam trahens spiritum, illos obsecrauit, vt animæ suæ hoc impenderent solatium, nempè, donec successor subrogaretur, curarent, ne refrigerium à se pauperibus constitutum, vllo modo deesse contingeret. Quibus dictis feliciter migrauit ad Dominum, anno sal. 1021.

Sur. tom. 2. ex Ruperto Abb. Tuitien. Baron. in Annal. tom. 11. De eo infra in VOLBERTO.

I V.

HERMANNVS (dictus quoque Ioseph) Coloniensis, Canonicus Ord. Præmonstratensis, interrogatus de quodam vehementi sono in medio Monasterij audito, quid portenderet? subridens ait: Eo loco, quo extitit strepitus ille, quidam suo tempore sepelietur; ad cuius monumentum magnus erit hominum concursus & strepitus frequens. Quæ quidem Prophetia in semetipso impleta est, eodem loco post mortem tumulato, & populi frequentia honorato. Circa idem tempus autem, quo sepulturæ locum prædixit, suæ resolutionis tempus sibi iam instare cognoscens, ad quosdam fratres accessit, qui maiori secum erant familiaritate coniuncti; & ad vnum eorum præcipuè, qui primæ iuuentutis dies mundo dicauerat, dixit: Quoties (frater) hunc Psalmi versum proferes: Bonitatem (scilicet) fecisti cum seruo tuo Domine, meritò debes magnam cordis deuotionem adhibere. At ille (non intelligens) respondit; non solum hunc versum, sed etiam preces omnes magna cũ deuotione esse recitãdas. Tum HERMANNVS subiecit: est & alius Psalmi versiculus, quem itidem singulari semper deuotione debes, & attẽtione proferre, nempè: Quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori; innuens ei bonitatem, quam secum fecerat Deus, hanc fuisse, quod ex inferno (quem per peccatum meruerat) animam suam eruerit. Accessit quoque ad alios, dicens eis. Ecce cuiusdam Sacerdotis amici nostri Apr. 7.

finis appropinquat; rogo vos propter Deum, vt illum precibus vestris Domino commendetis. Quærentibus autem illis, quis esset? breui (ait) quis sit, re ipsa comperietis.

Appropinquante demum sui decessus tempore, insolitas perpessus est tentationes; quibus supra modum vexatus, ad quendam accessit Sacerdotem, vt ab eo curaretur. Territus autem ille Sacerdos (vt qui se eius meritis longè imparem esse cognosceret) renuebat eum audire; sed Hermannus ait: Equidem ad te missus sum, vt Diabolum mihi insidiatorem coerceas: insidiabatur enim ei Dæmon carnem excitando; alijsq. intolerabilibus tentationibus, sub Diuinis quoque mysterijs, eum excruciando; adeò vt propterea ab altaris ministerio nonnunquam abstinuisset. Videns autem Sacerdos deprecantis instantiam, Dæmonem adiurauit; & statim ab eiusmodi molestijs Vir sanctus liber euasit.

Correptus tandem febri, lectulo decubuit; & hora obitus eius impendente, circunsedentibus valedicens; & in manus Iesu spiritum commendans, erecto corde, & vultu migrauit ad Dominum, anno sal. 1236.

Sur. tom. 2. Molan. in addit. ad Vsuardum, & in Natal. Sanctor. Belg.

ANNOTATIO.

HERMANNVS hic puer septennis, dum eius condiscipuli (vt moris est) festiuis diebus luderent, ab eorum consortio se subducens, Ecclesiam B. Virgini dicatam ingrediebatur; et ante illius imaginem (pueri Iesu formam in sinu gerentem) manere consueuit; modò cum imagine matris; modò cum filij, tanquam cum viuis verba faciens; et si quid fortè manu gerebat; panis, aut fructuum (vt pueri assolent) nunc Matri, nunc filio porrigebat. Stetit autem aliquando (de more) coram imagine B. Virginis, et pomum quod attulerat, illi cum magna instantia, et deuotione præbebat: Et ecce benigna Mater, vt deuotionem pueri commendaret; neue sibi deuotum contristaret infantem, imaginis manum extendit, & porrectum sibi munusculum de manu pueri gratis, & comiter accepit. *Sur. in vita eiusdem cap. 3.*

Cum esset idem HERMANNVS pauper, & nudis incederet pedibus

dibus, non habens calceos, missus fuit à B. Virgine ad lapidem quendam, sub quo denarios inuenit, quibus sibi calceos emeret; & iussus est ab eadem altrice sua, vt quotiescunque indigeret aliquo, calceis nempè, tabulis, stylis, aut alijs necessarijs, ad eundem accederet locum; vbi reperturus esset denarios, quibus necessitas subleuaretur. Alij verò pueri videntes vbi HERMANNVS toties sibi necessaria reperiret, accesserunt ad eundem locum, diu quærentes, sed nihil talium potuerunt inuenire. Retulit hæc purissimus puer, pia calliditate inductus, paucis ante mortem diebus. *Sur. ibidem cap. 6.*

Sæpissimè apparuit ei B. Virgo, vocabatque eum Cappellanum suum; ipse vicissim tantis ab ea dignatus gratijs, B. Virginem suam specialem agnoscebat patronam; eiusque sanctissimum Nomen adeò reuerebatur, vt ad eius inuocationem, terræ prostratus adhæreret.

Idem Sur. in eadem vita pluribus in locis.

V.

HERMANNVS de Allis, Ord. Eremit. S. Augustini, annuam ægritudinem patientissimè sustinuit: & quamuis eadem iugiter affligaretur; Horas tamen canonicas deuotè quotidie recitare, & Missam celebrare voluit, quandiu se de lecto mouere valuit. Deficientibus autem viribus eandem coram se celebrari, vsque ad vltimum sui transitus diem curauit. Appropinquante igitur ipsius diei hora nona, fratres vocari fecit, dicens, horam esse decedendi; iussitque afferri librum pro commendatione animæ: sed cum non inueniretur liber, quia ad alium quendam infirmum in ciuitate delatus fuerat, hocq. sibi agonizanti diceretur: mittatur (ait) pro eo, & expectabimus. cumq. demum allatus fuisset, legerunt fratres commendationem, ipso cum eis legente, ac respondente; qua absoluta, petijt sibi legi. Passionem Domini nostri Iesu Christi; & legebatur coram eo Passio secundum Matthæum, libro super lectum posito: ipse verò ponens manum super eum, innuebat legenti, quando pausare, & quando vltra legere deberet; vt animum suum ijs, quæ legebantur, sic melius intendere posset. Perlecta Passione secundum Matthæũ, legi sibi fecit quoque secundum Marcum; & cum perueniret

lector ad verba illa: Iesus emissa voce magna expirauit, ipse quoque spiritum Deo reddidit.

Chron. Ord. S. Aug. vitas fratrum nuncupat. lib. 2. cap. 13.

ANNOTATIO.

Eius vitæ auctor (Iordanus nempè de Saxonia) hunc sibi notum fuisse; quinimmò ei famulatum in infirmitate sua præbuisse asserit.

HEREBERTVS *supra in* CVTHBERTO.

VI.

Aug. 15. HIACYNTHVS Polonus Ord. Præd. S. Dominici discipulus, cum post quadraginta propemodum annos in Religione sanctè perfunctos, dissolui cuperet, & esse cum Christo; in peruigilio Assumptionis Beatissimæ Virginis, fratribus Monasterij Cracouiensis accersitis, moriturum sese definito die prædixit; eosque lugentes amantissimè consolatus, valere in Christo; Deumque perpetuò timere iussit. Postridiè sacrosanctis Ecclesiæ sacramentis summa cum veneratione perceptis; pijsque, atq. canonicis precibus recitatis; cum versum illum, extremo iam vitæ spiritu, protulisset: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, in Domino obdormiuit, anno sal. 1257.

Martin. Cromer. de orig. & rebus gestis Polonorum lib. 7. & 9. Leand. Alber. lib. 5. Ferdinan. de Castel. in hist. S. Dom. lib. 1. cap. 48.

VII.

Sept. 30. HIERONYMVS Ecclesiæ doctor senio confectus, & laboribus fractus, adeò vt nisi fune manibus apprehenso (qui ad hoc ei de trabe pendebat) surgere de lecto non posset, sui corporis dissolutionem sibi imminere sentiens, veluti auis quædam à nexibus expedita, nihil aliud nisi cœlum spectabat, ac petebat. Vnde longum peregrinationis suæ tempus considerans, clamabat sæpius cum Propheta: Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. & illud: Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum; concupiscit, & deficit

anima mea in atria Domini. illud quoque: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Dumque ijs cogitationibus Vir sanctus exæstuat, in leuem incidit febriculam, quæ illum (iam in carne sua pramortuum) cum diuexaret, reputabat animo, mundi quas pertransierat miserias omnes; mortemque propterea, veluti sororem charissimam, vt sibi quæ videbat, futura concederet, precabatur. Aderant iuxtà eum Monachi, & Christo dicatæ Virgines cum alijs plurimis, qui ex varijs Sanctorum locorum vndiq. ad talis viri exitum confluxerant: Quos omnes, ille læto, ac alacri vultu conspiciens, vt Deo omni seruirent nixu exhortabatur. Aderat Eusebius eius discipulus, & cæteri Presbyteri, qui secum Christo militauerant; & abeuntem à se communem Patrem lamentabantur omnes. Solabatur autem ille cunctos, & ad humilitatem, patientiam, charitatem, cæterasque hortabatur virtutes: & ne sibi cœlestem inuiderent patriam precabatur; quando se nihil aliud optasse semper aiebat, quàm ad eum diem peruenire, vnde illi ad cœlestem beatitudinem daretur aditus. His & huiusmodi verbis omnes, qui aderant postquam est adhortatus, versus ad animæ suæ sponsum Iesum, quem iam sibi adesse videbat, illi spiritum suum commendans, obdormiuit in Domino, anno sal. 420. ætatis 78. quamuis ob fractam tot ærumnis senectutem longè senior creditus sit decessisse, nempè ann. 98. vel. 99. secundum aliquos.

Marian. Victor. Episcop. Reat. in euius vita. Sigebert. in Chron. Baron. in Annal. tom. 5.

ANNOTATIO.

Alia quædam egisse HIERONIMVM, & contigisse in eius morte narrant Eborensis, & Marulus; quibus consultò omisis, sat erit de tanto Viro illud memorasse, quod ipsemet de se ait in Regul. Monachorum cap. 30. nempè: siue comedam; siue bibam; siue aliquid aliud agam, semper insonat in auribus meis vox illa horrifica: Surgite mortui venite ad iudicium.

HIERO-

VIII.

HIERONYMVS Ripa Mediolanensis Ord. Iesuatorum, nocte sacratissimæ Resurrectionis incolumis cum alijs surgens ad orationem, post susceptam cum eisdem sacratissimam Eucharistiam, sciens instare sibi migrationis tempus, sermonem ad suos habuit de suimet contemptu; de oratione; obedientia; & charitate; prædicens eis se post biduum decessurum: tota verò die in Oratorio mansit. Nocte sequenti, febricula correptus, sacram extremam Vnctionem sibi adhiberi; nocteq. altera (febri ingrauescente) animam suam omnipotenti Deo à fratribus (de more) commendari voluit. Qua commendatione peracta, rogauit eosdem, vt nil aliud sibi dicerent; sed eum in silentio manere patientes, in orationibus ipsi vsq. ad exitum perseuerarent; & vnus eorum Passionem Domini nostri Iesu Christi legeret. Rogatus tunc à fratribus, vt benedictionem eis impertiret, ter semetipsum signauit; & afferri iubens aquam benedictam, se & alios aspersit, ac omnibus postea benedixit. Dederunt se deinde singuli ad orationem; vnusque ex eis Passionem legere cœpit; quam Pater deuotissimè auscultabat. Ea verò perlecta, dixit: Omnis spiritus laudet Dominum, & hæc dicens, ad Deum laudandum, carne solutus, migrauit, anno sal. 1519.

Paulus Morig. cap. 71. lib. 2. hist. Iesuat.

IX.

HILARIA Claudij Martyris vxor, cum ad sepulchrum filiorum pariter Martyrum, frequentius oraret, ibi ab Vrbis Præfecti apparitoribus comprehenditur, cumque inde abstraheretur: finite (inquit ad eos) precationem meam absoluere, & veniam quocunque volueritis. Cum igitur genibus flexis, expansis manibus, oculos in cœlum sustulisset: Domine (inquit) Iesu Christe, quem ex toto corde confiteor, nunc me filijs meis adiunge, quos ex ventre meo ad tuam religionem aduocasti. Hæc cum dixisset, tacitæ precationi se dedit, atque inter precandum, spiritum reddidit.

Sur. tom. 5. in Actis Sanct. Chrisanti & Dariæ c. 13.

HILA-

X. Octob. 21

HILARION Abbas morti proximus teſtamenti loco, breuem propria manu ſcripſit epiſtolam abſenti Eſycio diſcipulo ſuo, omnes diuitias ei derelinquens; nempè Euangelium; tunicam ſacceam; cucullam; & palliolum. Venerunt itaque ad ægrotantem multi religioſi viri; quos omnes adiurauit, vt ne puncto quidem horæ poſt mortem reſeruaretur; ſed ſtatim eum in eodem loco terra operirent, ſicut veſtitus erat, in tunica, cuculla, & ſago ruſtico. Exitus autem adueniente hora, cum præter ſenſum nil quidquam viui hominis ſupereſſet, apertis oculis locutus eſt ſecum dicens: Egredere quid times? Egredere quid dubitas anima? Septuaginta propè annis ſeruiſti Chriſto, & mortem times? Quibus dictis, in occurſum Domini egreſſa eſt, anno ſal. 372. ætatis 80.

Sur. tom. 5. Lippom. tom. 1. & 6. S. Hieronym. in vit. Patr. lib. 1. cap. 38.

ANNOTATIO.

Tunica, quā cum palliolo, & cuculla Eſycio teſtamento legauit, recens ipſi ceſſerat, ex miniſtri eius morte, qui ante paucos dies obierat; vt in eadem narratione habetur. Ipſe enim duplicia veſtimenta nunquam habuit, quorum alia in ſepulturam reſeruaſſet, alia legare poſſet, vnica ſemper contentus tunica.

Poſt eius mortem venit Eſycius, & ſimulans ſe in eodem loco habitare velle, vt diligentis cuſtodiæ ſuſpicionem accolis tolleret, cum ingenti vitæ ſuæ periculo, poſt decem ferè menſes, corpus eius furatus eſt, & aliò detulit. Quo audito CONSTANTIA mulier ſanctiſſima, cuius generum, & filiam Vir ſanctus de morte liberauerat; & idcirco ad eius felicem tranſitum adeſſe voluerat; & ad eius poſtea ſepulchrum noctes ducere ſolebat peruigiles; perlato nuncio, ſtatim exanimata eſt: veram in ſeruum Dei dilectionem, morte etiam comprobans.

Adhuc puer HILARION inuentus à latronibus, dum ſolitarius diſcurreret, eiſdem interrogantibus: Quid faceret ſi latrones ad ſe venirent? Nudus (reſpondit) latrones non timet; et ſubdentibus illis: Certè occidi potes: Poſſum (ſubdidit) poſſum; et ideò latrones non timeo, quia mori paratus ſum.

HOLLO-

X I.

Ian. 7. HOLLONIVS Monachus, natione Saxo (qui dicebatur etiam Tillo) cum nonagenarius esset; & ex leui febricula se moriturum sciret, fratribus, post pacis osculum, valedixit; & Episcopum Lemouicensem (nuncio ad se misso) vocauit. Qui quamuis in lecto ex infirmitate decumberet, mox reddita sanitate, venit; & Virum sanctum sacramentis Ecclesiæ, antequam vitæ periodum absolueret, communiuit.

Molanus in Natal. Sanct. Belg. De eo S. Audenus in vita S. Eligij apud Sur. lib. 1. cap. 10.

X I I.

Nou. 13. HOMOBONVS Cremonensis adueniente suæ vocationis die; sine morbo suauiter obdormiuit in Domino. Cum enim (de more) matutino officio penitus incolumis interfuisset; deinde, curuatis ante Domini Crucem genibus, in oratione vsque ad horam Missæ perstitisset; Sacerdote Hymnum Angelorum inchoante; manibus in modum Crucis in terra extensis, ante Crucem procubuit, simul & occubuit feliciter in Domino, an. 1197. Anno verò sequenti 1198. ab Innocentio III. in Sanctorum numerum relatus est.

Sur. tom. 6. Ferrarius in Catal. Baron. in Annal. tom. 12. *Petr. de Natal. in Catal. lib.* 10. *cap.* 56.

ANNOTATIO.

Mercaturam exercebat HOMOBONVS; pietatis tamen opera nunquam prætermisit. vxorem quoque duxit, vt parentibus morem-gereret; sed cum ea castissimè vixit. Mortuis autem parentibus, opes mercimonio comparatas, cœpit pauperibus distribuere; quibus & cæteras quoque impertiuit; vno tantummodo ex multis prædijs sibi reseruato, et illo quidem exiguo.

Horis canonicis (etiam nocturnis) intererat semper; et cum aliquando Æditus ad Ecclesiæ fores reserandas tardior fuisset, illæ sibi diuinitus patefactæ fuerunt.

In orationibus verò ita assiduus fuit, vt et inter orandum expirauerit.

HONO-

XIII.

HONORATVS Episcopus Arelatensis, vltima correptus infirmitate, operari non destitit; & (reluctantibus etiam doloribus) sermonem, Epiphaniorum die, in Ecclesia habere voluit. Sub mortem fuit religiosè solicitus, ne quid imperfectum relinqueretur; interrogando singulos, & ad suggerendum hortando, si quid suam subterfugisset memoriam. *Ian.16.*

Videns discipulũ suum (Hilarium scilicet Arelatẽsem) plorantem: Quid (inquit) defles ineuitabilem humani generis necessitatem? Imparatum ergo te inuenire meus transitus debuit, cum me paratum inuenerit? Et respondenti, se non dolere decessum, sed suorum dolorum vulnere affligi; ac difficilium inter extrema luctaminum, subdidit: Et quid ego minimus omnium perfero ad ea, quæ Sanctorum plurimi in supremis suis acerbissima pertulerunt? Et aliquot commemoratis, adiecit: Magni viri multa patiuntur; & vt alios pati doceant, nati sunt in exemplum.

Confluentibus ad se Potestatibus, Præfecto, & Præfectorijs viris, benedictionem, & monita salutaria impertiuit, dicens: Videtis quàm fragile habemus hospitium. & post multa: Hanc vobis Honoratus vester hæreditatem relinquit: supremo halitu suo ad hæreditatem vos Regni cœlestis inuitat: nullus nimium huius amore mundi teneatur: optimum est, vt voluntate quisque id fastidiat, quo se videt necessitate cariturum.

Ordinatis omnibus, cum charos suos mente singulos percurreret, quos nominatim proferre lassitudo non vetuit, per eos, qui astabant salutari iussit, subdens, & in eiusdem discipuli (S. Hilarij scilicet) aure loquens: Excusa, ait. graui tandem somno oppressus, feliciter, & suauiter obdormiuit in Domino, anno sal. 449.

Chron. Lerinen. ex serm. S. Hilarij de vita eiusdem, quæ habetur in M.S. Bibl. Vall. & vita ipsius separatim impressa Venet. 1501. *incerto Auctore. De eo Baron. in Annal. tom.* 5. *&* 6.

HOSPI-

X I V.

Maij 21. HOSPITIVS Nicenſis recluſus, appropinquante ſui obitus die, vocauit ad ſe Monaſterij Præfectum; & parietem, quo erat incluſus, irrumpi; ac Epiſcopum Nicenſem ad eum ſepeliendum accerſiri fecit, dicens: Die tertia ab hoc egrediar mundo, & vadam in requiem deſtinatam, quam mihi Dominus repromiſit. Vir quidam (nomine Creſcentius) venit interim ad feneſtram; & videns eum catenis vinctum, ac vermibus plenum, ait: ò Domine mi, qualiter tam valida tormenta tolerare potes? Cui dixit Hoſpitius: Confortat me ille, pro cuius nomine hæc patior. dico autem tibi, quia iam abſoluor ab his vinculis, & vado in requiem meam.

Die igitur tertia adueniente, depoſitis catenis, proſtrauit ſeſe in orationem; & cum diutiſſimè oraſſet, collocans ſe ſuper ſcamnum, extenſis pedibus, eleuatiſque ad cœlum manibus, gratias Deo agens, reddidit ſpiritum: ſtatimque vermes illi, qui ſanctos perforauerant artus, euanuerunt. Adueniens autem Epiſcopus, beatum corpus ſtudioſiſſimè ſepulturæ mandauit.

Sur. tom. 3. Lippom. tom. 8. Greg. Tur. hiſt. Franc. lib. 6. & 7. & de glor. Confeſſor. cap. 97. Paul. Diac. de geſt. Longob. lib. 3. cap. 1. Ferrar. in Catal. Petr. in Catal. lib. 5. cap. 27. De eo etiam Baron. in Annal. tom. 11.

ANNOTATIO.

Cum Longobardi in eam Regionem irrumperent, anno Domini 575. venerunt ad locum vbi Sanctus Dei HOSPITIVS clauſus erat; qui per feneſtram turris ſeſe eis oſtendit. Illi verò circumeuntes turrim, et aditum non inuenientes per quem ingrederentur, aſcenderunt, et detexerunt tectum; videnteſque eum catenis vinctum, indutumque cilicio, cogitauerunt illum eſſe malefactorem aliquem, et homicidam; vocatoque interprete ſciſcitati ſunt ab eo, Quid mali fecerit: at ille faſſus eſt, ſe homicidam eſſe, omniſque criminis reum: peccatum enim quodlibet perpetrare minimè prætermiſiſſet, niſi Deus gratia ſua eum muniuiſſet: Tunc vnus ex eis gladium educens, vt caput illi amputaret, dexte-

rum extensam sibi sic obrigere sensit, vt nec illam contrahere posset, donec Vir sanctus, signo Crucis brachium sanitati restituit. Ille autem in eodem loco conuersus, tonsurato capite, Monachus efficitur.

X V.

HVBERTVS Episcopus Leodiensis, seu Tungrensis (vt habetur in Martyrol.) suæ resolutionis tempore imminente, de quo ante annum per visum fuerat edoctus, discurrebat per loca orationū, & memorias Sanctorum, exitū suum per eorum intercessiones Domino commendans. Cumque ante altare, quod in honorem B. Albini consecrauerat, diutius orasset, surgens, ait: In memoria æterna erit iustus; ab auditione mala non timebit: conuersusque ad parietem, protensis brachijs, locum sepulturæ dimensus est. *Nou.3.*

Rogatus postea, profectus est Brabantiam, consecraturus nouam Basilicam: & consecratione peracta, nauem conscendit, ac in propria (febri correptus lethali) redijt. Cumque domum peruenisset, consueta primum oratione, & lachrymis refectus, cornu altaris deosculatur; & demum lectulo superimponitur. A prima autem feria, ad sextam vsque (febri augmenta capiente) somni expers, solabatur se tantummodo decantatione Psalterij.

Quadam nocte, Dæmon ei minas intentauit; belluinis increpans eum vocibus: Sed Vir sanctus hunc sibi illudentem effugauit, cantando Psalmum, Qui habitat, &c. Et monendo ministrum, vt aquam benedictam afferre, & aspergere curaret.

Consueto orationum operi constanter institit; horasque canonicas (morbo non obstante) persoluit. Tandem instante mortis hora, orationes astantium postulauit, dicens: Mi prædilecti filij, apud Christum iam nunc pro meis interuenite fragilitatibus. Iam enim terminus irreuocabilis vitæ meæ adest, quo iubeor luteum hoc habitaculum linquere, & rationem ante iudicem actuum meorum positurus, apparere. Et quia tanto imparem me examini, obsistente meorum mole

pecca-

peccatorum, persentio, vtpotè cui exeunti vitiorum acies, phalangesque tristes occurrent: precor, precum vestrarum clypeos opponite; & vt piam Christi maiestatem propitiam habere merear, deposcite. Manibus deinde ad cœlum eleuatis, ac oculis lachrymarum fonte rigatis, Apostolorum Symbolum, & Orationem Dominicam recitauit: Ori [a] velum oppandi iussit, & inter orationis verba migrauit ad Dominum, anno 730.

*Sur.tom.6. Molan. in Indic.Gesta Pontific.Leodiensium. De eo Baron.in Annal. tom.*8.

ANNOTATIO.

[a] VELVM OPPANDI. De huiusmodi consuetudine, velum, seu linteum expandendi ante faciem morientis, consule quæ dicta sunt in Cassio *supra*.

XVI.

Apr. 29. HVGO Abbas Cluniacensis depositionis diem optatum sibi instare cognoscens, laboribus labores addidit; multiplicauit ieiunia; vigilias patiebatur longiores; orationi, & lectioni instabat acrius; parumque videbatur ei spiritum natura ad egressum vrgeri, nisi & cruciatibus adhibitis vrgeretur.

Dum autem sic Quadragesimam transigeret, venit ad eum vir Agricola, cui semel, & iterum iusserat B.Petrus Apostolus proximum sibi denunciare depositionis diem, dicens, verbis ipsius Apostoli: Dispone domui tuæ, viam vniuersæ carnis ad præsens ingressurus. Quo audito nuncio, lætus expectauit vocationem, cum Paulo dicens: Cupio dissolui, & esse cum Christo.

Adueniente sacratissimæ Cœnæ die, Dei seruus Capitulũ ingreditur: vbi cum affluentem iussisset eleemosynam fieri, rogatus Conuentum absoluere, fleuit vberrimè. Tandem singultu fatigatum promens responsum: Ego ne (inquit) vos absoluam, quem propria ligat conscientia? Quomodo iugum soluet peccatorum subiugata peccatis oratio? Nos tamen (licet indigni) debitum prosequemur officium: Dominus

aut em

autem, qui ſoluit compeditos, & eliſos erigit, quod ſuæ pietatis eſt, in vobis interius dignetur operari. De hinc eleuatis in cœlum oculis, perfuſis ora fletibus, commiſſum ſibi gregem abſoluit, & benedixit. Deinde pauperum expleto obſequio, hora mandati in Capitulum redit; lauatque fratrum veſtigia, de Euangelica lectione ſermonem ſubnectens.

Sequenti quoque ſabbato ſacris interfuit officijs; columnam nouæ lucis ſalutans, & crebris exorans ſuſpirijs, vt ad terram promiſſionis, quam velut è confinio intuebatur, inoffenſo greſſu peruenire mereretur.

Celebrauit etiam in Eccleſia Paſchalem ſolemnitatem; & refectus illic alimentis ſpiritualibus, ad domum, in qua morari conſueuerat, diuertit. Veſpere autem facto, decidit in lectum. Tertia verò feria, cum iam caligantes oculi, linguæ deficiens, & cæterorum ſenſuum officium, præſentem tranſitum acclamarent, interrogatus ſi viuificatricem Domini carnem cognoſceret: cognoſco (inquit) & adoro. Oblatum quoque ſalutiferæ Crucis ſignum deuotiſſimè ſtuduit venerari. Porrò exiturus ex hac Aegypto, B. Marcelli capſam ſibi iuſſit præſentari; pium lachrymis interpellans aduocatum, vt eius conductu, poſt exilium, patriæ redderetur. Flentibus autem filijs aſſidentibus, ſuum ille ſignificans exceſſum: Benedicite (protulit) & loquendi facultatem amiſit. Deinde delatus eſt in Eccleſiam, vbi cineri, ac cilicio impoſitus, ſole occumbente, Sol occubuit, anno Domini 1109.

Sur. tom. 2. Bibliotb. Cluniac. De eo Baron. in Annal. tom. 12. Tritb. de Vir. Illuſtr. Ord. S. Bened. lib. 3. cap. 328. & Petr. Cluniacen. lib. 1. & 2. Mirac.

ANNOTATIO.

Habetur ſtatutum Petri Cluniacenſis, in eadem Bibliotheca, de offerenda Cruce lignea infirmo inuncto, vt eam adoret, & oſculetur; non autem aurea, nec argentea.

XVII.

HVGO Epiſcopus Altiſiodorenſis cum extrema ægritu-

dine laboraret; sibique diem sentiret adesse nouissimum, fratres circunstantes, circa horam diei nonam, his verbis admonuit: Fratres charissimi, Horas diei, quæ supersunt, Domino persoluamus; quia ijs finitis, in Domino obdormiam, & requiescam. Cantauerunt ergò Domino laudes; & Completorio dicto, Vir sanctus (sicut prædixerat) in pace quieuit, anno Domini 1137.

Io.Trith. in chron. Monast. Hirsaugien. eodem anno, & de Vir. Illustr. Ord. S.Bened. lib.4. cap. 249. Vbi hunc dicit, nepotem fuisse S.Hugonis Cluniac. de quo supra.

XVIII.

Nou. 17. HVGO Episcopus Lincolniensis, in vltima infirmitate sua, morbo ingrauescente, sæpius orando, hæc verba repetebat; ò pie Deus, requiem: Bone Domine, Deusque verax, dona tandem requiem. Cuidam autem de astantibus dicenti sibi; Iam Domine quiesces, respondit: O verè beatos illos, quibus, vel in extremi iudicij die, requies inconcussa donabitur. Dicente rursus eo ipso, illum futurum ei iudicij diem, quo esset è vita decessurus, cum magna fiducia ait: non rectè sentis; non enim iudicij, sed gratiæ, & misericordiæ dies erit, quo ego defungar.

Admonitus vt testamentum (de more) faceret: Tædet me (ait) huius consuetudinis, iam passim in Ecclesiam introductæ: Nec habui quidquam, nec habeo, quod non sit Ecclesiæ, quam regendam suscepi. Attamen, ne fiscus rapiat, tribuatur pauperibus quod videor possidere. Orationi deinceps mens eius intenta fuit, donec agnouit venisse horam, qua transiret ex hoc mundo ad Patrem. Tunc enim, sacro iam inunctus oleo (quod contigit eadem ipsa anniuersaria die, qua Episcopus consecratus fuerat) cernens vbertim flentes filios, suauissimis eos consolari sermonibus nixus, dexteram suam singulorum capitibus imponens, Domino singulos commendauit. Deinde pauimento coram eo nudato, & cinere benedicto, in Crucis formam sparso, preces completorij inchoarunt astantes. ipse verò, audito versu Psal. 91. Clamauit ad me, & ego exau-

exaudiam eum, imponi se cineri voluit; & psallentibus illis festinanter, cum inciperent Canticum: Nunc dimittis, &c. spiritum feliciter in manus conditoris posuit, anno salutis 1200. ætat. 60.

Sur. tom.6. De eo Petr. Sutor de vit. Carthus. lib.2. cap.5. Baron. in Annal. tom. 12. Petr. Dorland. Diestens. lib. 3. Chron. Carthus.

ANNOTATIO.

Ad Sancti Hugonis funus, Anglorum, & Scotorum Reges, Archiepiscopi quatuordecim, cum innumerabili Comitum, nobiliũ, populique multitudine concurrerunt. Porrò Reges feretrum humeris suis detulerunt.

Apparuit HVGO quindecim diebus ab eius obitu, Decano Lincolniensis Ecclesiæ, dicens ei: Concessit mihi Dominus noster Iesus Christus sua gratia, quod vnus ex fratribus meis, in proximo veniet ad me, cum Domino regnaturus: Estote ergo parati, & vigilate, quia nescitis diẽ, neque horam quando Dominus venturus est. Et his dictis disparuit. Mane facto, Decanus narrauit visionem omnibus fratribus in capitulo; & quamuis cuperent omnes mole carnis resolui, & esse cum Christo, vni tamen eorum soli datum est; nempè ROBERTO de Capella. Qui statim incæpit ægrotare, et infra triduum, emisso spiritu, ad Dominum migrauit.

Ad eiusdem S.Hugonis feretrum orans vir quidam Pius, vt dissolui, et esse cum Christo mereretur, sequenti nocte (rebus suis benè dispositis) bona ac felici morte decessit. *Anon obit.*

Idem Sur. in vita eiusdem Hugonis *circa finem.*

XIX.

HVGO Monachus Cluniacensis in agone positus, dixit S.Petro Cauensi (qui ad eius animam Deo commendandam aduenerat) duas adesse in fenestra aues; pulcherrimam vnam; alteram verò horribilem valdè, & nigram; quam rogauit, vt eijceret. Tunc admirantibus fratribus, nec videntibus quod Petrus intelligebat, aquam ille exorcizatam sibi afferri iussit; qua dum orando aspergens, fenestram tangeret, nigram illam auem protinus discedere idem moriens vidit: cumque Deo gratias ageret, sancta eius anima carne soluta est.

Sur. tom. 2. in vita S. Petri Cauensis cap. 19.

X X.

HVGO de Nunant Episcopus Couentrensis, graui (dum Romam tenderet) infirmitate correptus, mortem sibi instare cognoscens, accersiri fecit religiosos viros totius Nortmanniæ, quos habere potuit; & illis audientibus, maxima cordis contritione, ac lachrymarum iugi effusione, confessus est omnia peccata, scelera, enormiaque delicta, quæ sibi memoriæ occurrerunt. Deinde flens, & eiulans, manibus consertis, eosdem viros Religiosos (pariter flentes) in virtute Dei adiurauit, quatenus sibi pœnitenti, pœnam infligant, & satisfactionem, tantis flagitiorum condignam excessibus. Illi verò vitam adeò flagitiosam, simul, & admirabilem cordis contritionem considerantes, obmutuerunt vniuersi; & ad inuicem se contuentes, quid consilij darent, quidue responderent, nesciebant. Quod cernens Episcopus ait: scio, scio quod tantis enormitatibus auditis, hæsitatis inter vos, quid mihi pro pœnitentia infligatis: Sed obsecro vos in nomine Iesu Christi Domini nostri, quatenus loco pœnitentiæ iniungatis mihi, vt, secundum voluntatem Dei, sim in pœnis purgatorij vsque in diem iudicij: vt tunc per misericordiam Redemptoris nostri saluus fiam. Quod quidem consilium placuit vniuersis; salua ei semper clementia diuina, quæ omnes saluari desiderat, & neminem vult perire. Tunc Episcopus (cunctis pariter audientibus) ingenti mœrore, adiecit aliud flagitium expiandum; expulsionem scilicet quorundam Monachorum, in quorum locum clericos irreligiosos introduxerat. Ad cuius flagitij satisfactionem, vitam finire concupiuit in eorundem Monachorum habitu; magnoque eiulatu Abbatem (qui inter cœteros aderat) deprecans adiurauit, quatenus intuitu charitatis, ad diaboli confusionem, habitum sibi concederet monachalem; vt illos haberet patronos in sæculo futuro, quos (diaboli exagitatus spiritu) persecutus fuerat in hoc mundo. Quod cum impletū esset, omnia quæ possidebat, pauperibus erogauit. & sic in spe bona assistentiū omniū, & iugi lachrymarū effusione, fine insperato quieuit, anno Dom. circiter 1191.

Baron.

Baron. in Annal. tom. 12. ex Rozer. Annal. Anglic. De eodem Petr. Blesen. qui ad eundem scripsit epist. 118. paraeneticam.

XXI.

HVGO de S. Victore Canonicus Regularis cum, in extremo senio, morti foret proximus; & stomachi nauseam pateretur, sacratissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi communionem, instanti & feruenti deuotione poscebat. Quam cum nonnulli, parum sapienter, consulerent ob nauseæ periculum, fictè præparari, & simulatam hostiam, à Sacerdote minimè consecratam, ægroto offerri, Spiritus sancti illuminatione ipsam dignouit, & fortiter exclamauit; illud non esse corpus Domini Dei sui; cui verus, & catholicus Christianus sacramentali vnione iungeretur. Cumq. tandem (simulatione detecta) Sacramentalis hostia deferretur; nec eā propter stomachi indignationē tutò desumere posse videret, illud verbum, deuotissimo quodam necessitatis impulsu, protulit: Ascendat Filius ad Patrem, & seruus ad Dominum suum. Quibus dictis, Eucharistia disparuit, & ipse Vir sanctus Deo suo reddidit spiritum, anno Domini 1140.

S. Anton. Chron. par. 3. cap. 1. Thom. Garzon. in vita ipsius, quæ habetur tom. 1. operum eiusdem Hugonis. De eo Baron. in Annal. tom. 12.

XXII.

HVMBERTVS Confessor sui obitus aduenisse iam tempus prænoscens, misit ad B. Aldegundem, vt vestes in exequiarum vsum sibi mitteret; linteis, virgineis textis manibus, virgineos artus componi cupiens. Missus itaque nuncius, cum iter medium compleuisset, ecce à B. Aldegunde missus alter occurrit, secum linteamina ferens, quibus defuncti corpus obuolueretur; & aduerterunt, vnam eandemque horam fuisse, qua vterque executionis mandata suscepit. *Sept. 6.*

Sur. tom. 5. Molan. in Indic. Sanctor. Belg.

ANNOTATIO.

Ortus fuit claris Francorum Proceribus in Hannonia HVMBERTVS, qui Sacerdotio initiatus, pietatis exercebat officia; Hospitalitatem præcipuè, qua Sanctum Amandum, Romam proficiscentem excepit, eique se comitem in eodem itinere iunxit; atque deinceps maxima familiaritate, & consuetudine fuit deuinctus.

S. Aldegundi quoque familiarissimus fuit; cui sitienti, cum ad eum visendum venisset, precibus aquam è terra miraculosè prosilire fecit. De eadem Aldegunde *supra*.

Romam aliquando veniens HVMBERTVS, dum in Oratorio S. Petri, orationi diù incumberet, Angelus Domini, super eius verticem, Crucis signum, multis videntibus, expressit: Quod & Amandus quoque in eius fronte coruscare, postea incredibili fulgore vidit.

XXIII.

Aug. 25. HVNEGVNDIS virgo Veromadensis, in agone posita, sacro Dominici corporis percepto viatico, iussit astantes, promere Psalmos; & ipsa ex cilicio, & cinere caput erigens, dicebat: Adsum ego Christe ancilla tua: Veni obsecro Rex pijssime, & me benigne suscipe. Cumque in huiusmodi voce ab hora noctis media, vsque in diei tertiam horam persisteret, repentè cum immenso lumine odor suauissimus illic diffusus est; & sancta illa anima in cœlum euolauit.

Sur. tom. 4. Molan. in addit. ad Vsuar.


ANNOTATIO.

Orta fuit HVNEGVNDIS in Pago Veromandensi, hodie oppidum Sancti Quinctini. Desponsata viro, virum à nuptijs auocat; secum Romam venit; vbi à Summo Pont. velum capiti eius imponitur, & Deo consecratur. Sua deinde omnia cœnobio tribuit; in quo se Deo seruituram obtulit.



IACO-

I.



IACOBVS Alemannus Ord. Præd. mortem sibi imminere sentiens, accersiri fecit Monasterij Præfectum, cui generalem fecit omnium peccatorum confessionem: Dumque in extremis positus esset, accessit ad eum vnus ex cænobitis (Dionisius nomine) cui intestina fluebant, rogans & dicens: Dilecte frater, tu quidem ad Patriam properas: Ego autem hic atroci morbo crucior, nec possum cantare, neque concionari: Te per Deum rogo, ad quem tendis, vt cum illi iunctus fueris memineris mei; ac tuis precibus hanc à me molestiam depellas. Spopondit Vir Sanctus id se facturum. Cum autem ad vltimum deuenisset, priusquam expiraret, ipse sibi manus decenter, & pedes composuit; & ita spiritum Deo reddidit, anno Christi 1491. ætatis 84. Accedens autem morbidus ille ad eius cadauer amplexandum, & promissa reposcens; antequam inde abscederet, se morbo liberatum sensit. *Octob. 11*

Sur. tom. 5. ex Io. Ant. Flam.

II.

IACOBVS Eremita in Palæstina; morti proximus, accersiri fecit Episcopum; eumque rogauit vt in spelunca, in qua iamdiu ipse domicilium habuerat, sepulchrum ei curaret; corpusque suum in eo sepeliri iuberet. Id cum Episcopus facturum se promisisset, & in vrbem esset reuersus; post paucos dies obijt sanctus feliciter in Domino, annum agens quintum & septuagesimum. *Ian. 28.*

Lippom. tom. 7. Sur. tom. 1. ex Metaphr.

ANNOTATIO.

Virtutibus & miraculis clarus IACOBVS, post triginta annorum habitationem in spelunca, miserè cecidit, in superbiam elatus; stuprum, ac homicidium committens: sed ad se reuersus, in sepulchum ingreditur; ibique decem annos in durissima peregit pœnitentia; quousque Episcopo loci illius innotuit; cui per vi-

ſum reuelatum fuerat, huius viri Sancti precibus Deum fore placandum; & pluuiam (quam publicis ſupplicationibus fruſtrà poſtulauerat) impetrandam. Quam & impetrauit IACOBVS, licet coactus; eodemque anno obijt.

III.

Nou. 28. IACOBVS à monte Brandono (de Piceno nuncupatus) Ord. Min. ſuæ ex hoc mundo migrationis tempus non longè abeſſe prænoſcens; antequam infirmaretur, rogauit fratres, vt precibus ſibi à Domino obtinerent, ne viſcerum infirmitate in extremo vitæ grauaretur. timebat enim valde, ne dolores illi, impedimento eſſent deuotioni, & debitæ ad mortem præparationi. Sed poſt triduum ab eadem (quam timuerat) correptus fuit infirmitate; eaque diebus quinque afflictatus, & ad extrema perductus, magnam præſetulit patientiam; eoſdemque dolores in Ieſu, & Mariæ nomine (quod frequentiſſimè inuocabat) libentiſſimè tolerauit; idemque dulciſſimum Ieſu nomen, iuſſit fratribus, vt ſibi in auribus inſonarent, quando per ſe illud amplius inuocare non poſſet. Veniam cum lachrymis à fratribus poſtulauit; eoſdemque rogauit, vt corpus ſuum ante clauſtri fores ſepelirent; vt ſic ab omnibus tranſeuntibus tereretur. Tandem loquela deſtitutus, manus in cœlum, & oculos copioſis perfuſos lachrymis, erigens, Deo ſpiritum reddidit, anno 1476.

Chron. S. Franciſci par. 3. Toſſinian. hiſt. Seraph. lib. 1.

IV.

Iun. 1. IACOBVS (dictus de Venetijs) Ord. Præd. dum ægrotus iaceret, noluit vnquam à diuinis laudibus, & officij diuini recitatione ceſſare; nec ipſamet die, quæ fuit ſibi vitæ poſtrema.

Multis cellam eius frequentantibus, & requirentibus qualiter ſe haberet: Benè, reſpondebat humiliter omnibus; eoſq. benignè iubebat ſtatim abire, vt ſpiritus eius liberius in Deũ dirigi poſſet. Cum iam migraturus videretur, fratreſque ad animæ commendationem (de more) conueniſſent, ait illis; nimis citò veniſtis, cum nondum venerit hora mea. Diſcedente Conuentu, poſt nonam cæpit ab aſtantibus de veſpertina

tina hora diligenter inquirere; & responso accepto, quod nondum adesset, rogauit vt cuncti discederent, & soli eum Domino vacare permitterent.

Facto ad Vesperas signo, vnus è seruientibus, putans eum ideò fuisse de vespertina hora solicitũ, vt hora debita Vesperas persolueret, ait ad eum: adest hora Pater, de qua hodie sic solicitè quæsiuisti: si vis vocabo fratres, qui Vesperas coram te dicant; cum tu debilis nimis videaris. cui respondit: Non expedit fili, omnes enim Horas meas dixi, & iam de Vesperis sum expeditus. Ex tunc autem neminem abire voluit; & confestim visus est corporis virtute destitui. Facto igitur signo, & conuenientibus iterum fratribus, vnus ex eis obtulit illi Crucem osculandam, dicens: Confide Pater in adiutorio Crucifixi, & nullum metuas periculum. cui (sursum eleuatis oculis) respondit: Non timeo fili, non timeo. Fratribus verò, commendationis animæ officium prosequentibus, ipse cum eis pariter prosequebatur; & dum cum eisdem Litanias quoque diceret, eleuatis in cœlum oculis, exhilarata facie migrauit ad Dominum, anno 1314. ætatis 83.

Ferrar. in Catal. Chron. Ord. Prad. par. 2. lib. 1. cap. 29. Habetur eius vita in M.S. Bibl. Vall.

V.

IACOPONVS Tudertinus Ord. Min. cum, dierum plenus, & pœnitentiæ laboribus fractus, morti iam videretur proximus, suadetur à fratribus, vt Ecclesiæ Sacramentis se muniat; sed respondit eis: Nondum adesse tempus. cumque subderetur sibi, quod tanquam infidelis moreretur; aperiens tunc oculos, fidei professionem statim emisit; & Symbolum apostolorum illicò recitauit. Vrgent nihilominus eum fratres rursum dicentes, hoc sibi non sufficere; sed necessarium esse diuina suscipere Sacramenta: Præstolari se (respondit) Ioannem de Aluernia, de cuius manibus illa reciperet. Quo audito fratres tristati sunt valde; scientes illum longè abesse, nec tempus suppetere, quo eum accerserent. Dum autem sic anxij Præparationem inculcant, cecinit IACOPONVS Dec. 25.

Canti-

Canticum illud, quod incipit: Anima benedetta dall'alto Creatore, contempla il tuo Signore. Quo abſoluto cantico, adfuit Ioannes, per viſum diuinitus edoctus; & de manibus eius Sacramenta reuerenter ſuſcepit. Quibus perceptis, lætitia perfuſus, cecinit aliud Canticum, quod incipit: Giesù nostra confidanza, e del cor ſomma ſperanza. Deinde ad fratres conuerſus, cum eos hortatus eſſet ad virtutum viam perſequendam, eleuatis oculis, ac manibus in cœlum, ait: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. & hæc dicens expirauit.

Chron. S. Franciſci par. 2. lib. 6. cap. 38. hiſt. Seraph. lib. 1.

V I.

Octob. 29 IGNATIO Patriarchæ Conſtantinopolitano, extremum iam agenti ſpiritum, aſtitit miniſter iuxtà Eccleſiæ regulam, qui magna voce clamans, dixit: Benedic Domine. Beatus autem, os ſuum, cum (manu) ſigno Crucis ſignaſſet, & labia parum mouiſſet, interrogauit voce ſubmiſſa: cuius ſancti hodie ſit commemoratio? Aſtantes verò aiunt: Iacobi fratris Domini, amici tui, Pater. Tunc Vir ſanctus ad illos: Domini (inquit) mei. Valete igitur. deinde ſubdidit: Benedictus Deus noſter nunc, & in ſæcula ſæculorum, Amen. cum quo Hymno migrauit è vita, anno Domini 878. ætatis 70.

Anaſtaſ. Bibliothecar. in eius vita. habetur in M. S. Bibl. Vall. ex Biblioth. Columnenſi, quæ fuit Sirleti. De eo Baron. in Annal. tom. 10 fuſius.

ANNOTATIO.

Fuit IGNATIVS Nicephori Imperatoris ex filia nepos; filius autem Michaelis Imperatoris, qui Regno exciderat. Hic (eiecto Patre ab Imperio) Eunuchus factus, in Monaſterium detruditur: ſed eiuſdem Monaſterij fit Præfectus, & ex Præfecto Patriarcha Conſtantinopolitanus (ſicut ſibi prædictum fuerat) creatur.

Mira, & magna ſunt, quæ paſſus eſt ab eius perſecutore Photio; miraque pariter in aduerſis patientia: Cuius acta, ex dicto M. S. Bibliothecæ Cardinalis Sirleti, vberius digeſta habentur in Annal. tom. 10.

IGNA-

VII.

IGNATIVS Loyola, Societ. Iesu Fundator, cum, contemplandi studio, secessisset ad Villam (quam non longè ab æde S.Balbinæ, Romæ ad Thermas Antonianas, in vsum præcipuè Romani Collegij, amicorum benignitate nuper extruxerat) ibi vel tectorio noui operis malè acceptus; vel vrgente iam senio, lethalem in febrem incidit; sic vt cum eius intima vrerentur præcordia, nullus in facie pallor, nulla in toto corpore signa mortis existerent; tantum insolita quædam lassitudo in membris, ac motu apparebat. Itaque domum relatus, & in lectulo collocatus, quamuis Medici bono animo alumnos esse iuberent, ipse vltimum sibi diem instare sentiens, mirantibus cæteris, misit, qui à Summo Pont. sibi decedenti, salutarem expiationem, & indulgentiam ritu catholico, precaretur. Deinde cum ad multam noctem (de more) vigilasset; quin etiam nonnulla cum domesticis in rem Collegij transegisset, sopori se dedit; itemque qui aderant, cubitum discessere, nihil admodum periculi suspicantes. At ecce manè postridie, duo è fratribus, eius vitæ quotidianæ administri, cubiculum (visendi Patris causa) introeunt; ac præter omniũ opinionem, vitali spiritu penè defunctum offendunt. Accurritur illicò ad socios; alij ad medicum aduolant; alij interea, ad refocillandas vires (vt assolet) iusculum porrigunt: Quibus ille cum nihil opus esse dixisset, Iesum intermortuis vocibus identidẽ appellans, placidissimè efflauit animam, pridie Cal. Aug. anno Domini 1556. *Iul. 31.*

Maffæus in vita eiusdem lib. 2. cap. 23. & Ribadenera Molan. in Addit. De eo in hist. Soc. Iesu par. 1. lib. 16. n. 95. & seq.

VIII.

ILLVMINATA Virgo Rauennas, tempore persecutionis Maximiani Imperatoris delitescens; & valde timens, ne in discrimen à Paganis eius virginitas adduceretur, Deum assiduè, & feruenter precata est, vt se de eiusmodi periculo liberaret, & vnà cum Patre, & Matre de hoc mundo ad cœlestem *Nou. 29.*

gloriam

gloriam transferret. In ipsa igitur oratione cæpit psallere psalterium; & cum ad Psalmum quinquagesimum peruenisset, finita oratione, cum Patre & Matre sua, emisit spiritum.

Ex tabul. Eccle. Tudert.

ANNOTATIO.

In Diœcesi Tudertina,& Castri Massæ territorio,extat Ecclesia sub inuocatione S. Illuminatæ; in qua eius corpus requiescit. Eiusdem Ecclesiæ Rector fuit Benedictus Caietanus, qui fuit postea Papa Bonif. VIII.

IX.

Nou. 19. INNOCENTIVS Discipulus cuiusdam rigidi Monachi, scum nouem annis eum sustinuisset,ad Dominum tandem migrauit. Quem iam sepultum, volens Monachus ille moderator ostendere alteri Monacho non credenti, & interroganti sæpius, num mortuus esset; audiuit eundem mortuum respondentem: quomodo fieri potest,vt homo obedientiæ deditus moriatur? Tum senex ille, qui Innocentij fuerat moderator, rei miraculo attonitus, cum lachrymis in terram se prostrauit,& iuxta eius tumulum sibi collocauit domicilium, n quo reliquum vitæ tempus religiosè transegit. & eam demum beatè conclusit.

Io. Climacus gradu 4. vbi, secundum aliquas versiones, Innocentius *hic, appellatur suo Greco nomine*, ACHATIVS.

ANNOTATIO.

Testatur idem Climacus se hæc accepisse à Ioanne Opanio Sabaita, qui cum eodem mortuo Innocentio locutus fuerat.

De eodem Innocentio hæc habetur in Menæis Græcorum,à Climaco prætermissa, nempè.

Post mortem Innocentij, cum illius cœnobij Monachi,tempore messis ad segetes colligendas exijssent, duobus tantum in Monasterio

fterio relictis; altero eorum ægroto; altero verò, qui domus tutelam haberet, defunctus est æger, quem custos ædium, cum solus, tumulum fodere non posset, & cadauer curare, aperto Innocentij monumento, ibi cum eodem collocauit. Postera autem die, cum sepulchrum reuiseret, fratris pridie sepulti cadauer, extra tumulum reperit; rursumque in eodem monumento reposuit: sed cum postridie eodem modo cadauer extra sepulchrum offenderet, cæpit idem custos cum Sancto Innocentio expostulari, dicens: Audiui (Sancte Innocenti) te olim in vita, præter omnes alios, obsequentissimum fuisse: at nunc (vt video) refractarius factus es, & superbus, vt qui fratrem non admittas in societatem sepulchri, sed eijcias illum. Aut ergo permitte, vt tecum requiescat; aut si illum iterum eieceris, ego te quoque non feram; sed ex tuo te sepulchro eijciam. Altera igitur luce reuersus, illius quidem fratris; quod imposuerat corpus in tumulo, cernit; sed Sancti Innocentij, non vidit amplius.

Idem ferè habetur apud Sur. *tom. 5. Sept. 4. In Vita S. Idæ cap.* 29. de filio cuiusdam Ludolphi Comitis; qui cum ab hac luce (dum adhuc in albis esset) raperetur, ad Ecclesiam, in qua sepulta iacebat Sancta Ida, delatus est: & quia Sanctæ Dei opinio necdum in aperto emicabat, peres eam, infantem sepelierunt: qui die sequenti de tumulo extractus, ante ianuam vestibuli inuentus est, in quo erat inclusus. Stupore perculsi, quibus res erat commissa, corpusculum denuò, pristino loco condiderunt: Quod nihilominus, inuisibili iterum violentia, eminus proiectum repererunt. Obstinatis ergo animis incassum laborem præstigijs imputantes, tertiam vicem audenter auxerunt. sed & frustra. eundem enim tunc, viderunt, in extremo atrij angulo, euulsum. Qui demum pudore mulctati, ibidem terræ commiserunt.

Abbas Thomas pariter, in Cœmeterio sepultus, cum sequenti die supra eum mulier sepeliretur, euomuit eam semel, & iterum; idemque fecit de alia, post paucos dies. *Prat. spir. cap.* 88.

Cosmas Eunuchus, Vir singularis pietatis; idem ostendit cum hæretico quodam Episcopo sepultus. ex eius enim sepulchro audita est vox: Noli me tangere hæretice; Ne accedas ad me hæretice. *Prat spir. cap.* 41.

Contra verò reperiuntur, sanctitate pares, mutuò sibi dedisse locum, cum in eodē tumulo collocarentur, SS. scilicet Seuerus Rauennas, Laurentius, Theodorus Thessalonicen. Io. Eleemos. & alij. *Vide infra in Anon. IX.*

10A-

X.

Apr. 16. IOACHIM Senensis ord. Seruorum, adeo graui morbo correptus fuit, vt caro illius ab exortis vermibus assumeretur; nec tamen à medicis curari, aut Deum (quem pro alijs infirmis exorabat) rogare voluit; illud Apostoli vsurpans: Cum infirmor tunc potens sum. Cum autem qua die Christus pro mundi salute cruce affixus est, mori à Deo postulasset; in die Cœnæ Domini, sacra refectus communione, fratres cæpit rogare, vt pro se preces ad Deum funderent, quò securior sequenti die migraret. Itaque dum illi in die Parasceues, Passionem Dominicam decantantes, ea verba pronunciarent: Et inclinato capite emisit spiritum, ipse quoque spiritum suum Deo reddidit, anno sal. 1.935. ætat. 47.

Ferrarius hac die ex officio Romæ approbato à Paulo V.

ANNOTATIO.

Fuerat hic IOACHIM frequens in visitatione infirmorum, Cumque aliquando Aretium, ex obedientia proficiscens, in itinere apud quendam (qui morbo Epileptico affligebatur) diuersatus esset, illum ad patientiam frustrà hortatus, Deum precatus est, vt morbum illum in se transferret. Quare, vix completa oratione, illicò ægrotus ille sanatus est; ipse verò eo morbo vsque ad mortem laborauit. Aretij nihilominus in festo Assumptionis B. Virginis, dum celebranti ministrans, eodem morbo correptus, corrueret; cereus, quem ille ad eleuationem Sanctissimæ Eucharistiæ manu tenebat (stupentibus qui aderant) in aere suspensus, diuinitus mansit. Reuersus item Senas, cum ex eodem morbo cadens, mensam cibis instructam, secum traxisset, nihil tamen aut confractum aut (in ea) loco deturbatum fuit.

Idem Ferrarius.

X I.

Nou. 4. IOANNES (cognomento Achatius Constantinopolitanus, in obitu suo, quem longè ante præsciuit, dignatus est apparitione D. N. Iesu Christi, Sanctorum corona stipati; cum quo, ad extremum vsque spiritum, colloqui auditus est. tunc autem, sacris ritè perceptis, in hæc verba prorumpens: Iesu

mi

mi Rex omnipotens, porrige manum, emisit spiritum.

M.S. Bibl.Vall.ex Græco M.S. Cod.Bibliotheca Sfortiana per P. Sermundum transflat.

ANNOTATIO.

Dictus est Achatius ex thuris, in manu incensi, miraculo quod perpetrauit: Cum enim soleret pius Vir, Deo thus offerre festis diebus; & quadam die, carbones quidem in promptu essent, thuribulum verò non reperiretur; accensos carbones manu sustulit, thus iniecit, & vices thuribuli suapte manus expleuit. *ibidem.*

XII.

IOANNES de Firmo, nuncupatus de Aluernia, in vltima sui transitus hora, diu ante præuisa, ingentem in vultu passus est alterationem, & faciem terribilem ostendit; adeòut circunstantibus terrorem incuteret: sed paulò post, serenata facie, ac vultu hilari, eosdem aspiciens, fratri Ioanni de Septimana interroganti, quid sibi mutatio illa voluisset, quidue vidisset, Respondit: si quæ vidi dicerem, non crederer: sed vnum scitote, quod: Qui vult æternam adipisci salutem, soli Christo Crucifixo ardenter inhærere debet. Quibus dictis, reddidit spiritum anno 132?.

Chron.S.Francisci par.2 lib.8.cap.9. Conformit.S.Fr.lib.1. fructu 8.Hist Seraph.

XIII.

IOANNES Aragonum Rex pijssimus ad extrema deueniens, dum sacro munitus Viatico, lectioni Euangelicæ, & recitationi Psalmorum intenderet, subito languore concidit; ita vt clausis luminibus, defecisse iam, & animam efflasse crederetur. Verum respirans, & reclusis oculis, omnes qui aderant aspiciens, sic exclamauit: O vanas hominum cogitationes! O miseros homines, qui ad principatus aspirant; qui diuitias, opes, & nimios honores affectant! O felicem pauperum conditionem; & securam illorum vitam, atque beatam, qui panem comedunt cum sudore vultus sui; qui viuunt labore manuum suarum. Nam mihi misero, Quid Regnum;

Quid

Quid honores; Quid obſequium plurimorum contulerunt? Quid? labores ſcilicet magnos, & multa corporis, & animæ pericula ſubiui: nec vnquam ætate tam longa, potui mihi dies aliquot videre bonos. O me miſerum,& infelicem, qui tam ſerò fallacem mundum cognoſco: Qui vitam certè vixiſſem multò meliorem, ſi non Rex, ſed agri cultor fuiſſem. Conuerſus autem ad Chriſti Crucifixi imaginem; defixisq. in cælum oculis;ait: ò Pientiſſime Redemptor, Parce mihi indigniſſimo ſeruo tuo: Miſerere mei clementiſſime Ieſu, & à peccatis meis auerte faciem tuam: Non meis meritis Domine (quia nulla ſunt) ſed illa tua ineffabili pietate, & infinita miſericordia motus, quà hominem redimere à morte per Crucem tuam voluiſti. Atque inter hæc verba (quæ cum magna animi cõtritione protulit)Chriſti patibulum ſæpius oſculatus,extinctus eſt,plenus dierum,anno Domini 1479.

Lucius Marineus lib.18. Rerum Hiſpan. Simon Maiolus par.2. Dier. Canicul. Colloq.7.ex quibus Flor. exempl.tom.4. cap.8.tit.9.

X I V.

IOANNES Anachoreta, in ſpelunca ſua, defunctus repertus eſt, crucem argenteam habens in manu, & chartam, in qua ſcriptum erat: Defunctus ſum ego Ioannes humilis Indictione quintadecima. Computatis autem annis, inuentus eſt,ante ſeptem annos obijſſe.

Vit.Patrum lib.10.ex Prat.ſpir.cap.87.

ANNOTATIO.

Hic dicebatur IOANNES humilis, Repertus eſt autem indicio lucis, quæ videbatur per noctem ſupra ſpeluncam eius, ab habitatoribus cuiuſdam vici, propè montem, vbi erat ipſa ſpelunca. Hi enim putantes,quod ignem aliquis illic accendiſſet, & nullum poſtea ignis indicium inuenientes; tandem ſignato, & obſeruato loco,vbi lux videbatur; mane facto repererunt ibi paruam ſpeluncam,& in ea Anachoretam defunctum.

X V.

IOANNES Augustinus Hispanus (Ord. Præd.) vltima correptus infirmitate, cum Eucharistiam sacrosanctam esset sumpturus, è lectulo surrexit, & genuflexus eam adorauit: sumere tamen noluit (se ex humilitate indignum esse cognoscens) donec à Priore, sub obedientiæ præcepto, sibi iuberetur. Viatico igitur, & deinde Vnctione munitus, gratias egit Deo, Priori, & Benefactoribus omnibus; Professus est fidem Catholicam Romanam; & recitauit insuper cum alijs Matutinas preces. Tandem in agonia positus, visus est cum Dæmone luctari; Trinitatis, & Vnitatis Mysterium digitis demonstrando. Cumq. in hac lucta diceret: Vnus, Vnus est. his verbis reddidit spiritum. anno 1476.

Franc. Didacus in Hist. Prou. Arag. Ord. Præd. lib. 1. cap. 43. Hispanicè.

X V I.

IOANNES Calybita, tanquam pauper incognitus, à sua Matre despectus, & à conspectu suo auerti iussus, de sua migratione diuinitus edoctus, post gratiarum actionem, & orationem, accersiri fecit familiæ Præfectum, rogans eum, vt Dominæ suæ hæc suis verbis diceret: Pauper ille quem ad fores iacentem expelli iussisti, per me à te petit, ne superbo animo pauperem & inopem despicias; Iesum Christum Dominum nostrum despiciens, sed patienter digneris ad eum accedere; quippequi habet quædam tibi dicere. Abijt ille, & nunciauit Dominæ suæ, quæ à Ioanne acceperat: sed renuens Domina ad eum accedere, quem nec aspicere posse dicebat, rursus ad eam misit Ioannes, qui eius verbis diceret: Post tres dies ego morior; at si huc venire, & me videre nolueris, postremò te ipsam pœnitebit. Illa cum de morte audisset, præcepit tandem pueris suis, vt pauperem illum ad se afferrent. Qui (contectus adeò vt agnosci minime posset) ad eam dixit: Merces tua, Domina, completa est, sicut Dominus dixit in Euangelijs suis: Quæcumque feceritis vni ex istis fratribus meis minimis, & mihi fecistis: Ego verò vt Ian. 15.

 pau-

pauper, & nihil habens benedictionem quandam tibi volo derelinquere; sed iure iurando promittas velim, te facturam, quæ dixero. Iurauit illa. Tum ipse, per eum (inquit) te obtestor, per quem iurasti, ne iubeas me alia veste tectum sepeliri, nisi hac ipsa, quam nunc habeo; & in hoc ipso loco, vbi tugurium meum est, facias me humari; quoniam neque alijs vestibus, neque nobiliori aliquo loco dignus sum. Hæc cum dixisset, tradidit illi Euangelium dicens: Hoc tibi in hac vita propugnaculum, & illius futuri æui bonum, tàm tibi, quàm Viro tuo Domino meo, sit viaticum. Agnouit Mater Euangelium illud esse, quod filio suo à Patre datum fuerat; Agnouit & Pater: Agnoscendum se, & ipse præbuit, percontatus, dicens: Ego sum Ioannes filius vester. Sed illis lugentibus præ gaudio, & eiulantibus, Ioannes emisit spiritum. Oblita autem Mater quod iurauerat, laceratis filium exuens vestibus, & pretiosis induens, continuò paralytica effecta est; nec sanata, donec eisdem laceris vestibus, filij corpus iterum induisset.

Sur. tom.1. Lippom. tom.7. M. S. Bibl. Vall. ex M.S. Cod. Sanctæ Mariæ Maioris. Ferrar. in catal. De eo Niceph. hist. lib. 15. cap. 23.

ANNOTATIO.

IOANNES hic Romanus fuit, nobilibus ortus parentibus; quos vnà cum Patria, clam dereliquit, vt Monachus fieret. Cum teneretur autem iugiter immodico Parentum desiderio; & ex hac Diaboli tentatione velut vmbra effectus esset, iamiam moriturus, rogauit Archimandritam, vt sibi impertiret abeundi licentiam, quà posset (Deo iuuante) Dæmonem conculcare. Ea igitur obtenta, abscessit è Monasterio, & venit Romam ad Parentum ædes, mutato habitu, & pauperis cuiusdam vestibus laceris assumptis. E regione autem paternæ domus, statim vt eas prospexit, genuflexus, Deum orauit dicens: Deus ne derelinquas me.

Eiectus à domus Præfecto, precibus obtinet ab eo, vt in angulo atrij sub dio manere permittatur: Vbi exeuntes parentes intuetur lachrymans, dicitq. secum; En (Diabole) Parentes meos, Deo ita volente, aspexi; & sagittas tuas contemno, Christi ope adiutus,

tus, orauitque rurſus: Domine Ieſu Chriſte ne derelinquas me. Eijcitur inde, & pertrahitur, matris iuſſu. aliquantulum autem à foribus longè manens, illinc non diſcedebat; obtinuitque precibus à Præfecto, vt ibi tugurium ſibi pararetur, quo tegeretur à glacie nec videretur à Domina. Tertio autem poſt anno, Dominus ſibi apparuit & ad coronam vocauit.

Græci Sanctum Ioannem, Calybitam vocant, quod in tugurio intra ſepta paternæ domus habitauit: Tugurium enim græcè καλύβη dicitur.

X V I I.

IOANNES Chryſoſtomus, cum ex vno loco in alium ducerctur exul, appropinquans Comanæ, manſit in templo quodam. Ipſa autem nocte martyr ipſius loci, Baſiliſcus nomine (qui Nicomediæ paſſus cum Luciano Antiochiæ presbytero fuerat, dum eſſet Comanenſis Epiſcopus) apparuit ei dicens: Confide, frater Ioannes: cras enim ſimul erimus. Presbytero quoque Eccleſiæ apparuerat prius Martyr, dicens ei: Præpara Ioanni fratri locum: venturus eſt enim. Nihil igitur de eo dubitans Chryſoſtomus, in craſtinum orauit milites, qui eum ducebant, vt illic vſque ad quintam horam permanerent: Qui minimè acquieſcentes, iter perurgebant. Profecti verò quaſi ſtadijs triginta rurſum ad idem templum, vnde exierant, redire ſunt coacti; ipſo febribus iam laborante. Illuc vbi rediſt, candida veſtimenta quæſiuit, exutuſque prioribus, ea ſe induit, omnibus vſque ad calceos mutatis, reliqua aſtantibus ipſe diſtribuit. Diuina celebrauit demum myſteria: extremam orationem fudit, dicens more ſuo: Gloria ſit Deo omnium cauſa; & conſignans ſe ſigno Crucis, extendit ſpecioſos pedes, atque, excuſſo puluere, migrauit ad Chriſtum, anno 407. ætatis 52. *Ian.* 27. *Sept.* 14.

Sur. tom. 1. *Baron. in Annal. tom* 4. *&* 5. *vberrimè.*

A N N O T A T I O.

Plurima eſſent de S. Io. Chryſoſtomo notanda, ſed ad morientiū, ac languentium ſolamen, ſatis erit eorum aliqua colligere, quæ ipſe de ſemetipſo varijs in epiſtolis ad Theodorum, & Olimpiadem ſcripſit.

Ad Olimpiadem igitur, dum exul Cucusi maneret, hæc scribit, epistola 6.

Ab ipsis mortis ianuis reuocatus, hæc ad te scribo, &c. & infra. Hiems enim grauior quàm solebat exorta, grauiorem quoque nobis stomachi hiemem inuexit; nihiloque melius, ac commodius, quàm qui mortem obierunt. Immò etiam grauius hos duos menses confeci. Hactenus enim lucis huius vsura fruebar, vt malorum, quibus vndique cingebar, sensu afficerer; omniaque mihi noctis instar erant, hoc est tam dies, quàm diluculum atque ipsa meridies, totosque dies lecto affixus exigebam. Cumque innumeras rationes comminiscerer, contractum tamen ex acerrimo frigore detrimentum haud quaquam excutere poteram. Quamuis enim ignem etiam accenderem; & grauissimum fumum perferrem; & cubiculo inclusus tenerer; sexcentisque vestibus memet obuoluerer; ac ne limine quidem pedem efferre auderem, nihilominus tamen extremos cruciatus patiebar. Quippè cum vomitus subinde oriretur; capitis dolores, cibi fastidia; perpetuæque vigiliæ; siquidem noctis pelagus, vsque adeo longum, insomnis exigebam.

Et ad eandem, epistola 14. Dum in exilium deportaretur.

Triginta propemodum dies, aut etiam amplius, cum acerbissimis febribus colluctari non destiti: atque ita longum, ac molestum iter agebam. alijsque etiam stomachi grauissimis morbis obsessus, iam quæ sequuntur considera, nempè cum nec medici prestò essent; nec balnea; nec res necessariæ; nec aliæ animi leuationes; atque præterea metus Isaurorum nos vndique premeret; aliaque mala, quæ ex itinerum difficultate nasci consueuerunt, &c. & infra. Postquam autem tandem aliquando Cæsaream ingressus sum, labore, ac macie confectus, in ipso febris ardore positus languens, atque extremos dolores perpetiens, hospitium in vltimo Vrbis recessu nactus sum; dabamque operam, vt Medicos conuenirem, ac fornacem illam extinguerem: eram enim in ipsa febris tertianæ flamma, quò etiam accedebat itineris ærumna, & fatigatio; corporis contritio; eorum à quibus curarer inopia; rerum necessariarum penuria; illudque item, quod nullum Medicum prestò haberem; quodque & labore, & lassitudine, & caloris æstu, & vigilijs diu vexarer; ac denique penè exanimis in vrbem ingressus essem.

Ad Theodorum autem epist. 129. hæc scribit.

Confecti, atque consumpti sumus; sexcenta mortis genera oppetimus;

petimus; idque accuratius, ac certius narrare poterunt, qui has literas tibi reddent; quamuis alioqui perexiguo temporis puncto mecum fuerint; quibuscum etiam ne tantillum quidem colloqui potui, continuis nimirum febribus deiectus, atque consternatus; quibus cum tenerer, dies, noctesque iter facere cogebar; sic videlicet, vt & æstu opprimerer; & vigilijs conficerer; & rerum necessariarum penuria; eorumque (qui mei curam agere possent) inopia, perditè conflictarer. Siquidem ijs, qui ad metalla damnati sunt, & in vinculis tenentur, grauiora, atrocioraque pertulimus, atque etiam nunc perferimus. Tandem autem aliquando, & ægrè, Cæsaream perueni; perinde atque à tempestate ad littus appulsus. Cæsaream autem ingressus, animũ aliquantulum resumpsi, quoniam puram aquam bibi, panemque minimè fœtidum, ac prædurum comedi. Quoniam in doliorum fragmentis minimè corpus laui, verum balneum qualecunque tandem nactus sum; quoniam denique potestas mihi lecto inhærendi facta est.

Quibus in angustiis positus Vir sanctus alta philosophabatur: eademque nos philosophari cupiens (si quando molestijs premimur) tractatum illum edidit, vltimamque suam lucubrationem; Quod nemo læditur, nisi à seipso; quam eidẽ Olimpiadi transmisit.

Nec illud omittendum de tanto Viro, quo vltimis perpessus est diebus. trimestris enim temporis spatio difficillimum iter conficere est coactus, dum de loco in locum duceretur, à militibus malè habitus, & id solum curantibus, vt moreretur. Vnde cum imber esset vehemens, tunc egredi necesse erat; ingentem rursus Solis æstum vt pateretur curabant, scientes hoc affligi sancti Viri caput, instar Elisæi, caluum. Ex quo expendi licet quanta Sancti passi sunt tormenta, vt securi peruenirent ad regna.

Eodem tom. 5. Annal. enarrantur fusius mira, quæ contigerunt in sacri corporis translatione; post annum circiter trigesimum ab eius obitu: Immobilitas scilicet eiusdem: supplicis libelli Imperatoris super pectus impositio, quo veniam pro parentum delictis, & reditum precabatur: Nauis appulsio ad agrum viduæ, cuius causa exulauerat: & collocatio eius sacri corporis in Episcopali throno, in quo plebem tanq circunfusam salutauit; dicens: Pax vobis. *Vide ibidem* hæc, & alia lectu dignissima.

X V I I I.

IOANNES Columbinus Ord. Iesuatorum fundator, vltima correptus infirmitate, sacro viatico muniri se petijt; quo *Iul.* 31.

allato, se reum, peccatorem maximum, omniumq. primum, ingratum, gehenna tandem dignum, confessus est; sperare nihilominus, vitam (per Dei misericordiam) se consecuturum æternam.

Professus est deinde catholicam fidem, & sanctæ Romanæ Sedi Apostolicæ obedientiam; quam præcipuè suis commendatam voluit. Hæc autem omnia in acta publica redigi curauit. Deinde tanta cum deuotione Sacrosanctum suscepit Viaticum, vt astantium omnium cierit lachrymas. Postmodum suos admonuit, eosque Francisco eius socio in Domino commendauit. Qui, paratum quamuis ad subeundum onus se præberet, idoneum tamen minimè esse cum profiteretur, obsecrauit enixè eundem Ioannem, vt à Domino suis precibus celerem eius decessum obtineret. quod se facturum tandem Vir sanctus spopondit. Benedixit demum suis omnibus præsentibus, & absentibus; consolatus est lugentes; eisque suum pollicitus est apud Dominum patrocinium. Tandem extremæ sacro Vnctionis oleo perunctus, inter astantium, & orantium choros, cum legerentur passionis Christi verba illa: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, requieuit in pace, anno Domini 1367.

Vita ipsius a Pheo Belcbario edita c. 76. & à Paul. Morig. cap. 58. Siluan. Razz. de Sanct. Ethrur. Ferrar. in Catal.

ANNOTATIO.

Testamentum condidit IOANNES; quo statuit vt cadauer eius (rudi inuolutum linteo) super iumentum imponeretur, & sic ad locum sepulturæ, quem elegerat, nempè propè claustrum Monasterij, deferretur.

XIX.

IOANNES (cognomento) de Deo, in extremis positus cum sacram Eucharistiam percipere, præ infirmitate, non posset, eam ad se allatam deuotissimè est veneratus; & postmodum (è lecto exiliens) Crucifixi imaginem, genuflexus, reuerenter

renter est amplexatus. Cumq. diu in huiusmodi amplexu tacitus permansisset, exclamans tandem voce magna: Iesu, Iesu, in manus tuas commendo spiritum meum, spiritum emisit; corpusque eius sic genuflexum remansit.

Franciscus de Castro, Hispanicè, ex quo Io. Franc. Bordin. in vita ipsius à se Italicè reddita cap. 20.

XX.

IOANNES (cognomento) Eleemosynarius, Patriarcha Alexandrinus, morti cum se proximum videret, testamentum huiusmodi suis ministris scribere fecit, nempè: Ioânes seruus, propter eam, quæ superposita est mihi dignitatem Sacerdotij, liber, gratias ago Deus tibi, quoniam exaudisti me pro misera anima mea rogantem bonitatem tuam, ne inueniretur mihi morienti, nisi vna tremissis. Inueniens enim in Episcopio sanctæ Ecclesiæ Alexandrinorum circiter octoginta centinaria auri, & quæ intrauerunt mihi ab amicis Christi, penè numerum trascendentia; in memet mentem colligens, & cognoscens, hæc omnia dominatoris omnium esse, festinaui ea, quæ Dei erant, Deo dare: Vnde & quod remansit mihi hoc tremisse Dei, & hoc iubeo dari his, qui Dei sunt. Cumque hoc testamentum condidisset, in manu Dei viuentis deposuit spiritum, anno Christi 610. *Ian. 23.*

Vit. Patr. lib. 1. scripsit eius res gestas Leont. Episc. Neapolis Cypri; cuius fidei subscribunt Patres in Synodo Nicæna 2. A.7.4. & Io. Damascenus orat. 3. de imaginibus. Easdem Anastas. Bibliothec. latinitate donauit, quæ habentur apud Lippom. t. 2. & Sur. tom. 1. De eo Baron in Annal. tom. 8.

ANNOTATIO.

Cum esset deponendus Ioannes in quadam capsa, in qua erant duo corpora Episcoporum, visa sunt hæc (veluti animata) tribuere cultum sancto Viro; à se enim inuicem seiuncta, corpus ipsius medium acceperunt.

Fuit Cyprius genere, Epiphanij (illius regionis Ducis) filius. Mortis assiduus meditator; cuius vt memoriam iugiter haberet, iussit viuens sibi monumentum extrui; nec ei finem imponi, sed

eos qui præfecti erant operi, cum esset aliquod festum solemne, accedentes in conspectu omnium, apertè dicere; monumentum tuum in hodiernam vsque diem est imperfectum: iube ergo vt finem accipiat. Incertum est enim qua hora mors ingrediatur.

Funerum etiam obsequia sedulò frequentabat: Valde enim dicebat hoc esse proficuum, & sepulchrorum considerationem. Multoties quoque assidebat & his, qui morituri, vexationem in exitu animæ patiebantur: ipseque eorum oculos proprijs manibus claudebat; memoriam ex hoc sempiternam, & sui exitus curam habere volens. Dicebat enim, ad salutem sufficere si assiduè, & dolenter cogitetur, & solicitudo habeatur de morte; de qua, & de exitu animæ disputabat iugiter, his præcipue verbis, quæ habetur l.1.Vit.Patr.c.40. Nempe, Quomodo (humilis IOANNES) transire poteris bestias arundineti, quando obuiabūt tibi exactores? Væh, qualis timor & tremor obtinet animam, tunc rationem ponentem tantis exquisitoribus tam amaris, & immisericordibus! & memorans S.Hilarionis eloquium, quando è vita egressurus erat, dicebat sibi: Si is, qui octoginta annos seruiuit Christo, & mortuos suscitauit, & signa fecit, timuit amaram illam horam, quid habes tu humilis IOANNES dicere, aut facere, quando obuiauerint in faciem tuam crudeles illi, & immisericordes exactores, & inquisitores? Ad quantos poteris rationem reddere? ad eos qui exquirunt de mendacio; ad eos qui de detractione; ad eos qui de crudelitate; ad eos qui de auaritia; ad eos qui de memoria mali; ad eos qui de odio, ad eos qui exquirunt de periurio. & dicebat: Deus tu eos increpa; nam omnis fortitudo hominum eis resistere non valet: Tu Domine da nobis ductores Sanctos Angelos, qui custodiant, & gubernent nos. multus tremor. multum periculum pelagi huius aeris. Si enim de ciuitate in ciuitatem super terram ambulantes, deprecamur eos, qui nobis ductores sunt, ne in præcipitia cadamus, aut in agrestium bestiarum loca; quot ductoribus fortibus, & diuinis custodibus opus habemus, pergentes longa via hac, & æterna; quæ videlicet ex corpore est egressio, & ad cœlum ascensio?

Hæc igitur disserebat Vir sanctus, & istiusmodi erant eius quotidianæ curæ, ac meditationes.

X X I.

Iul. 12. IOANNES Gualbertus, diei mortis suæ præscius, repetebat sæpius verba illa Psal. 41: Sitiuit anima mea ad Deum

viuum;

vium; quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? subdens: Satiabor cum apparuerit gloria tua. Morti proximus, rogatus vt exhortationem aliquam fratribus relinqueret, eam de charitate dictauit, & scribi iussit, pro ædificatione fidelium, imposterum seruandam.

Tertia die antequam obiret, vidit astantem sibi iuuenem (Angelum scilicet eius custodem) quem cum ipse solus cerneret, ait fratribus: quare fratrem illum (talis enim sibi videbatur) non vocastis vobiscum dum comedistis? Cui fratres: de quo dicis Pater? De illo (inquit) pulchro iuuene, qui ad nos venit, & nobiscum moratur ingrediens, & egrediens: at illi: Vnde est? & quo nomine vocatur? Nescitis (ait) quia de monte Domini est, & vocatur Benignus? hoc forsitan dixerat illi Angelus interrogatus, ne mentiretur: vere enim Benignus, & de monte Domini, idest de cœlo erat. Quibus auditis fratres abierunt, & super mensam victum vnius hominis posuerunt. Quo impleto, quieuit Vir Sanctus. Cum ad exitum autem appropinquaret, fecit hæc in Breuiculo scribi, & præcepit in sua manu poni post mortem, sibique consepeliri, nempe: Ego Ioannes credo, & confiteor fidem, quam Sancti Apostoli prædicauerunt, & Sancti Patres in quatuor concilijs confirmauerunt. Demum corporis sacri, & pretiosi sanguinis Christi perceptione munitus, migrauit ad Dominum, anno 1073.

Sur. tom. 4. M.S. Bibl. Vall. Anton. par. 2. tit. 15. cap. 17. Baron. in Annal. tom. 11. Ferrar. in Catal.

ANNOTATIO.

IOANNES hic cum, amore Christi, inimico veniam petenti pepercisset, ingressus Ecclesiam, & genuflexus coram Crucifixi imagine, vidit eiusdem caput ad se inclinari, tanquam sibi gratias agenti; Vnde ea vocatione attractus, reliquit sæculum, & Monasterium petijt: sed cum differrent Monachi, eum, propter Patris metum ac minas, recipere, ipsemet caput sibi totondit, & eiusdem Monachi habitum induit.

Eius familiaritate vsi fuerunt plures Pontifices, præsertim Gregorius Septimus; qui cum soleret ad sacrosancta Missarum solemnia in multa compunctione accedere, & continuis tribus diebus compunctio sibi consueta deesset, in memoriam ei venit nomen, & sanctitas amici sui IOANNIS; quē dum in suum auxilium humiliter inuitasset, mox gratiam eiusdem sanctæ compunctionis, multò largius quàm solebat habere, resumpsit. Idem Pontifex, audita morte ipsius, hortatus fuit Discipulos ad magistri imitationem; deditque ad illos literas, quæ habentur in *Annal. Baron. tom.* 11.

De eodem illud quoque hic annotandum, quod narrant Sur. & Anton. loc. cit. nempe.

Alius quidam nomine Florentius (seu Forentius, vt habet Anton.) qui Simoniaca perfidia valde se contaminauerat, cum grauissimè decumberet, iamiamque moriturum se affirmaret, inter acerbos, mœstosq. luctus, per amicos à B. Io. Gualberto habitū sui ordinis sibi donari petijt. Assensit Vir sanctus & Nouitiorū habitū eū induit; quo induto, cū iam reualuisset, & Scipioni innixus, Monasterium perlustrasset, prior morbi vis eum inuasit; ita vt morti propinquus videretur. Id vbi audiuit IOANNES, ad lectū ægroti cum multis fratribus accessit; cumque à corpore migraturum, Domino commendauit. Aeger autem caput suum pallio, quo erat opertus, texit, & Viro sancto cur id faceret inquirenti, respondit; tremens ac timens: Video Sathanam prope assistere, è cuius ore vasta flamma funditur; & ex naribus fumus prodit sulphureus: Cumque locum, in quo illum cernebat, Viro sancto indicasset, ille ablata, è manu tenentis, Cruce, ea Diabolum egregiè verberauit. Tum ille mox instar fumi euanuit, & ægrotus in has prorupit voces: Gratias Deo. Ecce aufugit Sathan; Ecce recessit. Ecce adest B. Maria, sanctique Petrus, & Benedictus. Quibus dictis spiritum exhalauit.

XXII.

Ian. 11. IOANNES Hortolanus Ord. Min. cum ad vltimum suæ vitæ diem, sibi à Domino reuelatum, peruenisset, visitauit (de more) Ecclesias, quæ erant in Ciuitate; mundauit lampades, & eas instruxit oleo; ornauitque pariter Ecclesiæ suæ altaria; in quorum vno, cereum album posuit: deinde orationi se dedit. Nocte autem sequenti, hora vndecima surgens, ad cellulam Confessarij sui perrexit; rogauitque eum, vt sur-

vt surgeret; lumen accenderet; & ad eum iret, quia hora iam sui discessus aduenerat: cumque hæc dixisset, ad cubile proprium remeauit, sæpius consuetam repetens precatiunculam; Amor meus Iesu adiuua me; Beatissimæ quoque Virginis, ac Sanctorum omnium postulans patrocinium.

Cum venisset autem Confessarius, rogauit eum, vt iret in Ecclesiam, & cereum, quem ante altare B. Virginis collocauerat, ad se afferret, & in cellula dum moreretur arderet. Allato cereo, confessus est peccata sua: cumque absolutionem percepisset, exultans surrexit; in lecto se composuit, easdem verba repetens: Amor meus Iesu adiuua me; Professionem fidei emisit; & accepto cereo accenso in manibus, accepit pariter Crucifixi D. N. Iesu Christi imaginem; ad quam suspirans expirauit.

Chron. S. Francisci par. 3. cap. 9. lib. 3.

XXIII.

IOANNES Hunniades Princeps Hungariæ, vbi adesse extremum vitæ tempus agnouit; volens sacro, ad iter peragendum, Viatico se muniri, non est passus Dominicum Corpus ad se deferri: neque enim dignum existimauit, seruum à Domino visitari. Surrexit igitur è lectulo (quamuis labentibus membris) & cum, deficiente virtute, suis pedibus incedere non posset, in ædem se vehi sacram aliorum manibus iussit; vbi (de more Christiano) sacramentali Confessione peracta, & sacrosancta Eucharistia suscepta, inter Sacerdotum manus, terrena fastidientem animam exhalauit.

Aeneas Siluius hist. Boem. cap. 67. & lib. de Europa cap. 1. Flor. exempl. tom. 3. vbi perperam Rex Hungariæ appellatur.

ANNOTATIO.

Fuerat hic Vir militaris, Turcis tam formidabilis, vt plorantibus pueris, Matres taciturnitatem non aliter imperarent, quàm Hunniadis præsentiam minitantes.

IOAN-

Eius familiaritate vsi fuerunt plures Pontifices, præsertim Gregorius Septimus: qui cum soleret ad sacrosancta Missarum solemnia in multa compunctione accedere, & continuis tribus diebus compunctio sibi consueta deesset, in memoriam ei venit nomen, & sanctitas amici sui IOANNIS; quē dum in suum auxilium humiliter inuitasset, mox gratiam eiusdem sanctæ compunctionis, multò largius quàm solebat habere, resumpsit. Idem Pontifex, audita morte ipsius, hortatus fuit Discipulos ad magistri imitationem; deditque ad illos literas, quæ habentur in *Annal. Baron. tom.* 11.

De eodem illud quoque hic annotandum, quod narrant Sur. & Anton. loc. cit. nempe.

Alius quidam nomine Florentius (seu Forentius, vt habet Anton.) qui Simoniaca perfidia valde se contaminauerat, cum grauissimè decumberet, iamiamque moriturum se affirmaret, inter acerbos, mœstosq. luctus, per amicos à B. Io. Gualberto habitū sui ordinis sibi donari petijt. Assensit Vir sanctus & Nouitiorū habitū eū induit; quo induto, cū iam reualuisset, & Scipioni innixus, Monasterium perlustrasset, prior morbi vis eum inuasit, ita vt morti propinquus videretur. Id vbi audiuit IOANNES, ad lectū ægroti cum multis fratribus accessit; eumque à corpore migraturum, Domino commendauit. Aeger autem caput suum pallio, quo erat opertus, texit, & Viro sancto cur id faceret inquirenti, respondit; tremens ac timens: Video Sathanam propè assistere, è cuius ore vasta flamma funditur; & ex naribus fumus prodit sulphureus: Cumque locum, in quo illum cernebat, Viro sancto indicasset, ille ablata, è manu tenentis, Cruce, ea Diabolum egregiè verberauit. Tum ille mox instar fumi euanuit, & ægrotus in has prorupit voces: Gratias Deo. Ecce aufugit Sathan: Ecce recessit. Ecce adest B. Maria, sanctique Petrus, & Benedictus. Quibus dictis spiritum exhalauit.

XXII.

Ian. 11. IOANNES Hortolanus Ord. Min. cum ad vltimum suæ vitæ diem, sibi à Domino reuelatum, peruenisset, visitauit (de more) Ecclesias, quæ erant in Ciuitate; inundauit lampades, & eas instruxit oleo; ornauitque pariter Ecclesiæ suæ altaria; in quorum vno, cereum album posuit: deinde orationi se dedit. Nocte autem sequenti, hora vndecima surgens, ad cellulam Confessarij sui perrexit; rogauitque eum, vt sur-

vt ſurgeret; lumen accenderet; & ad eum iret, quia hora iam ſui diſceſſus aduenerat. cumque hæc dixiſſet, ad cubile proprium remeauit; ſæpius conſuetam repetens precatiunculam; Amor meus Ieſu adiuua me; Beatiſſimæ quoque Virginis, ac Sanctorum omnium poſtulans patrocinium.

Cum veniſſet autem Confeſſarius, rogauit eum, vt iret in Eccleſiam, & cereum, quem ante altare B. Virginis collocauerat, ad ſe afferret, & in cellula dum moreretur arderet. Allato cereo, confeſſus eſt peccata ſua: cumque abſolutionem percepiſſet, exultans ſurrexit; in lecto ſe compoſuit, eadem verba repetens: Amor meus Ieſu adiuua me; Profeſſionem fidei emiſit; & accepto cereo accenſo in manibus, accepit pariter Crucifixi D. N. Ieſu Chriſti imaginem; ad quam ſuſpirans expirauit.

Chron. S. Franciſci par. 3. cap. 9. lib. 3.

XXIII.

IOANNES Hunniades Princeps Hungariæ, vbi adeſſe extremum vitæ tempus agnouit; volens ſacro, ad iter peragendum, Viatico ſe muniri, non eſt paſſus Dominicum Corpus ad ſe deferri: neque enim dignum exiſtimauit, ſeruum à Domino viſitari. Surrexit igitur è lectulo (quamuis labentibus membris) & cum, deficiente virtute, ſuis pedibus incedere non poſſet, in ædem ſe vehi ſacram aliorum manibus iuſſit; vbi (de more Chriſtiano) ſacramentali Confeſſione peracta, & ſacroſancta Euchariſtia ſuſcepta, inter Sacerdotum manus, terrena faſtidientem animam exhalauit.

Aeneas Siluius hiſt. Boem. cap. 67. & lib. de Europa cap. 1. Flor. exempl. tom. 3. vbi perperam Rex Hungariæ appellatur.

ANNOTATIO.

Fuerat hic Vir militaris, Turcis tam formidabilis, vt plorantibus pueris, Matres taciturnitatem non aliter imperarent, quam Hunniadis præſentiam minitantes.

IOAN-

X X I V.

IOANNES Lucensis Ord. Min. ex familia Bonuisia, infirmitatis, & dolorum cupidus, cum infirmitate vltima corripe retur; gaudens, & exultans: completa sunt (inquit) iam vota mea. Rogauitque fratres, vt sibi patientiæ conseruationem à Domino impetrarent.

Interrogatus à Medico quid vellet, aut concupisceret: nil aliud (respondit) nisi videre Deum meum. iterum quoque ab eodem interrogatus: Nil aliud magis, quàm mortem desiderare, ait. Quousque autem loqui potuit, semper in ore habuit verba illa: Dominus meus, & Deus meus; & ita ad visionem, ac fruitionem dilecti anhelans, tandem eo, quod concupierat est potitus, anno Domini 1471.

Chron. S. Franc. par. 3. cap. 43. l b. 5. I ossinian. hist. Seraph. lib. 1.

X X V.

Mart. 27 IOANNES Monachus Aegyptius cum suis iussisset, vt per tres dies neminem sinerent ad se venire, genibus flexis ad Deum pergens, in oratione consummatus est.

Pallad. Laus. cap. 43. 46. Vit. Patrum par. 1. De eo Niceph. hist. lib. 11. cap. 34.

A N N O T A T I O.

Notissimus hic apud Scriptores ecclesiasticos. De eo etenim (præter supra notatos) Aug. de Ciuit. Dei lib. 5. cap. 26. Cassian. lib. 4. cap. 23. Instit. & collat. 11. cap. 9. & collat. 24. cap. 26. Hieronymus ad Ctesiphontem con. Pelagianos. Rufinus hist. lib. 2. cap. 31. Palladius in Lausiaca, qui eum vidit, eoque familiariter vsus est. ac alij innumeri.

Habitabat IOANNES in Thebaidis partibus, in eremo, quæ adiacet ciuitati Lyco, in rupe quadam ardui montis, cuius ascensus difficilis; aditusque Monasterij eius erat obstructus, & clausus: ita vt à quadragesimo ætatis suæ anno, vsque ad nonagesimum, nullus Monasterium eius intrauerit. Aduenientibus verò, per fenestram se videndum præbebat; & inde eis verbum Dei ad ædificationem, vel responsa reddebat: cellam quidem Hospitalem extrinse-

trinsecus fieri permisit, in qua aduentantes è longinquis Regionibus paululum requiescerent. Ipse verò intrinsecus solus soli Deo vacabat.

Rogatus aliquando à fratre, qui tertiana febri grauissimè vexabatur, vt ab eo curaretur, ait ad eum: rem tibi necessariam cupis abijcere. vt enim corpora nitro, vel alijs huiusmodi lenimentis abluuntur à sordibus; ita animæ à languoribus, alijsque huiusmodi castigationibus purificantur.

Multa & præclara quidem, dicta, gestaque de sancto Viro narrantur, quæ ibi videri poterunt.

XXVI.

IOANNES Monachus S. Eleutherij germanus, ante dies quatuordecim, suum fratribus exitum prædixit: Cumque decrescentes quotidie computaret dies, ante triduum quàm vocaretur ex corpore, febri correptus est. Ad horam verò mortis veniens mysterium Dominici corporis, & sanguinis accepit; vocatisq. fratribus coram se, psallere cæpit: Quibus tamen Antiphonam ipse per semetipsum de semetipso imposuit, dicens: Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino: Hæc porta Domini iusti intrabunt per eam. Cumque coram eo assistentes fratres psallerent, emissa subito, & producta voce clamauit, dicens: Vrse veni. Quod mox vt dixit, eductus è corpore; mortalem vitam finiuit.

Greg. Dial. lib.4. cap.35. vbi pergit de Vrso hæc narrare, videlicet.

Mirati sunt fratres, quia hoc quod moriens frater clamauerat ignorabant. Quo defuncto, in Monasterio facta est magna tristitia. Quarto autem die, quiddam fratribus necessarium fuit, vt ad monasterium aliud longè positum transmitterent. Illuc ergo euntes fratres, omnes eiusdem Monasterij monachos tristes vehementer inuenerunt. Quibus cum dicerent, quid habetis, quod vos in tanto mœrore deprimitis? Responderunt dicentes: loci huius desolutionem gemimus; quia vnus frater, cuius nos vita in hoc Monasterio cõtinebat, hodie quartus est dies, quod ex hac luce subtractus est. Cumque fratres, qui venerant studiosè inquirerent, qualiter

dictus

dictus fuisset, responderunt: Vrsus. qui vocationis eius horam subtiliter inquirentes, ipso in momento cognouerunt exisse de corpore, quo per Ioannem, qui apud eos defunctus est, fuerat vocatus. *Hæc Gregorius*.

XXVII.

IOANNI Monacho in Monasterio S. Gregorij ægrotanti, & ad extremum perducto apparuit Sanctus Andreas Apostolus per nocturnam visionem; & hunc virga tetigit, eique dixit: Surge. ex hac enim molestia modo minimè morieris; sed paratus esto, quia longum tempus hìc facturus non eris. Qui repentè sanatus est. Rem, quam viderat narrauit; sicque per biennium in Dei seruitio, vltra ætatis suæ annos (erat enim adolescens) exhibuit. Euolutis autem duobus annis, cum quidam frater fuisset mortuus, atque in cæmeterio eiusdem Monasterij sepultus; cunctis fratribus, & Gregorio ipso, ab eodem cæmeterio exeuntibus, idem Ioannes (sicut postmodum pallens, & tremens indicauit) solus inuentus, ab eodem fratre, qui sepultus fuerat, de sepulcro vocatus est. Quod mox etiam subsequens finis ostendit. Nam post dies decem correptus febribus, moriendo vocantē est subsecutus. *Greg. Dial. lib. 4. cap. 37.*

XXVIII.

IOANNES Monachus adolescens, statim vt se grauari morbo sensit, totum cor, totam operam ad ea, quæ post mortem sequuntur, conuertit: & licet nondum desperaret de vita, adhuc integro sensu vigente, & ratione animi in nullo diminuta, cuncta quæ de præterita vita sua occurrere potuerunt, integerrimè confessus est. Flebat autem ita de leuibus, ac si de grauissimis peccatis; & quantum poterat, sincerissima ac luctuosa confessione animam, corpusque suum benigno Saluatori affectuosissimè commendabat. Cum in confessione illa, gloriosæ Virginis, casu aliquo, occurrisset memoria, singultus singultibus, fletus fletibus iungebantur; & confessionis continuatio ad illius nomen (cuius se maximè auxilio saluari sperabat) lachrymosæ deuotionis augmento interrumpebatur.

tur. Cum pariter morbi importunitas eum confitentem aliquando vehementius aggrauaret: Sanctæ Spiritus (inquit) auxiliare mihi; & si quid de confessionibus oblitus sum, mihi ad memoriam reuoca. Tandem absolutus, biduò superuixit; quo toto, omni corporis cura abiecta, ad diuinam tandem clementiam inuocandam, totum animum, & quidquid virium habere poterat, contulit; atque in hac mentis intentione diem vitæ suæ vltimum clausit.

Petr. Venerab. lib. 5. epist. 39. ad Abbat. de Rupibus.

XXIX.

IOANNES Mycus Ord. Præd. Hispanus infirmitate vltima, in peruigilio Assumptionis beatissimæ Virginis correptus, noluit prædicationis officium sequenti die prætermittere; quamuis cum concionaretur, deliquium passus, aliorum manibus ad cubile perduci coactus fuerit. Confluentibus autem populis; & ei certatim famulantibus, dicebat ad Dominum: Domine quid est hoc? mercedem in hac vita vis mihi tribuere? Cum autem eius salutem desperassent medici; sibique à fratre quodam hoc relatum esset, gauisus est valde; & pro læto nuncio gratias ei plurimas egit. Munitus igitur diuinis Sacramentis, professionem fidei emisit, multis cum suis, & circunstantium lachrymis. Videns autem fratres plorantes, ait: Hæc est hora, quam semper optaui: Rogate pro me, vt liberer à potestate tenebrarum; eroque in cœlis amicus, & frater amantior quàm fuerim in terris. Dum sibi legerentur meditationes S. Augustini, & alia quædam ad excitandam animæ deuotionem, venit Aloysius Bertrannus nouitiorum Præfectus, nouitios ad eum adducens, vt ab ipso benedicerentur. Quibus (antequam benedictionem impertiret) plurima dedit eis monita salutaria, ad vitæ spiritualis profectum conducéntia, præcipuè verò: Vt perfectam obedientiam superioribus exhiberent: Vt omni diligentia, & obseruantia custodirent Religionis statuta, etiam minima: Vt mulierum conuersationem fugerent; quod instantius eos monuit, *Aug. 31.*

Senis

dicens: Facies mulieris ventus vrens. & : si S.Catharina de Senis veniret de cœlo ad vos visitandum, dicite ei, vt in cœlum reuertatur, & illic eam videbitis. Quamuis graui torqueretur morbo,& præcipue æstu,ac siti;nunquam tamen voluit se tunica exui; nec potu abundanti recreare.

Rogauit fratres,ne eum detinerent; sed sinerent,iter quod valde cupiebat, perficere. Ad exitum igitur optatum properans, præcepit ministro, vt pararet candelam Conuentus (vt aiunt) de Victoria; qua in articulo mortis conceditur morienti indulgentia plenaria: Sed cum pluries eam accendere voluisset minister, credens tunc obiturum, prohibuit eum semper Vir Dei, dicens: Nondum venit hora. Qua tandem veniente, iussit eam accendi; & quia ad Crucifixi Domini nostri pedes mori cupiebat, caput sub eius imaginem habere curauit; ibique spiritum reddidit, anno Domini 1555.

Franc. Didacus hist. Ord. Præd. Prou. Arazon. lib. 1. cap. 59.

X X X.

IOANNES Nauarettus Hispanus Ord. Min. dum iter ad concionandum ageret, à mulo (quem conscenderat) fuit in terram deiectus; ibique collisus, & confractus iacens, vocauit rusticum quempiam prætereuntem, qui suæ professionis fidei, in qua mori gaudebat, testis esset. Deinde per eundem accersiri voluit Presbyterum; cui bis (eadem die) peccata sua confessus est. Demum cum Sacramentum etiam extremæ Vnctionis accepisset, lętus, ac hilaris migrauit ad Dominum, anno salutis 1528. *Chron. S. Franc. par. 3. lib. 9. cap. 21.*

X X X I.

Iun. 22. IOANNES Neapolitanus Episcopus, ad Acquarula dictus, ante diem tertium suæ migrationis retulit clericis suis, vidisse se S.Paulinum, qui fauum mellis candidissimum in manu tenebat, & dixit ei: Frater IOANNES quid hic facis? solue vincula tædiorum tuorum;& iam veni ad nos; hæc enim esca, quam in manu teneo, apud nos satis abundat: Et cum hæc dixisset, amplexatus est eum, & immisit in os eius partem faui illius. Eadem igitur die, quinta scilicet feria in cœna

Domini,

Domini, iuxtà consuetudinem suam remuneratis omnibus clericis, atque pauperibus, Dominicam cœnam incolumis celebrauit; sexta feria Parasceue pariter, orationi vacauit; Sabbato verò hora diei sexta ad Ecclesiam lætus processit, & ascenso tribunali (ex more) populum [a] salutauit; [b] resalutatus à populo, [c] orationem dedit; [d] collecta autem oratione, super altare spiritum exhalauit.

Sur. tom. 3. in vita S. Paulini cap. 8. Habetur eius vita in M.S. Bibl. Vall.

ANNOTATIO.

Obijt quidem post Parasceuen, sed hac die celebratur translatio, de qua in Romano Martyrologio.

[a] Salutare populum ex more, & eiusdem populi [b] resalutatio, idem est quod: Pax vobis, Et cum spiritu tuo. [c] Orationem dare est illud quod ante Orationem præmittitur: Oremus. Tunc enim populus aliquantulum orabat in silentio, & Episcopus postea populi communes preces vnica sua voce recitabat, & Deo offerebat. Idcirco Oratio Ecclesiæ dicitur [d] Collecta. *Baron. in not. eiusdem Martyrol.*

XXXII.

IOANNES de Niuella Canonicus Regularis cum in infirmitatem grauem incidisset, & in agonia constitutus iam esset, eo Vespere (cuius nocte sequenti defunctus est) ecce Vir vagus, & nudus (ex his quos ribaldos vocant) in exteriorem partem domus venit, qua ille interius decumbebat. Rogauit autem vagus de confessione loqui sancto Viro; sed ei responsum est, quod non posset: mœsto autem illo abeunte, ex circunsedentibus quendam aduocat Vir beatus, dicens: reducite illum ad me, quem repulistis. Hoc audito (mirati, & confusi omnes) hominem reduxerunt; qui cum omni diligentia peccata sua confessus est, & absolutione suscepta recessit. Dixit autem omnibus Vir sanctus: nollem pro mille marchis auri me hominem non audisse. Qui quidem vix per quartam Leucæ partem progressus, repentina morte percussus, cecidit in terram defunctus. IOANNES autem paulò post migrauit ad Dominum.

Gesta Pontif. Leodien. tom. 2. cap. 128.

Habet eadem Thom. Cantiprat. in libro Apum 2. cap. 32. Vbi oculatum se testem asserit.

XXXIII.

IOANNES de Penna S. IOANNIS, Ord. Min. cum sibi ab Angelo dies vitæ suæ extremus denunciaretur, quem tandiu optauerat; dareturque sibi pariter in optionem, vellet ne purgatorij pœnas per diem sustinere; vel septem diebus, vitæ præsentis doloribus, & afflictionibus cruciari, elegit potius hic purgari diutius; & statim graui correptus fuit, ac multiplici infirmitate; qua tamen grauior, & molestior fuit Dæmonis tentatio vehementissima; ex ea enim in tantam deuenit animæ amaritudinem, vt in desperationem penè prolaberetur, & se perditum esse existimaret; sicut ei Sathan per ostensionem peccatorum illorum, in quadam charta descriptorũ, suaserat: sed septem transactis diebus, recessit tentator, & accessit Dominus; in cuius manibus maxima perfusus consolatione, obdormiuit.

Chron. S. Francisci par. 2. lib. 2. cap. 25. Tossinian. hist. Seraph. lib. 1.

XXXIV.

Octob. 10. IOANNES Prior Canonicorum Regularium Bridlingtoniensium in Anglia, peste correptus, fratres ad se venientes hortabatur, diuitias contemnere; humilitatem; obedientiam sectari, & statuta monastica, etiam minima, custodire: morbo autem ingrauescente, cilicio ad nudam carnem indutus, quamuis cuperet dissolui, & esse cum Christo hortatu tamen Medici, medicinam ab eo sibi porrectam sumere non recusauit; paulò verò post dicit Cappellano: sentio iam vt medicina morbi vim à corde depulerit; mors nihilominus pro foribus adest. Sic igitur tribus diebus, Beatorum spirituum visitatione, & cœlestibus visionibus crebrius confortatus; adeò vt pro illorum supernorum ciuium reuerentia (quos sibi astare cernebat) pileum sæpius deponeret, eosque hilari vultu salutaret. Tandem ea ipsa hora, quam prædixerat, in manus

Domini ſpiritum tradidit, anno Chriſti 1379. ætatis ſuæ 60. *Sur. tom.* 5.

XXXV.

IOANNES Scalarius de Guaſconia, Ord. Præd. ſcrupulis *Nou.* 3.
permaximè dum viueret, agitatus, ad mortem veniens, Eccleſiæ Sacramentis munitus, in lecto reſedit; & manus cum gaudio extendens, canere cœpit: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, allèluia, alleluia. Fratribus autem (eius iuſſu) idem repetentibus, ſubdidit: Redemiſti me Domine Deus operantem. & hæc dicens, ac deuotiſſimè cantãs, reddidit ſpiritum, anno Domini 1272.

Chronic. Dominic. par. 1. *lib.* 3. *cap.* 8.

ANNOTATIO.

Magnam reliquit IOANNES fratribus materiã conſiderandi verba illa: Operantem; quibus quidem, fateri voluit, operum neceſſitatem opus eſſe fidelibus Chriſti; cuius redemptio non communicatur ocioſis, & negligentibus; ſed in vinea ſua operantibus.

XXXVI.

IONATHAS Antiochenus latro peſſimus, cum ſe perſequentes fugeret, ingreſſus eſt monaſterium S. Simeonis Stylitæ ſenioris; amplexatuſque columnam, cæpit ibi amariſſimè flere. Interrogatus autem à Simeone quis eſſet? cur illuc veniſſet? Reſpondit: Ego ſum Ionathas latro, qui omnia mala feci; veni, hìc pœnitere. Ait itaque ſenex: talium eſt regnum cœlorum; ſed ne velis me tentare, ne iterum inueniaris in ſceleribus ipſis, quæ reliquiſti. Hæc eo loquente, ecce Officiales, qui eum inſequebantur, adueniunt, & requirunt eum à Simeone dicentes: trade nobis inimicum, & maleficum, ne ſubitò commoueatur ciuitas in ſeditionem: beſtiæ enim paratæ iam ſunt ad deuorandum illum. Reſpondit autem eis Simeon dicens: filioli mei, ego non adduxi eum huc: qui adduxit eum maior nobis eſt, & iſtis talibus ſubuenit; etenim talium eſt Regnum cœlorum: Si poteſtis igitur intrare, rapite eum hinc; ego quidem non poſſum; quia

timeo eum, qui misit illum ad me. Audientes autem hæc viri illi, regressi sunt cum timore magno: sed Ionathas per septem dies amplexans, & tenens columnam, ijs transactis dixit B. Simeoni: Domine (si iubes) ambulare volo. Respondit ei Simeon: iterum in ipsa mala festinas? Dixit illi Ionathas: Non Domine: sed tempus meum impletum est. & sic loquẽs cum eo, reddidit spiritum. Volentibus verò eum sepelire iuxtà Monasterium, ecce alij Officiales venerunt ab Antiochia; & cœperunt clamare, ac dicere: Da nobis inimicum nostrum; omnis enim ciuitas turbata est propter illum. Respondit autem Simeon: qui illum adduxit, venit cum multitudine cœlestis militiæ; qui potens est in tartarum mittere ciuitatem vestram cum habitantibus in ea: qui etiam hunc reconciliauit sibi; & ego timui, ne subitò occideret me. Ne ergo amplius fatigetis me humilem, & pauperem.

Vit. Patr. lib. 1. *in* Simeone *Stylite cap.* 15.

XXXVII.

IOSBERTVS Vir nobilis, & S. Bernardi Clareuallensis cognatus, morbo graui correptus, obmutuit subitò; nec peccata confiteri, aut Viaticum sacrum sumere valuit. Quod cum nunciatum esset S. Bernardo absenti, diuertit illicò sanctus ad Ecclesiam quandam, & pro eo (agente tunc animam) obtulit salutarem hostiam. Eadem autem hora (in se rediẽs) IOSBERTVS loqui cæpit, & peccata sua cũ lachrymis enunciare. Sed (vt diligenter probatum est) vbi Vir sanctus Sacrificium consummauit, ille rursus obmutuit. Veniens igitur (peracto sacrificio) Bernardus ad morientem, & rogatus enixè ab astantibus, vt pro eo oraret, dixit illis: Scitis quanta mala fecerit homo iste, & quanta abstulerit: reddat ablata, & consuetudines prauas super pauperes vsurpatas abneget, tàm ipsè, quàm filius, & familia sua; & christiano more morietur. Factum est, quod præcepit sanctus, & protinus secutum est, quod promisit. Solutum est enim vinculum linguæ eius, & confessus est cum gemitibus, & lachrymis peccata sua, magna cum deuotione, manus Bernardi interim exoscu-

lans;

lans; & ſumpto ſacro Viatico, ac peractis omnibus,quæ eum facere oportebat, ſequenti nocte obdormiuit in Domino.

Sur.tom.4. in vit. S.Bernardi lib.1. cap.9.

IOSEPH *vide ſupra* HERMANNVS.

XXXVIII.

ISIDORVS Archiepiſcopus Hiſpalenſis cum, ægritudine aſſiduè fatigatũ corpus, & finem ſuum iam proſpiceret, eleemoſynam quotidianis diebus, per ſex penè menſes, ſeu amplius, vberiorem ſolito,pauperibus erogari voluit. Dumque febris in corpore conualeſceret, & cibum reijceret debilitatus ſtomachus, ſuos Coëpiſcopos (Ioannem ſcilicet & Aparcium) accerſiuit; ſeque cum illis à cellula ſua ad Baſilicam S.Vincentij Mart. adduci voluit. Ibi iuxtà altaris cancellum, in medio poſitus choro, mulierum turbas, quæ cum reliquo populo ciuitatis eum ſecutæ fuerant,longius ſtare præcepit; vt in accipiendo ipſe pœnitentiam, virorum tantum,non illarum circa eum cerneretur præſentia. Tum à præfatis Sacerdotibus, ab vno cilicium, ab altero ſuper ſe cinerem poni popoſcit;deinde,expanſis in cœlum manibus,ita exorſus eſt. *Apr.4.*

Tu Deus, qui noſti corda hominum; & Publicano longe poſito, dum pectus percuteret ſuum, dimittere peccata dignatus es: Qui Lazarum dormientẽ,de monumento,poſt reſolutionẽ carnis,die quarta dignatus es reſuſcitare,& vt Abrahæ Patriarchæ ſinus eum reciperet, voluiſti; ſuſcipe in hac hora confeſſionem meam; & peccata, quæ innumerabiliter contraxi, ab oculis aufer tuis: Ne reminiſcaris mala mea, & iuuentutis delicta ne memineris. Tu Domine non poſuiſti pœnitentiam iuſtis, qui non peccauerunt tibi; ſed mihi peccatori,qui peccaui ſuper numerum arenæ maris. Non inueniat in me hoſtis antiquus quod puniat. Tu ſcis, quia poſtquam infelix ad onus iſtud, potius quàm ad honorem, in hãc ſanctiſſimam Eccleſiam indignè perueni, peccare nunquam finiui; ſed vt iniquè agerem laboraui. Et quia tu dixiſti,in quacunque hora peccator à vijs ſuis reuerterit,omnes iniquitates ſuas traderes obliuioni,huius præcepti memor ſum tui.

Clamo vtique cum ſpe, & fiducia ad te, cuius cœlos aſpicere non ſum dignus præ multitudine peccatorum, quæ conuerſantur in me. Adeſto, & ſuſcipe orationem meam; & mihi peccatori dona veniam poſtulatam. Quod ſi cœli non ſunt mundi in conſpectu tuo, quantò magis ego homo, qui bibi quaſi aquas iniquitatem, & ſumpſi vt * coloſtra peccatum?

His dictis, corpus, & ſanguinem Domini (cum profundò gemitu cordis) ab ipſis ſuſcepit Pontificibus. Deinde eorundem Sacerdotum, & quicunque de clero erant, ciuium, cunctarumque plebium, veniam precatus eſt, dicens: Deprecor vos ſanctiſſimi DD. mei Sacerdotes, ſanctamq. congregationem Clericorum, & populi, vt pro me infelici, & pleno omni ſorde peccati ad Dominũ veſtra porrigatur oratio; vt qui meo merito, Dei non ſum dignus impetrare clementiam, interceſſu veſtro merear conſequi meorum veniam delictorum. Dimittite mi hi obſecro indigno, quod in vnumquenque commiſi veſtrum: Dimittite nunc petenti, immò, & pœnitenti. Dumque vna voce omnes pro eo indulgentiam poſtulaſſent, circunſtantes iterum admonuit, & adhortatus eſt ad charitatem. Deinde cum reſiduam egenis, & pauperibus dari iuſſiſſet pecuniam, voluit ſe ab omnibus oſculari dicens: ſi ex toto corde dimiſeritis ea, quæ in vos aduerſa, vel praua vſque hactenus intuli, dimittet vobis Creator omnipotens omnia delicta veſtra; ita vt ſacri fontis vnda, quam hodie deuotus eſt populus percepturus (erat enim ea die Baptiſmus ſolemnis Cathecumenorum) ſit vobis in remiſſionem peccatorum; & hoc oſculum inter me & vos, maneat in teſtimonium futurorum.

His omnibus cõpletis, ad cellulã reductus eſt; & poſt diem quartum confeſſionis, & pœnitentiæ, finem ſuum conſummauit in pace, anno Domini 636.

Redemptus Clericus in initio operum eiuſdem Iſidori. Sur. tom. 2. ex S. Braulio Epiſcopo Cæſaraug. Baron. in Annal. t. 8. vbi tamen eum obijſſe in Eccleſia aſſerit.

ANNO-

ANNOTATIO.

[a] Colostra. idest, lac recens. Dictus est hic ISIDORVS iunior, ad differentiam senioris, S. Augustino & Paulo Orosio æqualis. Habetur infra eiusdem ISIDORI oratio, seu confessio (lectu quidem digna) quam satius duxi, in operis fine, cum alijs similibus seorsum collectis, apponere.

XXXIX.

IVANVS filius Gestimuli Regis Croatiæ, cum in quadam Boemiæ solitudine vitam ageret, morti proximus, à Paulo quodam Sacerdote, quem S. Ludmilla in somnis admonita ad eum miserat, confessionem sacramentalem, sacram Communionem, & sepulturam obtinuit; vti semper hæc omnia precatus à Deo fuerat. Obijt enim, eodem Sacerdote præsente, & ipsa die S. Ioannis Baptistæ, patroni sui præcipui; à quo, cum iam, post multa cum Dæmone certamina, fugere è loco decreuisset, Cruce donatus fuerat, qua spiritus malignos exinde exturbauerat. *Iun. 24.*

Greg. Bartold. in Boemia pia lib. 4. num. 50.

XL.

IVVENTIVS Episcopus Ticinensis, cum in basilica beati Nazarij, quam ipse construxerat, pernoctaret in orationibus, apparuerunt sibi, circa mediæ noctis silentium, SS. Cyrus (eius prædecessor) Nazarius, Celsus, Protasius, atque Geruasius, & dixerunt ei: Iuuenti dilectissime iam te oportet gaudere nobiscum in cœlestibus; ac scias te proximè ad nostra consortia transiturum, atque tertium post hunc diem, aulam cœlestis patriæ percepturum. Quibus dictis, recesserũt. Ipse verò perfusus gaudio, intra Ecclesiam biduò permansit. Tertia autem die (quæ fuit Dominicæ Resurrectionis) Missarum solemnijs celebratis, omnibus benedixit, & euolauit in cœlum. *Febr. 8. Sept. 12.*

Sur. tom. 5. Mombrit. tom. 2. De eo Petr. in Catal. lib. 8. cap. 68.

X L I.

IVLIA Monialis, magiſtra Euphraſiæ (de qua ſupra) cum eandem Euphraſiam decedentem rogaſſet, ne ſui immemor eſſet; ſibique à Domino obtineret, ne vnquam ab ea ſepararetur; ea defuncta, triduò flens, ab eius monumento non receſſit; quarto autem die repentè exhilarata dixit Abbatiſſæ: ora pro me Domina, quia vocat me Chriſtus, Euphraſia pro me peccatrice intercedente. Quibus dictis, oſculata eſt ſorores omnes, eis valedicens, & ſequenti die læta migrauit ad Dominum.

Vit. Patr. lib.1. cap.33.

X L I I.

Iun.19. IVLIANA Virgo ex nobili familia Falconeria Florentiæ orta; cum ex aſſidua ieiunandi conſuetudine, aſſiduiſque vigilijs difficillimum ſtomachi morbum contraxiſſet adeò, vt iam acceptum cibum retinere non poſſet, læta nihilominus erga omnes, & ad paradiſi gaudia aſpirans, quærula nulla promebat verba; illud tantum maximè dolens, quod cœleſti refici Viatico non daretur. Cumque morti proxima ad ſe Euchariſtiam ſanctiſſimam, vt illam veneraretur, afferri poſtulaſſet; eaque pectori ſuo, vt ipſa petierat poſt humillimam, & non abſque ſingultibus, adorationem, à Sacerdote fuiſſet admota, miranda res! & ipſa mox ridens expirauit, & ſimul ſanctiſſima Euchariſtia diſparuit. migrauit autem 19. Iunij, anno Domini 1341.

Ferrar. in Catal. hac ipſa die ex monum. Cænob. Annuntiatæ eiuſdem ciuitatis (vbi religioſè colitur, & caput eius in vaſe aureo aſſeruatum fideles venerantur) & ex Chron. Ord. Seru. ac peruetuſto illius epitaphio.

X L I I I.

IVLIANVS Fauentinus Ord. Præd. in infirmitate poſitus interrogauit Priorem domus de ſtatu ſuo; cui cum reſpondiſſet Prior, mortem ſibi imminere, ſtatim exhilaratus, facie, manibus, ac toto corpore plaudens, clamare cœpit: iucundum audiui nuncium fratres: breui extra corpus egreſſura eſt

anima mea,& beatas cœli ſedes aditura: Gaudete mecum, quia multa ſuperabundo lætitia; & eleuatis oculis, ac manibus in cœlum, orauit dicens: Educ de carcere Domine animam meam: Veni ò Domine Ieſu, & noli tardare: ecquid animam hanc miſellam ex hoc corpuſculo non educis? Inde, leui ſomno obdormiens, audiuit beatum Euangeliſtam Marcum ad ſe venientem; vocem quoque audiuit Marco dicentem: quid vis, & quid hic agis ò Marce? audiuit pariter ipſum reſpondentem: Ad morientem iſtum veni: Nam cum ſpecialem in me deuotionem habuerit; & locum vbi corpus meum quieſcit, multa pietate,ac reuerentia viſitauerit,ſciens miniſterium eius Domino acceptum fuiſſe, veni eum in hora ſui exitus viſitare. viditque alios albis indutos veſtibus, qui totam domum repleuerant, vt eius animam ſuſcipiētes, eam Domino præſentarent. Euigilans autem, hæc omnia Priori narrauit,qui toto corde Deum precatus,vt aures ſuas & oculos aperiret ad videndum mirabilia, audiuit & ipſe cantus, & melodias cœleſtes: viditque pariter albatos, animam in cœlum deferentes Iuliani,qui tunc ſummo gaudio emigrauerat, anno Domini 1241.

Chron.Dominic. Par.1. lib.2. cap.22. M.S. Bibl. Vall. ex tabul.Eccl. Fauentinæ.

X L I V.

IVO Presbyter in Britannia,mortis ſuæ, diuina reuelatione, præſcius, quando ſe debilitatum ſenſit, nullum adhiberi voluit corpori remedium; ſed humi cubans, nonnullis ſubſtratis paleis,conuerſus ad Crucis imaginem(quam perpetuò in ſuo aſſeruabat cubiculo) cum ſuſpirijs, & lachrymis agonem ſuum Domino commendauit. Eccleſiaſticis Sacramentis munitus, Crucis ſigno ſe ſe conſignauit; & deinceps nihil amplius locutus eſt; ſicque tota nocte oculis apertis,& in Crucis imaginem defixis, tacitus iacuit, orauit, & illuceſcente die expirauit. *Maij 19.*

Sur.tom.3. Petr. in Catal. lib.5. cap.21. habetur etiam eius vita impreſſa Romæ 1581. De eo Toſſin. Seraph.hiſt. lib.1.

IVT-


X L V.

Maij 5. IVTTA Pruthena vidua infirmitate correpta, sæpius hæc verba repetebat: O quam multum prodest, ad quæuis à Deo impetranda, aduersa valetudo, miseria, & paupertas læta, his qui confidunt in Domino! Tertiò in eadem infirmitate Christum Dominum cum Angelis multis, multisque sanctis sibi apparentem vidit, qui eam his verbis ad se inuitauit: Veni iam ò famula mea in Regnum meum. Heiderico igitur Episcopo confessario suo accersito, primum sibi ab eo Passionem Domini nostri Iesu Christi legi petijt; deinde viuificis Sacramentis communiri. Quibus magna cum deuotione susceptis, omnibus astantibus valedicens, animam puram in manus Creatoris sui commendans, læta migrauit ad Dominum, anno salutis 1260. ætatis 40.

Mart. Baron. ex script. rerum Polon. & Monum. Eccl. Cathedr. Chelmzens. Vbi corpus eius requiescit.

ANNOTATIO.

Plurimum fuit hæc sancta mulier pietatis operibus addicta; cumque ob id à suis ludibrio, ac despectui haberetur, apparuit ei Christus Dominus dicens: Omnia mea tua sunt, & tua mea: Quibus verbis recreata, eiusdem operibus pietatis, & pauperum præcipuè obsequio, ardentius se addixit, Ægrotis charitate sedula ministrando, leprosorumque corpora iugiter lauando, atque curando.



LAM-

I.



AMBERTVS Episcopus Venciensis,& Insulæ Cirenen. monachus, appropinquante suæ resolutionis tempore, mentem, ac spiritum ab orationis intentione non relaxabat. Concurrente autem ad eum visitationis gratia, ex vicinis ciuitatibus, & castellis, virorũ ac mulierum innumerabili multitudine, cuidam mulieri longius manenti (quæ per quinquennium cæca extiterat) visum est per somnium, se quoque ante sanctum virum assistere, & per tactum illius manus, visum recipere: Cuius visionis non immemor, quantocyus potuit, ad locum vbi erat, perrexit; & ingressa deprecabatur obnixius, vt eam benediceret. Dum igitur eam benedixisset eleuata manu, apprehendit eam mulier; eaque osculata, oculos suos tetigit, & statim visum recepit. May 26.

Morti iam proximus audiuit cœmentarios in Ecclesia tundentes lapidem: cumque interrogaret, quid ageretur, dictum est ei à circunstantibus, quod sepulcrum, in quo ponendus esset, pararetur. tùm rogauit eos, vt se adiuuarent, & ad videndum illud ducerent: Quod cum factum esset, eleuata manu benedixit illud, & signauit. Postmodum ad lectulum reuersus, quieuit aliquantulum; ordinauitque (duobus Episcopis, & Cleri, ac populi numerosa multitudine circunstantibus) quæ ad eum pertinebant. Tandem in extremis positus, cum interrogaretur quomodo se haberet, respondit: benè me habeo; & bona Domini in terra viuentium me visurum credo. quibus verbis Deo spiritũ reddidit 26. Maij, 1154

Chron. Lerinen. ex Tabul. Eccl. Vencien. De eo Baron. in Annal. tom. 12.

II.

LANDELINVS Abbas, leui quamuis febricula correptus, mortem nihilominus propinquam agnoscens, aduocauit vndique fratres; quos vt lachrymantes vidit, lachrymabundus & ipse, est allocutus dicens: ne quæso vos (charissimi fratres) Iun. 15.

tres)

tres) decessus meus mœrore afficiat: Planè non deerit vobis pastor æternus, Dominus omnium Iesus Christus, si eius amori inhærere studueritis. Seruite ergo ei in timore, & exultate ei cum tremore: Nulla vobis nocere poterit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Quibus dictis, in cinere, & cilicio iacens, eisdem astantibus, animam Christo reddidit, circa annum Domini 660.

Sur. tom. 3. Molan. in addit. ad Vsuard. Trith. de Vir. Ill. Ord. S. Bened. cap. 100. De eo Baron. in Annal. tom. 8.

III.

Iun. 23. LANFRANCVS Episcopus Papiensis infirmitate correptus ad Monachorum cænobium se contulit, & accersito Monasterij patre, vt sibi, tanquam vni de fratribus suis infirmis, visitatio fieret, ab eo solicitè impetrauit. Cumque fratres cum Cruce, & aqua benedicta, accensis cereis, cuncta ex more prosequentes, sibi assisterent, talibus eos est allocutus verbis: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam moriar; Eucharistiam intelligens; quam subindè petijt, ac suscepit. Præcepit postea sibi Monastici habitus indumenta fieri, quatenus à Pontificali solicitudine absolutus, ea indueret; seque iugo obedientiæ (sicut statuerat) subiugaret.

Significauit quoque Abbati imminentem sui obitus diem, quem prænouerat; eundemque propensius exorauit, vt sibi sepulcrum parari præciperet. Die autem quadam, cum languor ingrauesceret & resolutionis tempus instaret, de domo hospitum, ad infirmorum voluit pergere domum; veniensque ad eam claustri partem, in qua eius sepulcrum parabatur, substitit; & vtrum perfectum esset, requisiuit: cumq. frater (à quo sciscitauerat) imperfectum adhuc assereret, exprobrans illorum negligentiã vir sanctus, & operis exhorrens dilationem, infremuit spiritu, &: Quare (ait) mihi sepulcrum condere distulistis? Ingressus dictam domum, cœperunt singula illius membra resolui; conuocatisque ad se fratribus, ab eis cum omni deuotione extremæ Vnctionis Sacramentum

mentum poſtulauit. Quo ſuſcepto, cum (iuxtà morem) ſibi officium fieret, ſedulus ipſe cum alijs reſpondebat. Allata Cruce, quam poſtulauit, Crucifixi D. N. pedes cum lachrymis deoſculabatur. Cum autem hora tranſitus aduenisset, ſanctum Syrum inuocauit, dicens: Glorioſe confeſſor beate Syre, roga Dominum Ieſum Chriſtum, vt dignetur accipere ſpiritum meum. Nec multò poſt migrauit ad Dominum anno 1194.

Ferrar. in Catal. ex vita à S. Bernardo eius ſucceſſore ſcripta M.S. Bibl. Vall.

IV.

LAVRENTIVS Epiſcopus Dublinenſis, ſub mortem Sacramento Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ munitus, accerſiri fecit Abbatem, & fratres eius loci, in quo decumbebat; ſeque in eorum collegium, & fraternitatem recipi poſtulauit. Percepta deinde extrema Vnctione, cum de faciendo teſtamento admoneretur, reſpondit: Nouit Dominus, mihi ne nummum quidem ſub ſole relictum eſſe (quidquid enim ad manum habere potuerat, in cœleſtes tranſmiſerat theſauros) tandem indeſinenter Domino gemitus, & ſuſpiria pœnitentis offerens; menteque, & ore illud Pſal. 56. Reuoluens: Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea, confidenter in manus Domini reddidit ſpiritum, anno ſalutis 1181. *Nou. 14.*

Sur. tom. 6. De eo Baron. in Annal. tom. 12.

ANNOTATIO.

Cantuariam cum veniſſet aliquando LAVRENTIVS, volens ad altare S. Thomæ Martyris (in cuius Eccleſia, deuotionis ergo pernoctauerat) ſacrum celebrare. Quidam fatuus audiens eum virum ſanctum, & religioſum eſſe, ſimplici ſua fatuitate ſibi perſuaſit, ſe piè facturum, ſi tam beatum virum, S. Thomæ redderet Martyrio parem. Mox igitur fuſtem ingentem arripuit, & per medium irruens populum, in B. Antiſtitem, totis viribus eum in capite percuſſit. Ille verò ſtatim corruit ad cornu altaris, grauiter vulneratus; At poſt breuem morulam, leuato capite, dari ſibi

aquam

aquam in vasculo postulauit; & super eam dicens orationem Dominicam, eamque benedicens, signo sanctæ Crucis imposito, lauari vulnus capitis imperauit. Quo facto, cessauit sanguinis fluxus, & protinus vulnus sanatum est. sicque (sanus effectus) inchoata Missarum perfecit solemnia. *Idem Sur. cap.* 19.

V.

Ianu. 8. LAVRENTIVS Iustinianus Patriarcha Venetus, cupiens dissolui, & esse cum Christo, dicebat sæpius: Quàm libenter abirem, si Domino placeret: veruntamen ò bone Iesu, obsequi non debes voluntati meæ, sed vtilitati populi tui. Febri tandem correptus, videns lectum sibi parari, indignanti similis, ait: mihi ne plumam paratis? Qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt: Non in pluma Dominus meus, sed in durissimo ligno cubauit. Vnde coacti sunt eius discipuli ad propriam, & consuetam mattam inter brachia eum deferre.

Videns item circa se ministrantium studium, compunctus animo dixit: en quanta ob huius sacci vilis parantur sanitatem! Quanta perduntur, cum interea pauperes Christi non panem, non stratum, non ignem habeant, vbi calefiant.

Intelligens suæ migrationis aduenisse iam diem: Propè est (inquit) sponsus, eundum ei obuiam; & sublatis in cœlum oculis, ait: venio ad te ò bone Iesu.

Inter timorem autem, & fiduciam incedens, cum fiducia metuebat, nec sine timore confidebat. Vnde dicenti sibi: quàm læto animo migrare debes, ò Pater, cui parata est palma cœlorum! Respondit: Decerni (fili) fortibus solet hæc palma, non ignauis, meique similibus. Cum autem lachrymantes videret suos, dixit: Abite hinc cum vestris lachrymis; tempus lætitiæ est, non lachrymarum.

Sacramenta, quibus suum muniret exitum, suscepturus, ad sacellum inter discipulorum manus deferri postulauit, & humero sui lachrymantis discipuli innixus: Quid ploras (ait) Bernarde fili? Da mihi dexteram; quam cum tenuisset ambabus manibus: Confide (subdidit) & bono esto animo; nunquam enim te deseram. Marcello quoque, suo intimo familiari, pariter ploranti, dixit: Nihil est, quod de meo discessu

cuncteris

cuncteris: ego quidem præcedo; tu verò hoc Paſchate meis in cœlo frueris amplexibus. Quod & contigit. Hieronymo autem, diſcipulo item ſuo, infirmanti, & omni medicorum ſpe iam deſtituto, infirmus ipſe, & moriens reddidit ſanitatē.

Sacramentis munitus, teſtamentum facere voluit; non vt ſuppellectilem, aut alia aliquibus legaret bona (cum nec vllum omninò poſſideret librum; quamuis quotidiè legeret, aut ſcriberet) ſed vt in eo, nulla pompa ad ſuum ſe Monaſterium efferri, iubere poſſet. Suſcepta deinde Olei ſancti extrema vnctione, ſermonem aſtantibus de mortis vtilitate, ac de cœleſti vita habuit in hæc verba, à vitæ eius auctore tunc præſente, pro viribus (vt aſſerit) excepta. Videlicet.

Videtis ò filij horam meam adueniſſe. Benedictus Deus, qui eam tandem aduenire voluit, cum nulla ſit alia via, quæ ducat in cœlum. Ille enim venit nobis via, veritas, & vita, vt eiectis de Paradiſo miſeris exulibus, viam ſignaret in patriam redeundi. Si enim in hac vita tantum ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus: ſed abſit à nobis tam ſtulta cogitatio. Quid enim vita hæc, niſi lanugo quædam, & veluti memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis? Chriſtus pro nobis mortuus eſt primitiæ dormientium: pudeat nos mortem timere, cum Dominus noſter propter nos mori voluerit. Hunc diem ſemper ante oculos habui. Tu ſcis Domine. Quanquam dum vitam meam conſidero, confuſio ſit mihi potius appellanda, quàm vita. Sed in ſpiritu humilitatis ſuſcipe me bone Ieſu, vita, & ſalus animæ meæ. Neque enim in iuſtificationibus meis proſterno preces meas ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Illa ego ouis amiſſa ad te Paſtorem redeo. Vocem tuam noui, non alienorum. Peto Domine vt ad ouile me reducas. Poteſne ſpernere vocem clamantis, & confugientis ad te? Nonne tu ille, qui dixiſti: Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione? Ecce clamo plus corde, quàm ore, Domine. Ecce tribulatio proxima eſt, & non eſt qui eripiat, niſi tu bone Ieſu. Sed neque felicium ſpirituum ſedes af-

fectare ausim, qui speciem intuentur sanctissimæ Trinitatis: Portio tamen aliqua creaturæ tuæ postulat micas suauissimæ mensæ tuæ: Nimium mihi fuerit & (heu) quam nimium, si subtus calceos infimi electi tui loculum aliquem huic pusillo tuo seruulo non negaueris. Conuersus deinde ad astantes: Vos interea (inquit) fratres seruate Domini præcepta: omnis enim caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Contemplamini me. Ecce aruit fœnum, & flos eius cecidit. Horam hanc quis poterit euadere? Sed mihi credite filij, nihil est præstantius, quam seruire Deo. Hæc cum dixisset sublato paulisper brachio, astantibus, Crucis signo benedixit, dicens: Benedicat vobis Dominus Iesus (fratres & viscera mea) & benedicat filijs meis, qui absunt, quos in Domino parturij: Det vobis cor vt colatis eum; aperiat animum in lege sua; nec vos deserat in tempore malo. Tandem, cum etiam Principi, ac Senatui, totique populo pariter benedixisset, claudere paulatim cœpit oculos, facie quadam hilariori; & membra omnia explicare, quasi de labore ad requiem transiturus. & sic, Angelorum comitatus cętibus, migrauit ad Dominum, anno salutis circiter 1410. ætatis 74.

Sur. tom. 1. Habetur eius offic. in M. S. Bibl. Vall. Vbi eius vita fusius.

ANNOTATIO.

Plurima habentur in LAVRENTII vita notatu digna, & plures quidem aureæ sententiæ, sed præcipuè sequentes.

Paupertatis donum quantum sit, neminem nosse, nisi qui secreto cubiculi, & contemplatione delectatur.

Consultò Deum gratiam Religionis hominibus occultasse: nam si cognosceretur illius felicitas, omnes ad eam currerent.

Neminem benè scire, quid sit humilitas: in nullo enim tam falli homines, quàm in vera humilitate dignoscenda. & rursus de eadem.

Humilitatem esse torrenti similem, qui æstate prosperitatis tenuior, hieme tribulationis abundantior est.

Veram scientiā esse, scire hæc duo, Deum esse omnia, & se nihil.

LAVNO-

V I.

LAVNOMARVS Abbas Corbionensis, in Pago Dorcasino, sciens propinquum esse vitæ suæ terminum (iam grandæuus) ad Carnotensem vrbem, ab Episcopo accersitus, properauit: Vbi febri correptus videns plorantem eundem Episcopum, & de suo instante obitu dolentem, consolatus est eũ his verbis: Cessa à lachrymis Pater Beatissime: Hæc est rerum conditio humanarũ; hanc vitæ metam prætergredi nemo potest: Ego quidem lætissimo animo ineffabilem Dei mei misericordiã appello, vt ianuam pietatis suæ mihi velit patefacere: & subinde ad Dominum conuersus ait: Quàm sunt enim dilecta Tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini, quia melior est dies vna in atrijs tuis super millia: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? Domine spes, & fortitudo mea, vita mea, & salus mea. *Ianu.19.*

Prædixit deinde futuras clades, & eiusdem Episcopi mortem antequam eas videret; sicque obitum suum intrepidus expectans, ad cœnam nuptiarum agni tandem vocatus abijt, circa annum Domini 570.

Sur. tom. 1. Molan. in Addit. ad Vsuard. Baron. in Annal. tom. 7.

ANNOTATIO.

Illud de tanto viro non omittendum, quod narrat idem Surius his verbis. Vir quidam ad extrema perductus, dum mortis angoribus premeretur, misit ad LAVNOMARVM solidos quadraginta, obnixè eum rogans, vt ipsi iam in supremo constituto spiritu, vellet opitulari; & suis precibus efficere, vt sanitas ipsi præstaretur. Illam autem pecuniam Vir sanctus prorsus recipere noluit: attamen (vrgente latore) tandem accepit illam quidem; sed ingressus Oratorium, fudit preces ad Dominum, vt accepta foret in conspectu illius oblatio hominis; imponensq. altari pecuniam, & manu reuersans, crebròque flectens genua, & orans Dominum; ad extremum non nisi vnum ex omnibus sibi retinuit solidum, quem per spiritum cognouit non rapina, sed iure partum esse, reliquos

liquos autem restituens illi, qui eos attulerat, ait: hæc pecunia per iniquitatem conflata est; nec potest mutare sententiam Dei; nec vitæ spatia producere; nec peccatorum veniam impetrare. Scriptum est enim (Prouerb. 15.) Victimæ impiorũ abominabiles Domino; vota Iustorum placabilia. Celeriter ergo annuncia Domino tuo, vt pro animæ suæ salute sit solicitus; iniusteq. alijs ablata restituat: Noueritque, hoc morbo vitam se amissurum temporariam. Nos verò (Christo propitio) donis omnibus abundamus; nec quidquam nobis (in Christum firmiter credentibus) poterit deesse. Dominus tecum sit (fili) vade in pace. Abijt autem ille (his auditis) ad Dominum suum, quem tum quidem adhuc viuentem reperit, sed idem tamen, inualescente morbo, excessit è viuis.

VII.

Ian. 18. LEOBARDVS Reclusus, cum ieiunij austeritate confectus, labore confractus, & oratione indesinenti debilitatus, cæpisset paulatim corporis firmitate destitui, aduocari fecit Gregorium Turonensem sibi familiaritate coniunctum; cui post Eulogias ab eo flagitatas, & acceptas, sui transitus diem breui aduenturũ denunciauit. Eo autem adueniente vocauit ministrum suum, & ait illi: præpara quiddam cibi, quod accipiam. Illo autem respondente: præsto est Domine, subdidit: egredere foras, & aspice si iam celebratis solemnijs populus egrederetur (hoc autem dicebat, non quod cibum capere vellet, sed vt transitus sui nullus adesset testis) Ille igitur egressus, ac postmodum reuersus, inuenit virum Dei, extensum corpore, clausis oculis, spiritum exhalasse, circa annum Domini 583.

Greg. Tur. in lib. SS. Patr. cap. vlt. ex quo Sur. t. 1. Lipp. t. 8.

VIII.

Dec. 9. LEOCADIA virgo Toletana, dira carceris custodia macerata, cum grauissimos B. Eulaliæ, & reliquorum Martyrum, qui à Daciano interficiebantur, audisset cruciatus, genibus in oratione positis ante Crucem (quam ipsa digitis in lapide durissimo impresserat) impollutum Christo spiritum reddidit.

Roman. Bedæ, & Vsuar. Martyrol. 9. Dec. Thesaur. concion. Petr. in Catal. lib. 1. cap. 48. Marin. Sicul. rerum Hisp. lib. 5.

LEON-

I X.

LEONTIVS Campaniæ Præses, cum circa S. Cæsarium Martyrem, lucem ingentem, quæ illum operiebat, vidisset; ad Christum conuersus, & baptizatus, paulò post sacrosancto Domini corpore refectus, nulla oppressus infirmitate, mirabiliter obdormiuit in Domino. Oct. 30.

Ferrar. in Catal. ex Passion. S. Cæsarij & Monum. Eccl. Tarracinen.

X.

LEVTFRIDVS Ebroicensis Abbas febri correptus, congregari ad se fecit filios suos, & eos multis sermonibus est exhortatus. Deinde misit Eulogiarum benedictionem per loca Sanctorum plurima, etiam longè posita, petens vt Religiosorum intercessionibus, apud Sanctorum memorias indulgentia sibi, & delictorum remissio obtineretur. His ita expletis, ipse vir Dei, dissolutionem sui corporis expectans, animum à Dei laudibus non passus est quiescere; quin & noctem ipsam vltimam in vigilijs, & laudibus Dei totam traduxit; psalteriumq. ex integro cum suis recitauit. Matutinorum igitur sinaxi cum fratribus peracta, exitum suum sacramentorum perceptione muniuit; & valedicens fratribus, inter verba orationis, diem clausit extremum, circa annum Domini 680. Iun. 21.

Eucherius Lugdun. in Chronol. SS. Lerinen. vit. eiusdem cap. 25. De eo Petr. in Catal. lib. 5. cap. 136. Trith. de Vir. Ill. lib. 3. cap. 136.

X I.

LIMBANIA Monialis Cypria (quæ à vino & esu carnium perpetuò abstinens, quotidie ieiunabat, & membra, ferreo pectine dilacerans, verberabat) cum ad extremum suæ vocationis diem peruenisset, visa est ab Abbatissa, quæ, diuino monitu, locum in quo stabat (in specu scilicet sub Ecclesiæ pauimento) ingressa erat, cœlesti lumine circunfusa. Moniales igitur ad rei nouitatem vocauit Abbatissa; & cum illis ingressa, Limbaniam, flexis genibus, erecta ceruice, extensis in al- Aug. 16.

in altum manibus (in morem orantis) defunctam inuenit, & corpus eius odore flagrans suauissimo.

Ferrar. in Catal. ex eius lectionibus nuper approbatis diplomate Pauli V. anno Domini 1609.

ANNOTATIO.

Hæc vndecim annos nata, spreto connubio, clam naui cum nutritio, & nutrice conscensa, Genuam appulit, ibique Monialis effecta est.

XII.

LIPPVS Pisanus Ord. Iesuatorum cum pestilentiæ morbus Pistorij (vbi ipse manebat) grassaretur, instanter petijt à Domino, vt eum ad se vocaret. Post paululum infirmatus est, & cum interrogaretur quomodo se haberet, respondit; Rectè quidem me habere, nisi impedirer ab eo, qui mei exitus dilationem, à Deo precibus contendere (quamuis longè positus) video. Inuentus est autem Pater eius (Prior scilicet Conuentus, nomine Christianus) in dormitorio orans pro eo: sed quia cum resignatione orabat, exaudiuit Dominus discipuli vota, misitque ad eum Angelum, qui die sequenti, hora tertia ad æternam gloriam se ducem sibi futurum nunciaret. Ad exitum igitur properans, petiit sacrosanctum Viaticum; quo allato, in terram se proiecit, & genuflexus, ac lachrymans per horæ spatium multa de Deitate; de Incarnatione Verbi; de B. Virgine; de B. Ioanne; deque vitæ statu à se assumpto, cum feruore disseruit. Demum sumpto (magna cum deuotione) sacrosancto Christi corpore, spiritum reddidit.

In vit. Io. Columb. cap. 46. & apud Morigium cap. 41.

XIII.

Aug. 26. LVBERTVS Bernerus Belgius, cognominatus de Silua, Canonicus Regularis Dauentriæ, & D. Florentij (Viri sanctissimi) discipulus, morbo pestilentiali correptus, moriturum se sciens, complures dictauit epistolas ad amicos suos, vt sibi ad Purgatorium, & loca pœnarum transeunti, Missis, vigilijs, & orationibus subuenirent. Deinde conuocari voluit fratres domesticos; vt cum quibus tot annis conuersatus fuerat; ab

eis

eis pacificatus discederet; & veniam, ac indulgentiam peteret. His igitur conuocatis, stans apud eos, innixus baculo, quo sustentabatur, reum se proclamauit vitiorum plurium: Scandalum dixit se fuisse omnibus;nihilque egisse eorum,quæ in suæ conuersionis initio proposuerat; quæue se fecisse (moriturus iam) gauderet. Deinde humillimè (quantumcunque debilis) prostratus in terram, cum lachrymis veniam ab omnibus postulauit.

Eleuatus autem à terra, & baculo innixus, cæpit iterum loqui ad fratres, & exhortari eos, vt fideliter,& ex corde seruarent vnionem, & charitatem ad inuicem; inuicem item se custodirent, charitatiuè alterutrum admonendo, & corripiendo, non autem in vitijs,& negligentijs blandiendo; semper niterentur se subijcere; sibi inuicem acquiescere; & vt quilibet reputaret secum, se minimum, & aliorum seruū esse. Postea rogauit eosdem, vt fideliter pro se orarent, & memores sui essent in orationibus; præcipuè in ijs, quibus quotidie inter laborem manuum se exercerent, legendo quandoque orationem pro defunctis; & sic (valedicens fratribus) dimisit eos.

Dictauit deinde epistolam D. Florentio, & alijs fratribus tunc absentibus in hæc verba.

Salutem,& omne bonum. Charissime pater de infirmitate mea Amulius dilectus noster (credo) vobis scripsit: hoc tamen addo, quod à sexta feria,qua obruebar,penè vsque ad feriam tertiam, sine sensibus dormiēs,nesciui quomodo huc, illucque in lecto me verterem. Sed nunc, cum Dominus propter bonitatem suam ingeniolum meum modicum reilluminauit, non potui pacificè ex hac miseria transire, nisi vobis (saltem semel, & nunquam amplius) in hac vita,dolorem meum, & necessitates infinitas, mihi præcipuè imminentes, obuolutus pedibus vestris, filialiter aperirem. Iam enim terribili Dei iudicio coram Angelis eius, & aduocatis nostris præcipuis præsentandus sum, cum maxima verecundia pec-

catorum illorum, de quorum remedijs vos me sæpissimè instruxistis. Prædilectissime Pater si apud vos præsens essem, flebilibus oculis vos rogarem, vt mihi præcipuè de inobedientia, & alijs offensionibus (vt inde non terribilius damnarer) paternaliter, & sincerè velitis indulgere; sicut non dubito, quod libenter indulgetis. Nunc loquar ad vos dilectissimi fratres, qui vita vestra, & conuersatione me tepidum, & negligentem toties ad emendationem reuocastis. Sed heù miser, ego (vt scitis) me non emendaui quantum potui, & debui: & post multa.

Nunc ergo de omnibus negligentijs meis, humiliter me pedibus vestris prosternens, corde, & ore coram Deo, & vobis me accuso; & veniam de singulis peto. Rogo etiam vos, quatenus obitus mei diem, quibus expedire visum vobis fuerit, denunciari facere velitis; & pro me diuina Officia, vigilias, & alia quæ vobis videntur fieri, faciatis. Valete; valete; & in æternum valete, quos amplius in hac vita non sum visurus.

Dictata epistola, inuasit eum subitò tantus horror, & tanta debilitas, vt omnibus viribus destitueretur: Et statim post hoc cœpit magnis doloribus, & angustijs agitari, ita vt instantissimè peteret conuocari iterum fratres, vt orationibus suis sibi succurrerent. Quibus conuocatis, incæpit mirabiliter tremere, pallescere, sudare, versis oculis horribiliter aspicere, & ore, ac dentibus fremens, rugitus anxios, & voces lugubres emittere. Interea cum lachrymis pro eo instanter orantibus qui aderant, respiciens ad eos, & ipse aliquantulum incæpit lachrymari. Tunc amoto cereo, quem in manibus (quasi statim moriturus) habebat, cœperunt astantes legere septem Psalmos; cum quibus ipse quoque alternatim eosdem recitare voluit. His finitis dixit: Maneamus omnes in fine apud sanctam Mariam; & sic incepit Salue Regina, cum collectis: quam Antiphonam sæpius magno cum affectu, & deuotione repetiuit, dicens collectam, & mutans sæpius verba, secundum affectum, & deuotionem suam: Et cum sibi successiue

siue vis loquendi subtraheretur, sæpissimè eandem Antiphonam incæpit, vt alij prosequerentur.

Quo satis diù continuato, dixit vni ex astantibus, vt rogaret fratres orare pro eo sub silentio in compunctione cordis. Post hoc diù iacuit sine loquela; & (vt videbatur) in magnis pœnis, & angustijs. Postquam autem sic iacuisset diù, sentiens loquendi virtutem sibi restitutam, rogare voluit fratres denuò, vt quilibet eorum legeret Psalterium; in principio, & fine cuiuslibet Psalmi, semel Salutationem Angelicam recitando; subdidit postea: Non curo multitudinem Psalmorum; sed aliquando expectate modicum intra Psalmos, meditãtes, & in compunctione cordis pro me Dominum orantes; ne præ multitudine Psalmorum obruatur intellectus. Dictum etiam voluit omnibus Congregationibus, vt orarent pro eo septem Psalmos, Horas de Domina; Horas sancti Spiritus; & siquid aliud scirent, perseuerantes secum in orationibus; sic expectando mortem suam.

Apparuerat ei (dum sic anxiabatur) Satanas in specie cuiusdam fratris collegæ, pridem defuncti; qui multis modis nitebatur eum decipere; valde multa, & mirabilia de gloria cœlesti, de diuersis subtilibus, & alijs materijs disserens; quæ ipse fassus est nescire se exprimere, quia loquendi modus fuerat spiritualis; & videbatur spiritus ille coniunctus spiritui suo; adeò vt ipse loqueretur, & spiritus suus responderet ei: Retulit autem Amulio prædicto, quæ potuit, his verbis.

Isti spiritui fuit valde contrarium, quod aliquando alloquebar vos. Quando volui vos alloqui, tunc dixit mihi: Non loquaris carni; non loquaris carni. Etiam fuit ipsi valde contrarium, quod ego feci fieri tam multas orationes à deuotis; & quod tantum in eis confidebam: Et quando ego petij à vobis, quod legerentur Psalteria, ipse dixit mihi ad intra: stercus, stercus; vt quid confidis in istis Psalmis, Maria, Gregorio, Hieronymo, & similibus? Tu deberes in Deo confidere: Deus irascitur tibi, quod tantum confidis in istis rebus, & non in se solo; sed quia pusillanimis, & timidus es, & non

fecisti ex malitia, ipse indulget tibi: sed noli amplius talia facere. Ego sic non feci; tamen sine Purgatorio veni ad Regnum cœlorum. Me verò requirente, quomodo hoc esset? Subiunxit duas causas.

Vna erat, quod omnibus bonis, & diuitijs temporalibus purè propter Deum renunciasset. Secunda quod cum magno affectu & desiderio in humili coquinæ statu perseuerasset, sine vllo desiderio redeundi ad pristina. Dixit etiam mihi, quod ego sine Purgatorio venirem ad Regnum cœlorum; me verò inquirente causam, respondit: Tu coram Deo Martyr es, eò quod pro fratribus, & sororibus tuis posuisti animam tuam; quia ex affectu, & charitate elegisti apud eos manere in tali periculo mortis; sicque multis verbis nitebatur me inducere, vt confiderem in proprijs meritis, & virtutibus. Ego tamen semper timidus, nunquam confisus sum in me ipso; nec adhuc confido: sed omnis confidentia, & spes mea est in misericordia Dei; in precibus, & meritis gloriosæ Virginis Mariæ, & aliorum sanctorum; & orationibus deuotorum hominum. Aliquando priuauit me omnibus sensibus, præter solum auditum; & illum similiter conabatur auferre, sed non potuit. Plura etiam alia mirabilia dixit mihi hæretica, & cōtra fidem, ad quæ nitebatur me trahere; sed multa intermiscuit vera. Apparet igitur mihi quod valde vtile, & necessarium sit homini morienti, vt habeat hominem intelligentem apud se, vsque in exitum. Hæc Lubertus amico suo Amulio.

In magna deinde tranquillitate, & pace cordis vsque ad mortem perdurauit. Valde autem ardenter cupiebat dissolui, & esse cum Christo, & in tali ardenti desiderio cum magno feruore orans, suspirans, ruminansq. deuotos Psalmos (præcipuè) Beati immaculati, inquirebat sæpius, quàm propinquus esset morti; & an adhuc haberet omnia signa mortis: An ne breuis anhelitus, esset verum signum mortis, & huiusmodi. Et in nullo melius eum consolari poterant fratres, quàm vt mortem propinquam esse dicerent.

Aliquando cum magna fiducia exclamabat: O quando veniet

niet Dominus Iesus, & sancta Maria cum Angelis sanctis absoluere me? Spero quod non diù expectabunt: O si vellent citò venire; ò si vellent facere finem,& huiusmodi. Sæpissimè inuocabat sanctam Mariam, Hieronymum, & Gregorium (quos specialiter dilexerat) & alios sanctos, vt orarent pro eo; & adessent, & succurrerent ipsi in hora mortis.

Petijt etiam aliquando, vt breuiter alloquerentur astantes, eum excitando ad inuocationem Sanctorum, & orationem; alioquin orarent pro eo in silentio, & suspirijs, ac gemitibus in compunctione cordis ad Dominum secum, suam mortem expectantes. Sic peruenit ad horam extremam, quam concupierat. Sed cum iam in membris omnibus præmortuus esset, & totus frigidus, sola vita in lingua, & pectore videretur palpitare, ecce subitò seipsum, nullo fulciente, erigens, complosis, eleuatisque manibus, oculis sursum, versus parietem defixis, illuc reuerentissimè se inclinauit, & viribus, quibus potuit exclamauit: In gloria; in gloria; in bonitate; in bonitate; in misericordia; in misericordia suscipe; suscipe; suscipe: & dum sic erectus sedens, hæc sæpius iteraret; tandem reclinatus ad lectum, iterum, & tertiò eisdem motibus, & gestibus eadem replicans, se erexit. Qui vltima vice reclinatus, in magno stupore, & admiratione iacère visus est. Interrogatus autem, quid esset; quomodo secum esset; Magna cum admiratione respondit: mira; mira; mirabilia, mirabilia vidi. Quo dicto, vocari voluit fratres. Quibus conuocatis, modicum agonizando, feliciter obdormiuit in Domino, anno 1398. 7.Cal.Aug.

Tom. de Kempf. lib. de Discip. D. Florentij cap. 4. Qui eiusdem Luberti pia admodum exercitia collegit, & post vitæ enarrationem descripsit.

ANNOTATIO.

Plura essent de tanti Sacerdotis humilitate, obedientia, cæterisq. virtutibus (quibus apprimè fuit excultus, hic recensenda) quæ quidem fusius ab eodem Thoma in eius vita enarrantur; sed

quia

quia prolixa nimis (fortasse) fuit mortis eiusdem enarratio, ob repræsentatam in ea veram tentationis maligni spiritus imaginem, quæ præteriri non debuerat, consultò reliqua omittuntur. Illud solummodo de sancto Viro recolendo, quod de Abiba quoque superius notatum est, nempè, inuitis parentibus, Christi seruitio se mancipasse; & intrepidum restitisse Patri, eum à proposito reducere conanti. Qui Pater postea, ægritudine correptus, ad extrema deueniens, veniam à filio petijt, & omnia ei dari præcepit, quæ hæreditario iure ad ipsum pertinebant. Hæc autem LVBERTVS in pios fratrum vsus tradidit dispensanda.

XIV.

Mart. 1. LVCAS Abbas (Leolucas dictus) Siculus, dissolutionis suæ diem prænoscens, eundem suis patefecit fratribus; quibus etiam successorem sibi delegit. Aegrè autem ferentibus illis discessum suum; & propterea dicentibus: Infirmitas hæc non est ad mortem; affirmauit eisdem se non vltra ad istius mundi agonem reseruandum, sed à pio Rege Regum ad misericordiosissimæ remunerationis præmia iam esse vocatum.

Noctem illam totam, cum fratribus peruigilem ducens, orationibus institit: In crastinum autem, proprio gressu, ac si nullius molestiam ægritudinis pateretur, sanctam petijt Ecclesiam, & Missarum solemnijs deuotissimè astans, sacrosancto Viatico se muniuit. Reuersus in cellam, totius cœnobij fratribus sanctæ pacis osculum dedit; eosque admonuit præcipuè, vt cui se deuouissent, sæpius recordarentur; subdens in fine: Confido in Domino Deo meo, quia semper vobiscum (etiam post obitum) ero. Quibus dictis, inter psallentium eorundem fletus sanctam emisit animam.

Ferrar. in Catal. ex lectionibus quæ in eius officio græca lingua recitantur. M.S. Bibl. Vall. ex Codicibus Eccl. Panorm.

XV.

LVCAS de Sambuca, seu de Laterina, Ord. Iesuatorum solicitus de sui salute discipuli, orauit Deum, ne sibi superstes foret; statimque à Deo exauditus, infirmitate corripitur idē discipulus (PVCCINVS nomine) & Sacramētis munitus, dormiuit in pace. Ipse autem LVCAS, vltima correptus

infirmitate, presbyterum accerſiri fecit; eodemque tempore ſimul parari ſepulcrum. Deinde erectis in cœlum oculis, pœnas à Deo ſibi multiplicari petijt; ſi eæ, quas patiebatur non ſufficerent. In extremis tandem poſitus; Sacramentis Eccleſiæ munitus, afferri ſibi fecit aquam benedictam, qua aſpergendo ſe, & circunſtantes, benedixit omnibus, & requieuit in pace.

In vit. Io. Columb. cap. 45. & apud Morig. cap. 39. & 40.

X V I.

LVCIANO Monacho (Marcelli Abbatis diſcipulo) imminentem exitum eiuſdem Abbatis deploranti, ac roganti ne ſineret eum longo tempore ſibi eſſe ſuperſtitem, reſpondit Marcellus: eſto bono animo fili: nam cum ego exceſſero, tu quoque conſequêris. Cum igitur paulò poſt hic obijſſet, totos deinceps quinque dies, & noctes ad eius ſepulcrum manſit Lucianus; cui apparuit in ſomnis Marcellus (dicens:) Cur te affictas, & quereris de tarditate, nec credis? Ego Deum pro te precatus, effeci id quod tibi expedit, & ſtatim ad me venies. Tertio igitur poſt die exceſſit LVCIANVS, cum ſolos octo dies Abbati ſuo fuiſſet ſuperſtes. *Ian. 6.*

Sur. tom. 6. in vit. S. Marcelli 29. Dec. cap. 35. Lippom. tom. 5. Baron. in Annal. tom. 11.

A N N O T A T I O.

De LVCIANO hoc habet elogium Metaphr. apud Sur. loc. cit. Deſpectis humanis omnibus, Monaſteriũ ingreſſus Lucianus, breui tempore per Marcellũ multos eorum, qui conſenuerant in exercitatione, longè à tergo reliquit: quem dicunt à nullo vnquam eſſe viſum nec iraſcentem, neque multa loquentem; ſed neque vlli præbentem iræ occaſionem. De MARCELLO infra.

X V I I.

LVCIANVS Presbyter Antiochenus diutina fame (quatuordecim ſcilicet dierum) in carcere confectus, conſueta facere, & verbis doctrinæ animum addere ijs qui ſecum incluſi erant, nunquam deſtitit. Cum autem appropinquaret dies *Ian. 7.*

festus Epiphaniæ, discipulos (qui sibi plures aderant) subijt tristitia, reputantes fore vt Magister abiret, non valens diuturnæ illi fami resistere, ipsique non censerentur digni, eundem festũ diem cum eo celebrare. Tunc Vir sanctus consolatus est eos, bonoq. animo esse iussit, dicens: Ero vobiscũ; & diem festum Teophaniorum vobiscum celebrabo: recedam autem postridiè. Cum ergo aduenisset dies festus, qui expectabatur, desiderabant quidem discipuli hanc vltimam à magistro consequi diuini mysterij celebrationem. Videbatur autem esse dubium quonam modo mensam in carcerẽ inferrent, aut laterent impiorum oculos; cum multi quidem tunc partim illic adessent, partim autem accederent. Ille verò: Mensa quidem (inquit) erit vobis hoc meum pectus, non (vt arbitror) Deo futura minus honesta, ea quæ fit ex inanimi materia: Templum autem sanctum vos mihi eritis, me omni ex parte circundantes. Deo igitur efficiente, vt remissis custodibus, omnia citra impedimentum fierent, fecit eos (Martyr) omnes in orbẽ consistere; iussit suo pectori imponi signa diuini Sacrificij: deindè cum sacro ritu omnia peregisset, ipse & fuit particeps Sacramentorum, & transmisit ad eos, qui aberant. Et hunc quidem diem transegit cùm eis, sicut erat pollicitus.

Postridiè autem cum venissent quidam ab Imperatore, visuri an adhuc viueret (videbatur enim eis valde mirandum, quod vitam hucusque produxisset) postquam propè se stantes aspexit eos qui aduenerant, cum se quantum poterat extendisset, & ter dixisset: Sum Christianus, simul cum vltima voce emisit spiritum, anno Domini 311.

Sur. tom. 1. Baron. in Annal. tom. 3.

ANNOTATIO.

Eius venerandum corpus lapidi alligatum, & in mare demersum, Delphinorum obsequio, Drepanum in Bithiniam fuit delatum, ibique ab Helena Constantini matre, in eiusdem honorem, egregia fuit constructa Basilica, Heleopolis appellata.

Lippo-

Lippomanus tom. 2. in vit. S. Maris serui Dei meminit de Theodoreto Episcopo Cypri, qui vt gratum faceret eidem Mari Eremitæ, Sacrificium in ministrorum manibus celebrauit.

XVIII.

LVDGERVS Episcopus Monasteriensis, ægritudinis incommodo quamuis grauatus, Missam ferè quotidiè celebrare voluit: semper autem legebat aliquid, aut psallebat; quando autem (morbo ingrauescente) per se ipse legere non poterat, diuinos libros coram se legere alios faciebat. *Mar. 26.*

Dominica, quæ noctem dormitionis præcessit, in duabus Ecclesijs suis publicè prædicare, & in harum vna, Missarum vltima solemnia celebrare voluit. Seorsum postea vocatis clericis, se ex hoc mundo, nocte sequenti exiturum prænunciauit: Locum deinde sepulturæ delegit. Sed quia sciebat populum, ne illuc deferretur contradicturum, iussit corpus ad Ecclesiam quandam deferri; ibique inhumatum relinqui; fratrem suum Episcopum cum Rege iubens agere, vt in loco delecto sepeliretur: affirmans hoc sine dubio concessurum Regem; in cuius rei signum, visuros esse sanguinem, post eius mortem, ex naribus suis profluentem. Reliquum autem temporis, cum his, qui secum erant, in Psalmis expendit, & orationibus; inter quas animam Deo reddidit, anno Domini 809.

Sur. tom. 2. Trithem. de Vir. Ill. lib. 3. cap. 196. & lib. 4. cap. 187. De eo pariter Albert. Crant. in Metrop. Saxon. lib. 2. cap. 16. & hist. Saxon. lib. 1. cap. 5. & Baron. in Annal. t. 9.

ANNOTATIO.

Mulier quædam, illicito matrimonio incestuosa, timens ne Ludgerus, qui Diœcesim circumibat, coniugium illud dissolueret, muneribus tentauit animum eius flectere; vasque testeum prægrande melle plenum ei, quasi pro benedictione, misit. Vir sanctus autem respuit oblatum munus, dicens ei, se illud ab ea suscipere non posse, quæ se illicito connubio alienam ab Ecclesia fecisset: Ita illi qui missi fuerant, simul cum munere repulsi, plerosque ex discipulis eius conuenerunt, orantes, vt ipsi saltem transmissum

Eulo-

Eulogium susciperent, illi verò cupiditate ducti, mel ab eis (Episcopo nesciente) susceperunt; & sic ei persuasuros repromiserunt: Sed quia repente alium vbi reponerent, locum inuenire nequiuerunt, subtus altare, linteis vndique coopertum, illud locarunt. Adueniente autem tempore, quo Sacerdos Missam celebrare debebat; cum iam coram altari stans, os ad orationem aperuisset, vas illud, quod sub altari erat, crepuit, & melle effuso, minutatim discissum est, ac si pro oratione, lapidem in illud iniecisset.

Idem Sur. in vita ipsius lib. 1. cap. 21. Qui eodem lib. cap. 25. hoc etiam valde admirandum de eo recenset, his ferè verbis, nempè.

Cum aliquando LVDGERVS Frisiam pergeret, in oppidi cuiusdam vicinia (Meppea nomine) in Saxonia, haud longè à via, aspexit vulgi Concilium die Dominica congregatum. Illuc itaque diuertit, volens cognoscere, quæ causa huiusmodi conuenticuli esset tali die; viditque in colle, quem circumuallauerant, reo cuidam suspendium præparari. Accedensq. propius affatus est eos blandè, postulans sibi concedi hominem; aut si necesse esset eum interfici, hoc eo die non facerent: magis ipsi ad Ecclesiam Missas audituri conuenirent. Cumque nihil horum à rusticis impetrare posset, contumeliosis insuper verbis Clerico insultantibus, vix obtinere potuit, vt parumper cum homine loqui super eius pœnitentia permitterent. Factum est hoc. Discessit Episcopus, & homo in patibulum est suspensus. At verò vespere illius diei, cum antistes itineris sex ab eo loco milliaria peregisset, manês in villa quadam, en veniens homo ille, quem paulò ante suspenderant, ad pedes Episcopi corruit. Mirantibus, ac sciscitantibus quomodo de eo gereretur; sic ait: Dum ego, Episcopo inde digresso, sursum in patibulum traherer, videbam duos, incredibilis decoris viros à latere Episcopi equitantes, & aliquandiù pariter cum eo loqui. Dehinc post paululum alter festinè rediens, nescio quid mihi pendenti suppoſuit, super quod firmiter stans, cruciatum non sentiebam, donec dispersis his, qui me suspenderant, & ad occasum vergente Sole, me idem ipse deponeret. Depositum itaque iussit ocyus iter vestrum sequi, & pro concessa vita, sacro antistiti gratias agere, quam ipse, dum à fatuis contemneretur, à Domino impetrauit.

XIX.

Aug. 19. LVDOVICVS Episcopus Tolosanus vltima infirmitate decumbens, sacrosanctum Viaticum percepturus, de lecto

(quamuis

(quamuis debilis)exiliens,in occursum Domini exire voluit & Crucem in lecto genuflexus (vt poterat) sæpius adorando deosculatus est; & tandem in oratione, & silentio diù permanens, reddidit spiritum, anno Domini 1297. ætat.33.

Sur. tom.4. Martin.Polon. in Chron. Anton. par.3. tit.24. cap.14. Chron.Franciscan. par.2. lib.6.

X X.

LVDOVICVS Francorum Rex morbo correptus, à diuinis laudibus nunquam cessabat; sæpè orationem illam eis interserens; Fac nos Domine, pro amore tuo, prospera mundi despicere, & nulla eius aduersa formidare: Orabat & pro ijs, quos secum ad recuperandam terram sanctam adduxerat dicens: Esto Domine plebi tuæ sanctificator, & custos. *Aug.25.*

Morti proximus, voluit se corporis Christi sacramẽto muniri;cumq. Sacerdos,illud ei ostendens,de more perquireret, Num crederet? Respondit: Minus id apud se habere dubij, quàm si videret Christum in ea forma, qua ascendit in cœlũ. Supremum tandem trahens spiritum, suspiciens in cœlum, ait: Introibo in Domum tuam Domine, adorabo ad Templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Quibus dictis,obdormiuit in Domino,anno 1270.

Sur. tom. 4. De eodem Anton.3. par. tit. 20. cap.1. §. 12. Papyrius Masson. Annal.Franc. lib.3.

ANNOTATIO.

Habentur apud Surium ibidem institutiones eiusdem LVDOVICI sanctissimæ, Philippo primogenito filio,sub mortem propositæ, & quasi testamento relictæ.

X X I.

LVDOVICVS Crassus, Rex pariter Francorum, quem (etsi viuentem) sanctus Bernardus in epistola ad Honorium Papam, valde perstrinxit, quod eum bellici furores in Religiosos monachos interdum delinquere adegerũt;pœnitentia tamen(qua diem clausit extremum)eum pietate,religioneq. *Aug. 1.*

valde

valde reddidit commendatū. Qui miseratus animæ suæ, frequenti confessionis & orationis sibi deuotione prouidit: hoc vnū toto animi affectu peroptās, apud sanctos scilicet Martyres Protectores suos Dionisiū, sociosq. eius se quomodocūq. deferri (ęgrotabat enim diarrhetica) & ante sacratissima eorū corpora, Regni, & coronæ depositione, coronam pro corona, pro regalibus insignibus humilē B. Benedicti habitum cōmutando, Monasticum ordinem profiteri. Morbi molestiam patientissimè ferens, quærit peccata confiteri, & Dominici corporis, & sanguinis Viatico, exitum suum munire. Cùm igitur ipsum præparare festinant, Rex inopinatè se leuans, & præparans, vestitus, cameram (cunctis admirantibus) obuiam corpori Domini nostri Iesu Christi exit, & deuotissimè assistit. Vbi videntibus cunctis, Regem exuens, Regnum deponit: peccando, Regnum administrasse confitetur: Filium suum Ludouicum annulo inuestit: Ecclesiam Dei; pauperes, & orphanos tueri: ius suum vnicuique custodire, fide obligat. Vbi etiam aurum, & argentum, & vasa concupiscibilia, & pallia, & omne nobile quod possidebat, & quo ei seruiebatur, Ecclesijs & pauperibus, ac egenis pro amore Dei distribuit. His igitur exoneratus, & Dei misericordia perfusus, humillimè flexis genibus ante sacratissimum corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, in hanc catholicæ confessionis vocem erupit.

Ego peccator Ludouicus, confiteor vnum, & verū Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; vnam ex hac sancta Trinitate personam; videlicet; vnigenitum, & consubstantialem, & coęternum Dei Patris Filium, de sacratissima Maria Virgine incarnatum, passum, mortuum, & sepultum, tertia die resurrexisse, cœlos ascendisse, ad dexteram Dei Patris considere, viuos, & mortuos, extremo, & magno iudicio iudicaturum. Hanc autem sacratissimi corporis eius Eucharistiam, illud idem credimus corpus, quod assumptum est de Virgine: quod discipulis suis ad confœderandū, & vniendum, & in se commanendum contradidit: hunc sacratissimum sanguinem,

guinem, illum eundem, qui de latere eius in cruce pendentis defluxit, & firmissimè credimus, & corde, & ore confitemur: hocque securissimo Viatico decessum nostrum muniri, & contra omnem aeream potestatem certissima protectione defendi peroptamus.

Cum deinde (facta peccatorum confessione) deuotissimè corpori, & sanguini Iesu Christi communicasset, tanquam illicò conualescere incipiens, ad cameram rediјt; omnique Regali reiecta pompa, sola linea culcitra decubuit.

Recidiua postea profluuij dysenteria, cum grauissimè fatigaretur, omninò deficiebat. Accito igitur Parisiensi Episcopo (cui primum fuerat auersatus) & Abbate Hilduino, cui familiarius confitebatur, & confessionem repetijt; & exitum suum Viatico sacro muniri voluit. Cumque se deferri ad Ecclesiam Sanctorum Martyrum faceret, vt quod votum sæpius spoponderat, humillimè persolueret, ægritudinis anticipatus angustijs, quod opere non potuit, corde, & animo compleuit. Præcipiens ergo tapetum terræ, & cineres tapeto in modum Crucis deponi, ibidem manibus suorum depositus, signo sanctæ Crucis consignatus, spiritum emisit.

Baron. in Annal. tom. 12.

X X I I.

LVPICINVS Reclusus resolutionis suæ diem propè adesse sentiens, vocauit ministrum, & dixit ei: scito me post triduum ab hoc sæculo liberandum: voca ergo nunc fideles quosque fratres, & filios, quibus sum valedicturus, vt ad nos visitandum veniant. *Iun. 24.*

Illucescente autem die tertia, & confluentibus fratribus, ostium aperuit; atque ingredientibus cunctis consalutatis, & osculatis, orationem fudit ad Dominum dicens: Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, qui me saluari iussisti ab huius mundi impedimentis; & ita me fouere dignatus es in hoc sæculo, vt nihil suum in me auctor criminis inueniret. Conuersus deinde ad plebem, ait: Magnificate quæso dilectissimi Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in commune, qui

me erectum de stercore; erutum de tenebrarum opere, amicorum suorum fecit esse consortem: qui misit Angelum suum ad me accersendum ab hac mundana statione; meque pollicitus est in requiem sempiternam perducere, vt collega amicis suis effectus, Regno suo merear ascribi. His dictis, humo incumbens, spiritũ cœlo intentum, præmisit ad Dominũ. *Sur. tom.* 3. *Lippom. tom.* 8. *Greg. Turon. in vit. Sanctor. Patr. cap.* 13.

ANNOTATIO.

Quotquot migrationis huius sancti Viri astiterunt, in fletu prostrati, de pariete beatum sanguinem, qui ab eius ore fuerat proiectus, inter se excauantes excusserunt; Miserum se quisque putans, si immunis ab eius pignoribus discessisset.

Testis (inquit Auctor) est paries; qui tot fossulis patet, quot ab ore B. Confessoris sputa emeruit. Testis ipse canalis, de quo Vir beatus aquam sumpserat, quem fideliter osculantes hauriunt sanitatem. Quam etiam meruerunt accipere, qui euulsa à pariete sacri oris sputa, in diuersis infirmitatibus apposuerunt. *Idem.*

XXIII.

Apr. 14. LYDVVINA Virgo de Schiedam in Hollandia, morti proxima accersitis domesticis omnibus, ab illis veniam petijt. Inde immenso repleta gaudio rogauit Dominum, vt vernaculã suam è carcere mortis huius educere dignaretur: Cumq. sola esset & contemplationi vacaret, vidit ad se venientem Dominum; orauitque eum, vt extremum vitæ eius tot doloribus & afflictionibus cumularet, vt à corpore exiens anima, mox ad illum sine Purgatorio euolare posset. Respondit autem ei Dominus: ita fiet filia, vt petis; & post biduum cantabis alleluia, cum alijs Virginibus, in cœlesti Regno, atque his dictis disparuit. Mansit verò apud eam in infirmitate Angelus, quocum familiariter loquebatur.

Aduenienti mox confessario, & congratulanti sibi de mirifici odoris fragrantia, quam apud eam sentiebat, fassa est, se visitatione diu ina fuisse dignatam; sed statim corporis dolo-

tes augendos. Non indicauit autem ei suum decessum: multo enim tempore Dominum rogauerat, vt sola sine vllius mortalis consolatione redderet spiritum.

Quando igitur intellexit migrationis aduenisse diē, obnixè conuocatos rogauit, vt abirent, dicens: si inueni gratiam apud vos, quæso, vt hac die patiamini me solam manere, solo apud me relicto nepotulo meo, per quem indicabo, siquid à vobis mihi præstari velim. Illis abeuntibus, cæpit Virgo exitum suum Domino commendare; & cum subinde calculi doloribus, & spasmate vrgeretur, ac diro vomitu (quo vicies è pectore, fellis particulas rejecit) cum iam loqui amplius non posset, puer eiulans acciuit confessarium, & quos inuenire potuit; sed venientes inuenerunt eam agonizantem; moxque properauit victrix ad palmam, anno Domini 1433, ætatis 53.

Sur. tom. 2. Thom. de Kemp. qui appellat eam Lyduuinam Lyduuigen, & Lidiam in eius vita, à se Fusius descripta.

ANNOTATIO.

Cum quintumdecimū annum ageret LYDVVINA, ne post gregem sodalium vagari inciperet sæcularium, Medicus animarum Christus, corporali quadam infirmitate eam piè visitauit, & coercuit. Cum enim inuitata à sodalibus virginibus, cum eis super glaciem graderetur, vna de consodalibus eius, cursu rapido super glaciem pergendo, nec gressum figere valens, Lidiam (sic eam appellat sæpius) manu apprehendit, moxque super fragmenta glaciei improuisè ipsa cecidit, & grauiter læsa, vnam paruam costam dextri lateris sui confregit; ex qua fractura multa ei incommoda prouenerunt: & exinde iā cæpit continuis infirmitatibus laborare *Idem Thom. lib. 1. cap. 4.* Qui eiusdem Virginis infirmitates enumerat his verbis; *Eodem lib. 1. cap. 7.*

Iacebat in lectulo duro Virgo, miserabiliter afflicta, & corrosa à vermibus, qui de virgineo corpore ex putrefactione orti, carnes eius comedebant; & tamen nullus fœtor ex eis procedebat. Isti vermes erant grisei coloris, pleni aqua grisea, habentes capita nigra, grossi ad spissitudinem extremæ partis vnius fusi; longi ad mensuram parui articuli digiti humani.

Habebat etiam in corpore suo tria magna foramina, ex quorum vno effluebant quandoque vermes prædicti copiosè. Supponebatur autem huic vulneri emplastrum de recenti farina tritici, cum melle permixtum; vt ex tali confectione, & alijs pigmentis vermes innati sugerent; aliâs enim ipsam vsque ad mortem torsissent. Erat itaque Virgo eadem ex diuturno, & graui vulnere, in inferiori parte corporis putrefacta; & ne sancta eius viscera penitus effluerent, molli quodam operculo foramen infixum obturabant.

Aliâs quoque quamplurimas patiebatur infirmitates. Habuit enim dolores capitis sæpè excessiuos vsque ad mortem: Dolores dentium multipliciter, sæpissimè vsque ad mortem: febres quoq. diuersas: Hydropisim: tempore pestilentiæ tria apostemata: calculum quoque pregrandem, cum quo & mortis debitum soluit. Nec quidquam mouere poterat in corpore suo, excepto capite, & brachio sinistro cum scapula eiusdem.

Ex abundantia autem charitatis, & interni feruoris stimulatione ausa est, quodammodo, Dominum prouocare, quatenus super eam miserias, & dolores multiplicaret. Cuius preces exaudiens Dominus, cum duo tunc haberet apostemata in corpore, tertium ei quoque addidit in maxilla.

Nulla ferè pars corporis fuit, quæ non aliqua speciali plaga doloris contabuerit. Siquidem in fronte habuit fracturam vsque ad medium nasi protensam: Similiter in labio inferiori, & in mento rupturam sanguine coagulatam, vt ex hoc incommodo vix loqui valeret: Dexter oculus eius omninò cæcus erat, sinister verò tam debilis, quod nullo materiali lumine, nec in die, neque in noctibus vti poterat. Quapropter continuè in tenebris iacebat; & locum lectuli eius cortina simplex ambiendo obuoluebat.

Rursus de eiusdem infirmitatibus *cap.8. eiusdem lib.1.*

Per decem & septem annos, tertianas febres præcipuè sustinuit grauissimas; quibus cessantibus ita insensibilis permanebat, quod se ipsam ignorans, nec audire, nec loqui poterat.

Cum vero sentiret accessum febrium, aptabat se ad exercitia Dominicæ Passionis; commendans & suas passiones passioni illius, in quo omnia amara dulcorantur.

Conuenienter igitur in hebdomada Paschali ex hoc sæculo migrauit, vt quæ longo tempore particeps fuerat Christi passionum, meditando, & compatiendo, cum ipso etiam in sancta festiuitate Paschali lætissimæ Resurrectionis eius ad æternæ vitæ gaudia transiret,

transiret, completis ægritudinum suarum annis triginta & octo, ac sequenti incepto.

Mira quidem sunt, & multa quæ de ea recenset idem Thomas lectu dignissima. Illud tamen hìc non omittendum, quod ei contigisse (dum ægra iaceret in lectulo) narrat *eodemmet lib.* 1.*cap.*5. his verbis.

Duo viri in ciuitate inter se animo concitati, litigare cæperũt, & vnus alterum, euaginato gladio, persequebatur, vt eum percutiendo necaret: Alter igitur eorum perterritus, fugere cœpit in domum, & cellulam huius Virginis, vt ibi latendo manus se persequentis euaderet: Quem alius mox insequutus, quærebat à matre eius vtrum domum suam intrasset: Cui illa (volens mendacio suo saluare fugientem) respondit, eum non intrasse. At ille incredulus verbis matris, intrauit ad abdita Virginis ægrotantis, & cum interrogasset an cellam eius intrasset, respondit (confidenter in Deo spem habens) quod sic. Super quo responso mater commota dedit alapam filiæ tanquam proditionem malitiæ, suæ miseriæ, ex incauta locutione superaddidisset. Tunc filia constanter matri respondit: Ego propterea veritatem dixi, quia sperabam quod veritas occultaret ad se fugientem. Quod & factum est (Deo prouidente) nam is qui ad interitum quærebatur, ante oculos persequentis stabat, & penitus non videbatur. Recessit ergo omittens persequi fugientem, ignorans ibi affuisse Dei virtutem. Hæc Thomas.

De matre (Petronilla nomine) *vide infra.*



I.

Apr. 10. ACHARIVS Patriarcha Antiochenus immanissimam pestem precibus auertere contendens, peste correptus ipse fuit: prædixit tamen præter se, & duos alios, nullum deinceps eo morbo occubiturum: quod rei probauit euentus. Quando igitur se vidit pestilentia infectum, Abbatem quendam acciri iussit cum fratribus; quos rogauit, vt quamprimum caput ei tonderent, & barbam; cuius quidem barbæ partem remisit matri suæ: Ne (inquiens) diù suspensam torqueret longa filij nunquam redituri mora. Ingressus deinde cryptam B. Virginis, locum sepulturæ baculo designauit: postea in refectorio cum alijs accumbens, vt vidit illos non nisi parum panis, & aquæ sumere, obsecrando, & imperando iussit vt mutarent ieiunium; & ipse hilarem se omnibus præbens, de cibis appositis pauxillum ex charitate comedit; vltimumq. eis Vale dicens, Episcopalem impertiuit benedictionem.

Demum ad cellam reuersus, vbi emigrandi horam adesse cognouit, in lectulo residens, expansis manibus, ac sursum luminibus erectis, Domino se cum lachrymis commendauit, sanctorumque suffragia, pariter ac protectionem, multis precibus postulauit. Tantus autem eos qui aderant horror inuasit ex beatorum (vt creditur) spirituum præsentia, vt omnes absque mora fugere voluerint, nisi eorum animos erexisset fratrum conuentus, ad exequias surgentium. Quibus congregatis, Vir sanctus caput suum in terra reclinans, inter psallentes, & orantes, Deo spiritum reddidit, anno salutis 1012.

Sur. tom. 2. Baron. in Annal. tom. 11.

ANNOTATIO.

Horror similis inuasit eos, qui S. Paulinum Nolanum migrantem viderunt. *Vide infra* in eodem Paulino.

Fuit MACHARIVS genere Armenus, educatus à seniori Machario eiusdem sedis Antistite, cui in sede successit; qui post multa

in cura Paſtorali egregiè præſtita, atque miracula edita, abdicans ſe Epiſcopatu, venit Hieroſolymā; vbi multa paſſus ab infidelibus; & ab ijs in carcerem detruſus, diuinitus liberatus, multos ad fidē conuertit. Inde verò fama celebris, ignotus latere cupiens, migrans in occidentem, Boreales luſtrans Eccleſias, redditus iam virtute miraculorum vbique conſpicuus, ſubſtitit in Monaſterio S. Bauonis in Flandria; ibique ſancto fine quieuit.

I I.

MACHARIVS Abbas diſcipulus olim S. Antonij ſciens appropinquare ſibi exitum de hoc ſæculo; & quem Dominico gregi Paſtorem ſubrogaret inquirens (acceperat enim à S. Antonio, Monachorum ferè quinquaginta millia gubernanda) venit ad Poſthumium, de cuius ſanctitate & cœleſti eius nomine acceperat; & cum eius ſibi placuiſſet conuerſatio, eum ſuadere cæpit, vt S. Antonij Anachoretarum principis non grauaretur viſitare Reliquias; ſed cum omni virtute reniteretur, & abire penitus noluiſſet, in ſomnis ab Angelo ſine aliquo cunctamine ire iuſſus eſt. Itaque cum Machario aggreditur iter Poſthumius, & multitudinem Congregationis Monachorum, quæ à ſolo gubernabatur Machario, ingreditur. Macharius autem in extremo iam vitæ iſtius temporalis ſe aſpiciens, aduocato ad ſe Poſthumio, ita exorſus eſt: En frater tempus reſolutionis meæ inſtat, quapropter audiens bonum teſtimonium de te, finem ſenectutis meæ debilitatis ſuppoſui greſſibus ad pertingendum vſque ad te. Nunc igitur benè feciſti venire mecum. Suſcipe ergo paterno amore gregem Dei ad regendum. Noli quærere, quod tibi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant. Ne ergo nēges ſuſcipiendi honoris gratiam, mercedem à Deo recepturus tempore opportuno. Tunc Poſthumius pedibus eius prouolutus, cæpit ſe excuſare, eumque rogare, vt alium prouideat. Sed Macharius ſubdidit: Excuſationem non audio, neque cauſas recipio: Te electione ſua Dominus deſignauit; nequaquam cœleſti poteris contradicere iuſſioni. Nihil ex hoc locutus eſt

Posthumius, sed cum Macharij verba secum in animo volueret, Macharius emisit spiritum.

Vit. Patr. lib. 1. in vita Posthumij cap. 7.

ANNOTATIO.

De Posthumio hæc habet Auctor in notationibus, nempè, Aliæ editiones habent Pasthumij, de quo nihil in tabulis Ecclesiasticis, vel apud historicos. Multa autem habentur ibi affinia cum Pachomio, eiusque regula; & cum Pachomius dicatur quibusdam Pasthumius, fortè Pasthumius ex Pachumio irrepsit.

III.

Iul. 19. MACRINAE Virginis (S. Basilij magni, ac S. Gregorij Nysseni sororis) describit obitum ipsemet Nyssenus in Epistola ad Olympium Monachum, post enarratum suum, diuina dispensatione, ad Monasterium eiusdem sororis, aduentum, his verbis.

Vehementius autem tùm ægrotabat (Macrina scilicet) neque verò in lecto aut strato quopiam, sed humi quiescebat, subiecta sacco tabula, & altera caput eius sustinente tabula, quæ puluinaris loco, insigni figura, collum eius subibat.

Cum igitur vidisset me propè fores esse, sese in cubitum erigens, accurrere illa quidem non potuit, nam febri defecerunt vires, sed tamen solo manus affigens, seque quantum poterat ex humili lecto promouens, honorem habuit, quem mihi obuiam præstare non poterat. Sed ego accurrens, manibusq. suscipiens, cubili restitui. Hìc illa, manibus ad Deum sublatis: Gratias (inquit) tibi ago Domine Deus, qui & hoc mihi largitus es; nec quod optabat animus meus ei denegasti, sed impulsisti seruum tuum, vt me tuam ancillam inuiseret.

Pergit narrare Gregorius, quæ, diuino spiritu afflata, Macrina tunc disseruit de occulta Dei in rebus aduersis prouidentia; deque vita futura; quæ quidem ipsemet Gregorius pertractauit postea fusius, ac recensuit in libro de Anima, & Resurrectione.

Commemorat etiam quæ contigerunt, facto à sorore dicendi fine; quomodo (scilicet) iussit eum abire, & paulisper quiescere; sed conijciens illum maximo angi mœrore, vtpotè

qui

qui se cito morituram crederet, misit qui lætiora nunciaret; iuberetque suo nomine, bono esse animo, quia morbum ipsa in melius verti senserat (intelligens quippe de vocatione ad æterna præmia, ad quæ non nisi per mortem peruenire poterat) quibus recreatus Gregorius, rursus ad eius venit conspectum; quæ non permittens inaniter tempus consumi, à pueritia sua memoriam eorum repetens, quæ sibi contigerāt, omnia recensere voluit; commemorans pariter, quæ parentes eorum pro Christo passi fuerant; quæ ipse Gregorius; quæue cunctis beneficia Deus fuerit elargitus. Narrationi autem (inquit Gregorius) is erat propositus finis, vt Deo simul gratias ageremus: interim (subdit) dum hæc persequeretur, aduesperascente die, cantantium vox me ad gratias agendas Vespertinas vocabat. Quamobrem cum ad Ecclesiam me dimisisset, ipsa precibus ad Deum accessit, ac nox quidem ita transacta est. Cum autem diluxisset, mihi ex indicijs manifestum erat, diem illum ei huius vitæ terminum fore; cum quidquid in natura viriū erat, febris consumpsisset: sed illa cogitationis nostrę respiciēs imbecillitatē, pręclaris illis sermonibus effundens quod reliquum erat afflictæ animæ, in summa spirandi difficultate, nos à tristiore spe adducere conabatur.

Et post pauca. Iam maxima diei pars præterierat, & Sol ad occasum appropinquabat; at illa mentis alacritatem non remittebat, sed quò magis ad exitum appropinquabat, eò maiori festinatione ad Amatum contendebat; non amplius nos præsentes, sed illum ipsum alloquens, quem defixis oculis contemplabatur.

Desinens igitur nobiscum loqui, precibus deinceps loquebatur cum Deo; manibus supplicās, & tenui voce ita submurmurans, vt quæ dicebantur mediocriter à nobis exaudirētur.

Tu (inquiebat) Domine, mortis metum nobis abstersisti. Tu effecisti, vt huius vitæ finis, veræ nobis esset principium vitæ. Tu nostra corpora ad tempus somno tradis; rursumq. è somno suscitas extrema tuba. Tu terram nostram quam manibus formasti, tanquam depositum terræ committis; &

quod

quod ei dederas,rurſum repetis;quod in nobis mortale atque deforme eſt, immortalitate, & gratia decorans. Tu nos ab execratione; peccatoque liberaſti, vtrumque pro nobis effectus. Tu draconis capita colliſiſti, qui per voraginem contumaciæ faucibus hominem corripuerat. Tu portis tartari confractis, & debilitato qui mortis habebat imperium, nobis ad reſurrectionē aditum pateſeciſti. Tu ad hoſtis perniciem, & vitę noſtræ ſecuritatem,dediſti ſignum metuentibus te,notam S.Crucis. Aeterne Deus, cui addicta ſum ex vtero matris; quem ex totis viſceribus dilexit animus meus; & cui,& carnem, & animum ab adoleſcentia mea ad hoc vſque tempus conſecraui: Tu mihi adhibe Angelum lucis, qui me ducat ad locum refrigerij, vbi quietis eſt aqua in ſinus Sanctorū Patrum: Tu qui flammeum fregiſti gladium, & Paradiſo reddidiſti hominem, qui tecum Cruci ſuffixus erat, & ad miſericordiam confugerat tuam, memento etiam mei in Regno tuo: Siquidem & ego crucifixa ſum tecum,configens timore tuo carnes meas, & ab iudicijs tuis metuens. Ne ſeparet me chaos illud formidandum ab electis tuis. Ne impediat inuidus iter meum: Ne reperiantur ante oculos tuos peccata mea. Si propter naturæ infirmitatem collapſa, aut verbo,aut opere,aut cogitatione peccaui, condona id mihi Tu, qui habes in terra dimittendi peccata poteſtatem, vt refrigerer; & in corporis ſpoliatione,ante conſpectum tuum inueniar non habens maculam in forma animæ meæ; ſed ſine reprehenſione, & labore ſuſcipiatur animus meus in manibus tuis, tanquam incenſum in conſpectu tuo.

Hæc dicens,oculis, & ori, & cordi Crucis ſignum appoſuit; lingua verò, paulatim febri penitus exiccata,verba amplius non exprimebat, & vox implicabatur: quare ſola labiorum dilatatione, & manuum motu eam precationi incumbere cognoſcebamus. Cum interim Veſpera aduenisset, & lumen illatum eſſet;illa oculorum orbem explicans,& ad ſplendorem reſpiciens, ad veſpertinam gratiarum actionem pronunciandam promptum animum præſeferebat: ſed voce deficiente,

ficiente, corde,& manuum motione, proposito satisfaciebat, & ad interiorem affectionem labia commouebat. Absoluta autem gratiarum actione, manum ad faciem signandam admouit, & voti finem adesse declarauit; & magnum quendam, ac profundum spiritum ducens, precationem simul, & vitam terminauit, anno Christi 378.

Hæc Greg. in d. epist. ad Olymp. quæ quidem desideratur in eius operibus; habetur autem apud Lippom. tom. 2. & Sur. tom. 4. De eadem fusius Baron. in Annal. eodem Christi anno 378. tom. 4.

ANNOTATIO.

Mandauerat MACRINA Gregorio in primo congressu, vt sua manu sibi oculos clauderet,& solitum ori suo præstaret officium; quod cum præstare vellet, & manum admouisset, ne iussa negligere videretur, animaduertit, oculos (quemadmodum fit in somno naturali) palpebris decore contectos, & labia itidem clausa, manusq. venustè pectori cohærentes; totum denique corporis situm ea dignitate compositum, vt ornantium manu non indigeret. Induit eam Gregorius veste propria, quia nulla MACRINA, paupertatis amanti, erat suppellex; nec aliud quippiã, præter pallium, capitis tegmen, & trita (quæ gerebat) pedum calceamenta possidebat; nisi addas ferream Crucem, annulumq. ferreum, Crucis ligno decoratum, quæ cordi adhærentia iugiter gestabat; quæue Gregorius idem, & Vestiana nobilissima fœmina, MACRINÆ discipula, quæ simul cum eo funus curabat, partiti sunt simul. Dumque vestis apponenda esset, eadem Vestiana, pectoris partem Sanctæ Virginis denudans, ostendit Gregorio obscurum sub collo signum, puncto simile, tenui acu confectum; reserauitq. miraculum, quod illa perpetrauerat, dicens: Morbo laborasse aliquando MACRINAM incurabili sub collo, quod ad cordis loca appropinquabat,& immedicabile, ac lethale reddebatur: & quia grauius ipso morbo ducebat honestissima virgo, corporis partem aliquam Medicis aperire, in sacellum ingressam, totam noctem (prostratam) Deo supplicasse; & quæ ex oculis defluebat, aquam cum terra commiscendo lachrymarum, lutum morbo medicamentum adhibuisse: matri autem (quæ tunc cum ipsa in Monasterio degebat) hortanti vt Medico vteretur, respondisse, sibi ad expel-

lendum

dam S. Benedicti visitare. Arrepto igitur itinere, cum ad territorium Aruernense peruenisset, in loco (Siluiniaco nuncupato) vltima cæpit ægritudine exerceri; Cumque à fratribus, an aliquid doleret interrogaretur, respondit: Nihil se habere molestiæ, sed omnia quieta, & tranquilla prospicere; videre insuper bona Domini in terra viuentium; Deumque fontem viuum totis medullis sitire, & anhelare. Gaudens autem frequentabat hos versus: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, &: Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum; concupiscit, & deficit anima mea in Atria Domini, &: Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Benedictionem demum, & absolutionem, lachrymans, fratribus in terra prostratis, eamque lachrymabiliter postulantibus, impertiuit; & sacro tandem munitus Viatico. Crucis etiam munitus signaculo, quod sæpius dextera sibi depingebat; eosdemque versiculos identidem repetens, feliciter migrauit ad Dominum, anno sal. 993.

Bibliotb. Cluniac. & in vita eiusdem, quæ habetur ibidem. De eo Petr. Cluniac. lib. 2. mirac. cap. 31. Tbritbem. de Vir. Ill. lib. 3. cap. 230. Sur. tom. 3.

VII.

Nou. 2. MALACHIAS, Episcopus Connerthensis in Hibernia, vltima correptus infirmitate, cum videret assistentes omnes, circa frequens ministerium solicitos, medicamenta perquirere; eumq. vrgere ad gustandum, ait ad illos: sine causa hæc; sed charitate vestri, quidquid iniungitis, facio (sciebat enim suæ migrationis tempus adesse.) Cumq. fratres fidentius instarent dicentes, non oportere de vita diffidere, cum nulla in eo mortis apparerent indicia: Hoc anno (respondet) oportet Malachiam de corpore exire; & ecce appropinquat dies, quam optaui, resolutionis meæ. Scio cui credidi, & certus sum, non fraudabor reliquo desiderij mei, qui partem iam teneo.

Qui

Qui me sua misericordia perduxit ad locum, quem petij (Claram vallem scilicet) terminum, quem æquè volui, non negabit. Quòd ad corpusculum attinet, hic requies mea: quòd ad animam, Dominus prouidebit, qui saluos facit sperantes in se. Nec parum spei repositum mihi in die illa (commemorationis nempe omnium defunctorum, iam imminēte) qua mortuis tanta à viuis beneficia impenduntur. Intereà iubet se sacro inungi oleo: videns autem exeuntē ad se fratrum conuentum, vt solemniter fieret, non sustinuit; sed ipse ad eos descendit (iacebat siquidem in superiori domus solario) sacra deinde Vnctione percepta, & sumpto Viatico, fratrum se orationibus, fratresq. Deo commendauit, & ad lectum suis pedibus reuersus est. Sub noctis autem crepusculo, febre inualescente, horam adesse sentiens, fratres accersiri fecit; oculosq. in circunstantes dirigens, ait: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare apud Vos. Gratias ago supernæ Pietati; non sum fraudatus à desiderio meo. Habete curam mei; ego vestri (si licuerit) non obliuiscar; licebit autem. Credidi in Deum, & omnia possibilia credenti. Amaui Deum, amaui Vos; & Charitas nunquam excidit; suspiciensq. in cœlum subdidit: Deus serua eos in nomine tuo. Deinde singulis manus imponens, & benedicens, paulatim eos ire iussit. Redeuntibus verò circa noctis medium, & cantica, psalmos, hymnosq. cantantibus, felicissima Anima migrauit ad Dominum, annō salutis 1148. ipsa die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, qua optauerat mori; licet Ecclesia transtulerit eius solemnitatem in diem sequentem.

Sur. tom. 6. ex S. Bernardo.

ANNOTATIO.

Vitam eius descripsit S. Bernardus, eundemq. viuentem, ac postea defunctum mirificè coluit: quod apparet præcipuè ex ijs, quæ de ipso habetur in Præfatione eiusdem Vitæ his verbis. Me inter speciales amicos Sanctus ille habebat; & eo loci, vt nulli in hac

parte

parte gloriæ, ſecundum fuiſſe me credam. & in fine eiuſdem Vitæ. In extremis poſitus erat. Accurri ergo vt benedictionem morituri ſuper me veniret. At ille cum iam membra alia mouere non poſſet, eleuatis manibus ſuper caput meum, benedixit mihi, & benedictionem hæreditate poſsideo. extant eiuſdem Bernardi ad Malachiam epiſtolæ 315. 316. & 317. ſermo quoque in eius feſtiuitate.

Interrogatus aliquando MALACHIAS, quonam in loco (ſi optio detur) extremum malit agere diem, reſpondit: ſi hinc migro (Hibernia ſcilicet) nuſquam libentius, quàm vnde vnà cum noſtro Apoſtolo (Patritio nempè) reſurgere poſsim: Si peregrinari oportet, Claram vallem delegi. Requiſitus item de tempore; Diem (reſpondit) ſolemnem omnium Defunctorum. Peregrinationem autem ſuſcipiens; Claramuallem venit; vbi ſumma lætitia & hilaritate exceptus, præcipuè à S. Bernardo, ipſamet expetita Defunctorum ſolemni die quieuit in Domino. Illud de tanto Viro non prætereundum, quod habetur c. 32. eiuſdem Vitæ, nēpe:

Anon. Obit. Cum infirmaretur Vxor cuiuſdam Viri nobilis ad mortem, rogatus eſt MALACHIAS, vt eam oleo ſancto vngeret priuſquam moreretur, Qui intrauit ad eam, & ad eam Vngendam ſe parauit; ſed quia illa viſo eo exultauerat, ſpe animata ſalutis, viſum eſt omnibus differendum potius vſque ad manè (erat enim Veſpera) acquieuit MALACHIAS, & data benedictione ſuper ægram, exiuit cum his, qui ſecum erant. At verò poſt modicum mortua eſt. Accurrit igitur Vir ſanctus, tumultu audito, & accedens ad lectum, vt certò comperijt expiraſſe, conſternatus eſt animo, ſibi imputans, quod fraudata obierit gratia ſacramenti; & eleuatis in cœlum manibus ait: obſecro Domine, inſipienter egi: Ego peccaui, qui diſtuli, non Iſta, quæ voluit. Hæc dicens, conteſtatus eſt coram omnibus; nullam ſe recepturum conſolationem, nullam daturum requiem ſpiritui ſuo, niſi, quam abſtulerat, liceret reſtituere gratiam: & ſtans ſuper eam, tota nocte laborauit in gemitu ſuo, eam lachrymarum imbre perfundēs. Ad ſuos item Diſcipulos, qui ſecum erant conuerſus, ait: Vigilate, & orate mecum. Itaq. In Pſalmis illi, ipſe in lachrymis, noctem duxère peruigilem. Et mane facto exaudiuit Dominus ſanctum ſuum. Aperuit enim oculos, quæ fuerat mortua; & vt ſolent qui de graui ſomno euigilant, fricans ſibi manibus frontem, & tempora, ſuper lectum ſe erexit, & agnito MALACHIA, inclinans deuotè ſalutauit eum. Qui gratias agens benedixit Dominum, &

vnxit

vnxit nihilominus eam, ac postmodum abijt: Illa verò conualuit, & viuens incolumis aliquanto tempore, vt Gloria Domini manifestaretur in ea, peracta tandem pœnitentia, quam sibi MALACHIAS iniunxerat, in bona confessione iterum obdormiuit in Domino. *Sur. ibid. cap. 32. ex eod. Bernardo.*

VIII.

MARCELLINA Virgo duobus orbata fratribus, Sanctis Ambrosio scilicet, & Satyro, vltimum vitæ suæ tempus venerandis eorum tumulis dedicauit; ante quos excubias agens; & die, noctuq. sacras persoluens preces, Deo spiritum reddidit, anno salutis 397. die 17. Iulij. *Iul. 17.*

Mombrit. tom. 2. M. S. Bibl. Vall. Ferrar. in Catal. Baron. in Annal. to. 4. plura de ipsa S. Ambros. epist. 13. lib. 2. & 46. ad Siagrium lib. 6. edit. Rom.

IX.

MARCELLVS Archimandrita Monasterij Acœmetorũ (idest non dormientium) ipsa quoque vltima suæ vitæ die, consueta charitatis officia exercere non destitit; multorum inimicitias conciliando; multorumq. controuersias componendo. Quando verò in extremo spiritu, carnis iam dissoluebantur vincula, cum plurimi adessent Monachi, & ex ijs, qui mundanis opibus, & gloria erant insignes, locutus est cum eis de anima, & corpore, & de ea, quæ est illic vita; & vnumquemque est adhortatus, prout conueniebat vniuscuiusque ætati, & dignitati. Demum cum esset etiam precatus, iussit eos secedere, dicens se velle parum dormitare; sicq. in somno pacis dormiens, sanctam emisit animam. *Dec. 29.*

Sur. to. 6. Lippom. to. 5. De eo Baron. in Annal. to. 6.

ANNOTATIO.

Plura, & quidem mira de tanto Viro essent hic recensenda, quę breuitatis ergo prætermittuntur. Illud autem non reticendum, quod habetur apud eundem Sur. cap. 36. hisce verbis.

In tota vita MARCELLVS, totam quidem noctem, diei verò plurimum, dabat canticis, & precibus, & alijs Dei ministerijs: reliquum autem his tribus dispertiebat. Et primi quidem ad eum

accedebant qui vexabantur cogitationibus; quibus dabat vnicuique medicamentum conueniens, & partim quidem diuina scriptura ea suppeditante; partim autem prudentia ex experientia. Post illos accedebant qui erant affecti iniuria. Cum verò pro eis literas scripsisset ad præsides, iudices, ad illos ipsos, qui faciebant iniuriam, & si opus erat, etiam ad ipsum Imperatorem (nam illi quoque erat reuerendus, & obtemperabat ad id quod magnus volebat MARCELLVS) conuertebat deinde ad ægrotantes, & omnes obiens, eis exhibebat, quæ eis erant necessaria ad alimentum, & ad curandum corpus.

X.

Nou. 2. MARCIANVS Monachus Cyri in Syria, morti proximus, cum sciret multos iam sibi ædificare Oratoria, vbi conderetur, rogauit Eusebium discipulum, omniq. terrore pleno eum iureiurando astrinxit, vt corpus in certo loco deponeret, & nemo præter duos alios, qui simul habitabant, sepulcrum dignoscerent, donec præterijsset magnus annorum numerus: hoc autem iusiurandum impleuit Eusebius; postquam enim illius animam Angelorum chorus ad cœlestem transtulit mansionem, non prius eius significauit obitum, donec cum duobus præfatis, facta fossa, & corpore deposito, complanauit terræ superficiem; adeòut quinquaginta, & pluribus annis ignotum manserit sepulcrum.

Theodoret. in Hist. SS. Patrum cap. 3. & Hist. Ecclesiast. lib. 4. Pallad. in Laus. in Vit. Patrum lib. 9. c. 4. M. S. Bibl. Vall.

ANNOTATIO.

Multi MARCIANO (vt dictum est) adhuc viuenti ædificabant oratoria; in Cyro quidem eius Sororis filius Alippius; in Chalcide Zenobia quædam, genere clara, & insignis virtute. Alij quoque non pauci hoc faciebant; post mortem illum rapere contendentes. *Idem Theod. ibidem*, qui hæc etiam addit non prætermittenda, nempè.

Cum datam sibi curationum gratiam celare vellet MARCIANVS, inuitus, & nolens nihilominus miracula faciebat: contigit enim aliquando vt Vir quidam habens filiam à malo Dæmone diù vexatam, veniret in solitudinem ad Virum Dei, sperans propter priorem consuetudinem eum conuenire; & pro ea rogare;

spe

ſpe autem fruſtratus, cum non liceret ei Dei videre ſeruum, rogauit quendam ſenem, cui illo tempore diuini illius Viri commiſſum fuerat miniſterium, vt paruum lecytum, oleo plenum, acciperet, & ad oſtium domunculæ poneret: Senex autem ſæpe quidem id facturum inficiatus, ſæpe etiam rurſus rogatus, victus eſt à precibus. Cum autem ſtrepitum ſenſiſſet MARCIANVS, interrogauit, quiſnam eſſet, & quodnam opus habens veniret? is autem (veram celans cauſam) ſimulauit ſe veniſſe, vt ſciret num aliquid iuberet; & hoc dicens dimiſſus eſt. Cum verò ſub aurora rurſus Pater Puellę rogaſſet, vt ſibi redderetur lecytus, ille, timens quidem, iuit quàmmaximo potuit ſilentio, & porrecta manu, acceptoq. lecyto cupiebat latere; ſed MARCIANVS audiens, rurſus rogauit, quidnam volens veniret? poſtquàm autem eandem dixit cauſam, quam Veſpere præſetulerat, ægrè ferens homo Dei, vt potè quod pręter conſuetudinē fuiſſet eius aduentus, iuſſit vera dicere. Ille igitur timens, & cōtremiſcens, cū non poſſet eū latere, qui plenus erat Dei gratia, dixit & quis eſſet qui ſupplicabat, morbi docuit tragædiā, & oſtendit lecytum. Is autē ſuccenſuit quidē, quod nollet virtutem oſtendere, minatus tamen quod ſi hæc rurſus auderet, & ab eius priuaretur conſuetudine, & auferretur miniſterium, remiſit; iubens reddere ei, qui dederat. Reuertenti autem Patri Puellæ, cum pauca ſtadia abeſſet ab Vrbe, occurrit quidam ſeruus à Domina miſſus in agrum, qui cum videret Dominum, attulit ei nuncium abſceſſionis Dæmonis, & liberationis Puellæ, quatuor ante diebus dicens factum eſſe miraculum. Diebus ergo ſupputatis, & tempore rectè examinato, didicit illud fuiſſe, in quo ſenex attulit lecytum. Si igitur Vir ille magnus, etiam cum ſtuderet celare quam acceperat virtutem, tantum oſtendit ſplendorē, quid non feciſſet, ſi miracula facere voluiſſet? *Simile habetur infra de* Syſoio, *&* Beſarione.

XI.

MARCVLPHVS Abbas in Pago Laudunenſi, modica correptus moleſtia, gaudens, & exultans præſtolabatur ſuæ vocationis horam. ſub mortem autem, cum ſuos ad perſeuerantiam eſſet adhortatus, oculis, & manibus ſurſum erectis, ait: Domine Ieſu Chriſte, Patris æterni filî vnigenite, miſerere mei ſenis iam fatiſcentis; & ſi iam ſatis eſt bonitati tuæ, quod hucuſque militaui in caſtris tuis, liceat mihi dein- *Maij* 1.

ceps diù optata libertate donato, ad Ciuium supernorum transire consortium. Quibus dictis, animam Deo reddidit.

Sur. to, 3. Molan. in addit. ad Vsuard.

XII.

Dec. 28. MARCVS Patauinus Ord. Iesuatorum sæpius prædixerat se non moriturum, nisi prius Eugenius Papa Romam redijsset. Illo igitur redeunte, cum exultatione magna, cecinit Canticum; Nunc dimittis seruum tuum Domine &c. & ad extrema deueniens, cum interrogaretur, num aliquid vellet? Lac (ille respondit) vellem Beatissimæ Virginis. Quibus verbis prolatis, cum pulsaretur tunc signum pro Aue Maria, reddidit spiritum, anno Domini 1444.

In Vita B. Io. Columbini cap. vlt. & apud Morig. cap. 51.

ANNOTATIO.

Canere solebat sæpius hunc Rithmũ Italicè MARCVS, nempè:
Dica il mondo ciò che vole. Io non curo di sue fole
Purche io habbia nel mio core, Giesu-Christo mio amore.

XIII.

MARCVS Salus Genuensis, cum graui morbo (cancerena scilicet in naribus) laboraret, & desperata salute impatiẽs nimis euasisset, vxor eius (Argẽtina nomine) accersiuit B. Catharinam Adornam, rogans eam, vt virum suum visitaret, & Domino commendaret. Quæ misericordia mota, accessit statim ad eum, & paucis, sed humilibus, ac ignitis verbis infirmum consolata, discessit cum Argentina; cum qua Ecclesiam sanctæ Mariæ Gratiarũ, iuxtà mare, ingressa, orauit pro infirmo; & oratione facta, vnaquæq. reuersa est in propria. Argentina autem inuenit virum suum valde immutatum, adeò vt Angelus, non Dæmon (vt antea) sibi videretur. Qui etiam dixit ei, quænam est anima illa sancta, quam ad me adduxisti? Et audiens, illam esse Catharinam Adornam, miræ sanctitatis mulierem, rogauit vt eandem ad se denuò adduceret. Quæ rogata venit iterum, & cum ad lectum eius

accede-

accederet, MARCVS cum lachrymis gratias ei egit, pro charitate sibi impensa; narrans quomodo post eius discessum apparuit sibi Dominus noster Iesus Christus in ea forma, qua dignatus fuerat in horto ostendere se Magdalenæ; & benedictionem, ac peccatorum remissionem sibi impertiuit, præcipiens ei vt pararet se, quia in die suæ gloriosæ Ascensionis ad eum iturus erat. Rogauit deinde Catharinam, vt accipere dignaretur sibi Argentinam in filiam, eamque exinde perpetuò secum habere: Idipsum ab Argentina postulans, vt sibi gratum foret. Cumque ambæ libentissimè annuerent, discessit Catharina: Marcus verò accersiri fecit confessarium; cui diligenter, maximaque cum contritione peccata sua con fessus fuit; sacrosanctam Eucharistiam reuerenter suscepit; testamentum condidit; & omnia prudenter disposuit: Cumque à propinquis (qui putabant eum, præ doloris magnitudine, rationis vsu carere) suaderetur bono esse animo; cum nihil horum opus esset, ipse noluit se ab eorum persuasionibus decipi, nec animæ suæ curam omittere, quin ad eius salutem omnia, quæ posset disponeret.

Adueniente Ascensionis peruigilio, confessarium accersiri iterum voluit, & denuò pœnitentiæ Sacramento expiatus, & sacro Viatico munitus, oleo sancto inungi, & quæ ad commendationem animæ, atque ad præparationem itineris essent opportuna, sibi impertiri curauit. Vespere autem facto dixit confessario, vt ad suum reuerteretur Monasterium, quia moneret eum, cum tempus foret. Discedentibus igitur omnibus, præter Argentinam, Crucifixi Domini nostri imaginem accepit in manibus, & ad vxorem conuersus, ait: Vxor mea carissima, ecce sponsus tuus: Hunc tibi relinquo: Præpara te ad ferendam Crucem, quia multa patieris. & per totam noctem hortatus est eam ad patientiam, quam cœli scalam esse dicebat. Illucescente autem aurora, Vale vltimum ei dixit, & sic emisit spiritum: Qui confessarij fenestram illicò pulsans, dixit ei: Ecce homo: Quod audiens Confessarius, cognouit eadem hora Marcum migrasse ad Dominum.

lendum morbum ſatis eſſe, ſi manu ſua locum illa ſancto ſigno muniret; cumque mater in ſinum eius manum intuliſſet (vt eam partem ſignaret) ſignum quidem ab ea factum fuiſſe, morbum verò abijſſe, relicta parua nota, quæ tunc apparebat.

Illud quoque non reticendum, quod narrat idem Gregorius de MACRINÆ miraculis. Cum enim (iuſtis peractis) ad ſua rediret Gregorius, comes factus eſt ſibi itineris vir quidam Illuſtris; qui narrauit ei, ſe filiam habuiſſe, oculo ex peſtilenti morbo laborantem, & adeò malè affecto, vt viſu quoque eſſet horribilis: Cumq. cum vxore ſua Monaſterium S. Macrinæ petijſſet, quod iamdiù vtrique concupierant, ſecum eandem ducentes puellam; cum vellent inde recedere, rogati ſunt à ſancta Virgine, vt paululum conſiſterent, donec apparata iam menſa recrearentur; addens: ſi hoc mihi conceſſeritis, medicamentum ad hunc oculum appoſitum præſtabo, amplexans interim, & exoſculans puellam. Manentes igitur, ſicut illa voluerat, & poſtmodum diſcedentes; dum quæ illic vtrique viderant, & audierant, ædificationis gaudio pleni, loquerentur in via; & opportunus ſermo de S. MACRINÆ benignitate erga puellam incideret, recordati ſunt, ſe neglexiſſe Collyrium petere promiſſum; & volentes aliquem ad illum poſcendum tranſmittere, puella interim, quæ in manibus nutricis erat, matrem reſpicit, mater ad eius oculos aciem intẽdens, videt oculum ſanatum; adeò vt ne veſtigium quidem in eo morbi relictum fuerit. Hæc (inquam) narrat Gregorius audiuiſſe à præfato viro; multaque eiuſdem MACRINAE miracula attexere ſe potuiſſe aſſerit, quæ conſultò omittit.

Qualis autem quantaue fuerit virgo hæc; & quo ſanctitatis, & doctrinæ faſtigio ſublimata, ex ijs quæ idem Greg. d. lib. de Anima, & Reſurrectione ſcribit, facillimè poteſt intelligi; dum ſe illius eſſe diſcipulum, illam verò magiſtram ſæpè ingenuè profitetur. Ab ipſa enim abdita quæque Chriſtianæ Theologiæ, purgatis tantum mentibus peruia, ſe accepiſſe teſtatur.

Nec prætereundum, hanc dictam eſſe iuniorem, reſpectu alterius Macrinæ Auiæ, diſcipulæ Gregorij Thaumaturgi, de qua Martyrol. Rom. 14. Ian.

IV.

MAGDALENA Abbatiſſa Monaſterij de Luco, qua die erat migratura è carnis ergaſtulo, cum, refectionis hora, ſanctimoniales in refectorium conueniſſent, vocans vnam ex

ſororibus,

ſororibus; quæ cum ægrotante remanſerat, aſſiſtens lectulo: Audis (inquit) ſoror iſtos cantus ſuauiſſimos? Negans illa ſe audire, interrogauit quid canerent; & illa: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Iterum iubet ſororem ad ſe propius accedere, & eam interrogans, an audiret ſuauiter pſallentes, atque dicentes: Beati qui habitant in domo tua, in ſæcula ſæculorum laudabunt te; nihil ſe audiſſe reſpondit (vidiſſe autem ſe teſtata eſt ſoror illa, ægrotantis vultum, tanquam vultum Angeli, vtique exultantem in Domino, & hilaritatem, ac lætitiam plurimam, oculis coruſcantibus, in iubilo præſeferentem) Superuenientibus verò ſororibus cęteris, atque (audito miraculo) ſtupentibus, & collachrymantibus præ gaudio, paulò poſt, Sacramentis Eccleſiaſticis munita, euolauit ad ſuperos.

P. Delphinus lib. 11. Epiſtolar. epiſt. 79.

V.

MAGLORIVS Epiſcopus Dolenſis dum, relicta Dolenſi Eccleſia, ſolitarius degeret, de ſui obitus imminente die ab Angelo fuit edoctus; quem rogauit, vt antequàm diſcederet, benedictionem ſibi impertiret. Renuens autem Angelus reſpondit ei: Quonammodo ego benedicam tibi, cui benedixit is, à quo omnes ſancti benedicti ſunt, & ſanctificati? Poſt dies autem paucos ipſemet Angelus tradidit ei (tanquam breuì morituro) Viaticum; & ab illo die, de ſuo ſolicitus obitu, vſque ad diem vocationis ſuæ, verſum hunc Pſal. 26. ſæpius repetebat, nempè: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ; nec vnquam viſus eſt à templo recedere, donec conſummato curſu, inter ſanctæ exhortationis verba animam Deo reddidit. Claruit anno Domini 620. *Octob. 24*

Sur. tom. 5. De eo Petr. in Catal. lib. 9. cap. 103. Tritbem. de Vir. Ill. lib. 3. cap. 50. & lib. 4. cap. 47.

V.

MAIOLVS Abbas Cluniacenſis, circa finem vitæ ſuæ *May 11*
bięnniò ante ſibi prænuntiatum, voluit Monaſterium quod-

dam S. Benedicti visitare. Arrepto igitur itinere, cum ad territorium Aruernense peruenisset, in loco (Siluiniaco nuncupato) vltima cœpit ægritudine exerceri: Cumque à fratribus, an aliquid doleret, interrogaretur, respondit: Nihil se habere molestiæ, sed omnia quieta, & tranquilla prospicere; videre insuper bona Domini in terra viuentium; Deumque fontem viuum totis medullis sitire, & anhelare. Gaudens autem frequentabat hos versus: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, &: Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum; concupiscit, & deficit anima mea in Atria Domini, &: Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Benedictionem demum, & absolutionem, lachrymans, fratribus in terra prostratis, eamque lachrymabiliter postulantibus, impertiuit; & sacro tandem munitus Viatico. Crucis etiam munitus signaculo, quod sæpius dextera sibi depingebat; eosdemque versiculos identidem repetens, feliciter migrauit ad Dominum, anno sal. 993.

Biblioth. Cluniac. & in vita eiusdem, quæ habetur ibidem. De eo Petr. Cluniac. lib. 2. mirac. cap. 31. Thrithem. de Vir. Ill. lib. 3. cap. 230. Sur. tom. 3.

V. L I.

Nou. 2. MALACHIAS, Episcopus Connerthensis in Hibernia, vltima correptus infirmitate, cum videret assistentes omnes, circa frequens ministerium solicitos, medicamenta perquirere; eumq. vrgere ad gustandum, ait ad illos: sine causa hæc; sed charitate vestri, quidquid iniungitis, facio (sciebat enim suæ migrationis tempus adesse.) Cumq. fratres fidentius instarent dicentes, non oportere de vita diffidere, cum nulla in eo mortis apparerent indicia: Hoc anno (respondet) oportet Malachiam de corpore exire; & ecce appropinquat dies, quam optaui, resolutionis meæ. Scio cui credidi, & certus sum, non fraudabor reliquo desiderij mei, qui partem iam teneo.

Qui

Qui me sua misericordia perduxit ad locum, quem petij (Claram vallem scilicet) terminum, quem æquè volui, non negabit. Quòd ad corpusculum attinet, hic requies mea: quòd ad animam, Dominus prouidebit, qui saluos facit sperantes in se. Nec parum spei repositum mihi in die illa (commemorationis nempe omnium defunctorum, iam imminēte) qua mortuis tanta à viuis beneficia impenduntur. Intereà iubet se sacro inungi oleo: videns autem exeuntē ad se fratrum conuentum, vt solemniter fieret, non sustinuit; sed ipse ad eos descendit (iacebat siquidem in superiori domus solario) sacra deinde Vnctione percepta, & sumpto Viatico, fratrum se orationibus, fratresq. Deo commendauit, & ad lectum suis pedibus reuersus est. Sub noctis autem crepusculo, febre inualescente, horam adesse sentiens, fratres accersiri fecit; oculosq. in circunstantes dirigens, ait: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare apud Vos. Gratias ago supernæ Pietati; non sum fraudatus à desiderio meo. Habete curam mei; ego vestri (si licuerit) non obliuiscar; licebit autem. Credidi in Deum, & omnia possibilia credenti. Amaui Deum, amaui Vos; & Charitas nunquam excidit; suspiciensq. in cœlum subdidit: Deus serua eos in nomine tuo. Deinde singulis manus imponens, & benedicens, pauxillatum eos ire iussit. Redeuntibus verò circa noctis medium, & cantica, psalmos, hymnosq. cantantibus, felicissima Anima migrauit ad Dominum, anno salutis 1148. ipsa die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, quā optauerat mori; licet Ecclesia transtulerit eius solemnitatem in diem sequentem.

Sur. tom. 6. ex S. Bernardo.

ANNOTATIO.

Vitam eius descripsit S. Bernardus, eundemq. viuentem, ac postea defunctum mirificè coluit: quod apparet præcipuè ex ijs, quæ de ipso habetur in Præfatione eiusdem Vitæ his verbis. Me inter speciales amicos Sanctus ille habebat; & eo loci, vt nulli in hac

parte

parte gloriæ, secundum fuisse me credam. & in fine eiusdem Vitæ. In extremis positus erat. Accurri ergo vt benedictionem morituri super me veniret. At ille cum iam membra alia mouere non posset, eleuatis manibus super caput meum, benedixit mihi, & benedictionem hæreditate possideo. extant eiusdem Bernardi ad Malachiam epistolæ 315. 316. & 317. sermo quoque in eius festiuitate.

Interrogatus aliquando MALACHIAS, quonam in loco (si optio detur) extremum malit agere diem, respondit: si hinc migro (Hibernia scilicet) nusquam libentius, quàm vnde vnà cum nostro Apostolo (Patritio nempè) resurgere possim: Si peregrinari oportet, Claram vallem delegi. Requisitus item de tempore; Diem (respondit) solemnem omnium Defunctorum. Peregrinationem autem suscipiens; Claramuallem venit; vbi summa lætitia & hilaritate exceptus, præcipuè à S. Bernardo, ipsamet expetita Defunctorum solemni die quieuit in Domino. Illud de tanto Viro non prætereundum, quod habetur c. 32. eiusdem Vitæ, nepè:

Anon. Obit. Cum infirmaretur Vxor cuiusdam Viri nobilis ad mortem, rogatus est MALACHIAS, vt eam oleo sancto vngeret priusquam moreretur, Qui intrauit ad eam, & ad eam vngendam se parauit; sed quia illa viso eó exultauerat, spe animata salutis, visum est omnibus differendum potius vsque ad mané (erat enim Vespera) acquieuit MALACHIAS, & data benedictione super ægram, exiuit cum his, qui secum erant. At verò post modicum mortua est. Accurrit igitur Vir sanctus, tumultu audito, & accedens ad lectum, vt certò comperijt expirasse, consternatus est animo, sibi imputans, quód fraudata obierit gratia sacramenti; & eleuatis in cœlum manibus ait: obsecro Domine, insipienter egi: Ego peccaui, qui distuli, non Ista, quæ voluit. Hæc dicens, contestatus est coram omnibus; nullam se recepturum consolationem, nullam daturum requiem spiritui suo, nisi, quam abstulerat, liceret restituere gratiam: & stans super eam, tota nocte laborauit in gemitu suo, eam lachrymarum imbre perfundés. Ad suos item Discipulos, qui secum erant conuersus, ait: Vigilate, & orate mecum. Itaq. In Psalmis illi, ipse in lachrymis, noctem duxère peruigilem. Et mane facto exaudiuit Dominus sanctum suum. Aperuit enim oculos, quæ fuerat mortua; & vt solent qui de graui somno euigilant, fricans sibi manibus frontem, & tempora, super lectum se erexit, & agnito MALACHIA, inclinans deuotè salutauit eum. Qui gratias agens benedixit Dominum, &

vnxit nihilominus eam, ac postmodum abijt: Illa verò conualuit, & viuens incolumis aliquanto tempore, vt Gloria Domini manifestaretur in ea, peracta tandem pœnitentia, quam sibi MALACHIAS iniunxerat, in bona confessione iterum obdormiuit in Domino. *Sur. ibid. cap. 32. ex eod. Bernardo.*

VIII.

MARCELLINA Virgo duobus orbata fratribus, Sanctis Ambrosio scilicet, & Satyro, vltimum vitæ suæ tempus venerandis eorum tumulis dedicauit; ante quos excubias agens; & die, noctuq. sacras persoluens preces, Deo spiritum reddidit, anno salutis 397. die 17. Iulij. *Iul. 17.*

Mombrii tom. 2. M. S. Bibl. Vall. Ferrar. in Catal. Baron. in Annal. to. 4. plura de ipsa S. Ambros. epist. 13. lib. 2. & 46. ad Siagrium lib. 6. edit. Rom.

IX.

MARCELLVS Archimandrita Monasterij Acœmetorũ (idest non dormientium) ipsa quoque vltima suæ vitæ die, consueta charitatis officia exercere non destitit; multorum inimicitias conciliando; multorumq. controuersias componendo. Quando verò in extremo spiritu, carnis iam dissoluebantur vincula, cum plurimi adessent Monachi, & ex ijs, qui mundanis opibus, & gloria erant insignes, locutus est cum eis de anima, & corpore, & de ea, quæ est illic vita; & vnumquemque est adhortatus, prout conueniebat vniuscuiusque ætati, & dignitati. Demum cum esset etiam precatus, iussit eos secedere, dicens se velle parum dormitare; sicq. in somno pacis dormiens, sanctam emisit animam. *Dec. 29.*

Sur. to. 6. Lippom. to. 5. De eo Baron. in Annal. to. 6.

ANNOTATIO.

Plura, & quidem mira de tanto Viro essent hic recensenda, quę breuitatis ergo prætermittuntur. Illud autem non reticendum, quod habetur apud eundem Sur. cap. 36. hisce verbis.

In tota vita MARCELLVS, totam quidem noctem, diei verò plurimum, dabat canticis, & precibus, & alijs Dei ministerijs: reliquum autem his tribus dispertiebat. Et primi quidem ad eum

accedebant qui vexabantur cogitationibus; quibus dabat vnicuique medicamentum conueniens, & partim quidem diuina scriptura ea suppeditante; partim autem prudentia ex experientia. Post illos accedebant qui erant affecti iniuria. Cum verò pro eis literas scripsisset ad præsides, iudices, ad illos ipsos, qui faciebant iniuriam, & si opus erat, etiam ad ipsum Imperatorem (nam illi quoque erat reuerendus, & obtemperabat ad id quod magnus volebat MARCELLVS) conuertebat deinde ad ægrotantes, & omnes obiens, eis exhibebat, quæ eis erant necessaria ad alimentum, & ad curandum corpus.

X.

Nou. 2. MARCIANVS Monachus Cyri in Syria, morti proximus, cum sciret multos iam sibi ædificare Oratoria, vbi conderetur, rogauit Eusebium discipulum, omniq. terrore pleno eum iureiurando astrinxit, vt corpus in certo loco deponeret, & nemo præter duos alios, qui simul habitabant, sepulcrum dignoscerent, donec præterijsset magnus annorum numerus: hoc autem iusiurandum impleuit Eusebius; postquam enim illius animam Angelorum chorus ad cœlestem transtulit mansionem, non prius eius significauit obitum, donec cum duobus præfatis, facta fossa, & corpore deposito, complanauit terræ superficiem; adeòut quinquaginta, & pluribus annis ignotum manserit sepulcrum.

Theodoret. in Hist. SS. Patrum cap. 3. & Hist. Ecclesiast. lib. 4. Pallad. in Laus. in Vit. Patrum lib. 9. c. 4. M.S. Bibl. Vall.

ANNOTATIO.

Multi MARCIANO (vt dictum est) adhuc viuenti ædificabant oratoria; in Cyro quidem eius Sororis filius Alippius; in Chalcide Zenobia quædam, genere clara, & insignis virtute. Alij quoque non pauci hoc faciebant; post mortem illum rapere contendentes. *Idem Theod. ibidem*, qui hæc etiam addit non prætermittenda, nempè.

Cum datam sibi curationum gratiam celare vellet MARCIANVS, inuitus, & nolens nihilominus miracula faciebat: contigit enim aliquando vt Vir quidam habens filiam à malo Dæmone diù vexatam, veniret in solitudinem ad Virum Dei, sperans propter priorem consuetudinem eum conuenire; & pro ea rogare;

spe

spe autem frustratus, cum non liceret ei Dei videre seruum, rogauit quendam senem, cui illo tempore diuini illius Viri commissum fuerat ministerium, vt paruum lecytum, oleo plenum, acciperet, & ad ostium domunculæ poneret: Senex autem sæpè quidem id facturum inficiatus, sæpè etiam rursus rogatus, victus est à precibus. Cum autem strepitum sensisset MARCIANVS, interrogauit, quisnam esset, & quodnam opus habens veniret? is autem (veram celans causam) simulauit se venisse, vt sciret num aliquid iuberet; & hoc dicens dimissus est. Cum verò sub aurora rursus Pater Puellę rogasset, vt sibi redderetur lecytus, ille, timens quidem, iuit quammaximo potuit silentio, & porrecta manu, acceptoq. lecyto cupiebat latere; sed MARCIANVS audiens, rursus rogauit, quidnam volens veniret? postquam autem eandem dixit causam, quam Vespere prætulerat, ægrè ferens homo Dei, vt potè quod pręter consuetudinē fuisset eius aduentus, iussit vera dicere. Ille igitur timens, & cōtremiscens, cū non posset eū latere, qui plenus erat Dei gratia, dixit & quis esset qui supplicabat, morbi docuit tragædiā, & ostendit lecytum. Is autē succensuit quidē, quod nollet virtutem ostendere, minatus tamen quod si hæc rursus auderet, & ab eius priuaretur consuetudine, & auferretur ministerium, remisit; iubens reddere ei, qui dederat. Reuertenti autem Patri Puellæ, cum pauca stadia abesset ab Vrbe, occurrit quidam seruus à Domina missus in agrum, qui cum videret Dominum, attulit ei nuncium abscessionis Dæmonis, & liberationis Puellæ, quatuor ante diebus dicens factum esse miraculum. Diebus ergo supputatis, & tempore rectè examinato, didicit illud fuisse, in quo senex attulit lecytum. Si igitur Vir ille magnus, etiam cum studeret celare quam acceperat virtutem, tantum ostendit splendorē, quid non fecisset, si miracula facere voluisset? *Simile habetur infra de* Sysoio, *&* Besarione.

X I.

MARCVLPHVS Abbas in Pago Laudunensi, modica correptus molestia, gaudens, & exultans præstolabatur suæ vocationis horam. sub mortem autem, cum suos ad perseuerantiam esset adhortatus, oculis, & manibus sursum erectis, ait: Domine Iesu Christe, Patris æterni fili vnigenite, miserere mei senis iam fatiscentis; & si iam satis est bonitati tuæ, quod hucusque militaui in castris tuis, liceat mihi dein- *Maij* 1.

ceps diù optata libertate donato, ad Ciuium supernorum transire consortium. Quibus dictis, animam Deo reddidit.

Sur. to. 3. Molan. in addit. ad Vsuard.

XII.

Dec. 28. MARCVS Patauinus Ord. Iesuatorum sæpius prædixerat se non moriturum, nisi prius Eugenius Papa Romam redijsset. Illo igitur redeunte, cum exultatione magna, cecinit Canticum; Nunc dimittis seruum tuum Domine &c. & ad extrema deueniens, cum interrogaretur, num aliquid vellet? Lac (ille respondit) vellem Beatissimæ Virginis. Quibus verbis prolatis, cum pulsaretur tunc signum pro Aue Maria, reddidit spiritum, anno Domini 1444.

In Vita B. Io. Columbini cap. vlt. & apud Morig. cap. 51.

ANNOTATIO.

Canere solebat sæpius hunc Rithmũ Italicè MARCVS, nempè:
Dica il mondo ciò che vole. Io non curo di sue fole
Purche io habbia nel mio core, Giesu-Christo mio amore.

XIII.

MARCVS Salus Genuensis, cum graui morbo (cancerena scilicet in naribus) laboraret, & desperata salute impatiẽs nimis euasisset, vxor eius (Argẽtina nomine) accersiuit B. Catharinam Adornam, rogans eam, vt virum suum visitaret, & Domino commendaret. Quæ misericordia mota, accessit statim ad eum, & paucis, sed humilibus, ac ignitis verbis infirmum consolata, discessit cum Argentina; cum qua Ecclesiam sanctæ Mariæ Gratiarũ, iuxtà mare, ingressa, orauit pro infirmo; & oratione facta, vnaquæq. reuersa est in propriã. Argentina autem inuenit virum suum valde immutatum, adeò vt Angelus, non Dæmon (vt antea) sibi videretur. Qui etiam dixit ei, quænam est anima illa sancta, quam ad me adduxisti? Et audiens, illam esse Catharinam Adornam, miræ sanctitatis mulierem, rogauit vt eandem ad se denuò adduceret. Quæ rogata venit iterum, & cum ad lectum eius

accede-

accederet, MARCVS cum lachrymis gratias ei egit, pro charitate sibi impensa; narrans quomodo post eius discessum apparuit sibi Dominus noster Iesus Christus in ea forma, qua dignatus fuerat in horto ostendere se Magdalenæ; & benedictionem, ac peccatorum remissionem sibi impertiuit, præcipiens ei vt pararet se, quia in die suæ gloriosæ Ascensionis ad eum iturus erat. Rogauit deinde Catharinam, vt accipere dignaretur sibi Argentinam in filiam, eamque exinde perpetuò secum habere: Idipsum ab Argentina postulans, vt sibi gratum foret. Cumque ambæ libentissimè annuerent, discessit Catharina: Marcus verò accersiri fecit confessarium; cui diligenter, maximaque cum contritione peccata sua confessus fuit; sacrosanctam Eucharistiam reuerenter suscepit; testamentum condidit;& omnia prudenter disposuit: Cumque à propinquis (qui putabant eum, præ doloris magnitudine, rationis vsu carere) suaderetur bono esse animo, cum nihil horum opus esset, ipse noluit se ab eorum persuasionibus decipi, nec animæ suæ curam omittere, quin ad eius salutem omnia, quæ posset disponeret.

Adueniente Ascensionis peruigilio, confessarium accersiri iterum voluit, & denuò pœnitentiæ Sacramento expiatus, & sacro Viatico munitus, oleo sancto inungi, & quæ ad commendationem animæ, atque ad præparationem itineris essent opportuna, sibi impertiri curauit. Vespere autem facto dixit confessario, vt ad suum reuerteretur Monasterium, quia moneret eum, cum tempus foret. Discedentibus igitur omnibus, præter Argentinam, Crucifixi Domini nostri imaginem accepit in manibus, & ad vxorem conuersus, ait: Vxor mea carissima, ecce sponsus tuus: Hunc tibi relinquo: Præpara te ad ferendam Crucem, quia multa patieris. & per totam noctem hortatus est eam ad patientiam, quam cœli scalam esse dicebat. Illucescente autem aurora, Vale vltimum ei dixit, & sic emisit spiritum: Qui confessarij fenestram illicò pulsans, dixit ei: Ecce homo: Quod audiens Confessarius, cognouit eadem hora Marcum migrasse ad Dominum.

Sanctuarium Genuæ, in vita B. Catharinæ Adornæ.

XIV.

Ian. 23. MARGARITA Virgo Romana, cum in febriculã incidisset, mortem præsentiens, plurimum de rebus diuinis locuta est: cumque ad extrema venisset, assurgens, animam exhalauit, anno Domini 1505. ætatis 63.

Discipula autem eius, Gentilis nomine, testata est, tunc se cœlites vidisse, qui ad magistræ animam, ex corpore migrantem, accipiendam accesserant; ob idque ipsam venerabundam assurrexisse.

Sur. tom. 7. Hieron. Rubeus hist. Rauenn. lib. 8.

ANNOTATIO.

In oppido Russio, Lungipresso nuncupato, Rauennatis ditionis, orta est MARGARITA, quæ per annos quatuordecim assiduè grauissimis morbis miserè afflictata, illustre præbuit patientiæ exemplum; præcipuè cum à plerisque sanctitas eius, & morbus irrideretur; multisque calumnijs proscinderetur.

Post eius obitum cum biduò insepulta seruaretur, visa est facies eius sudore madescere; cumque à pia quadam muliere linteolo detergeretur, idem linteolum ad ignem exiccatum, suauissimum afflauit violarum odorem; qui multis etiam deinde annis in eodem permansit. *ex Hieron. Rubeo.*

XV.

Iun. 10. MARGARITA Scotiæ Regina ad exitum suum, longè ante migrationis tempus, præparare se volens, accersiuit confessarium, vitamque suam cum lachrymis ei replicauit; & demum ipsi valedicens, ait: Ego posthac diù in hac vita non subsistam: duo sunt, quæ à te postulò; vnum vt quoad vixeris, animæ meæ in Missis, & orationibus tuis meminisse velis; alterum vt liberorum meorum curam habeas; amorem eis impendas; Deum præcipuè timere eos doceas; & cum ad culmen terrenæ dignitatis quemlibet eorum euehi conspexeris, illius vel maximè patrem, & magistrum simul te exhibeas; admonendo, & (vbi res postulauerit) etiam obiurgãdo:

Ne

Ne propter mundi prosperitatem æternæ vitæ felicitatem sua negligentia amittat.

Dimidio post hæc anno, ingrauescente morbi molestia, è lecto rarò surgere potuit; audita tamen Regis, & filij sui occisione; & morbo nonnihil de sua acerbitate remittente, Oratorium adire voluit, vbi Missas audire, & exitum suum Dominici corporis, & sanguinis Viatico præmunire studuit. Mox prioribus grauata doloribus, cum, lecto prostrata, ad exitum vehementius vrgeretur, Crucem Scotiæ nigram, quam semper in veneratione habuerat, amplecti; exosculari; illaque crebrò oculos, & faciem signare curauit. Redeunte interim altero eius filio de exercitu; & audita denuò ab eo, coniugis, & alterius filij morte, manus ad cœlum eleuans in laudes Dei, & gratiarum actionem prorupit dicens: Laudes, & gratias tibi ago, omnipotens Deus, quod me tantas in exitu meo angustias perpeti; easque tolerantem, à quibusdam (vti spero) peccatorum maculis emundare voluisti.

Sentiens tandem mortis aduenisse horam, sic orauit: Domine Iesu Christe, qui voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto per mortem tuam mundum viuificasti, libera me. Atque sub his verbis, à vinculis liberata corporis, ad veram transijt, libertatem, anno Domini 1097.

Sur. tom. 3. ex hist. Scotor. lib. 12. Baron. in Annal. tom. 11. Molar. in addit. ad Vsuar.

X. V I.

MARGARITA Septempedana, seu de sancto Seuerino, *Aug.* 28. in Piceno, cum imminere sibi mortem præuideret, suis aduocatis, obitus diem prænunciauit; multisque sermonibus, ad virtutem sectandam, & ad amorem Dei cunctos est adhortata. Filia autem ad eius pedes accedens, amoris aliquod monumentum à matre postulabat; quæ dixit ei: En tibi pedum calceamenta relinquo. Sed filia: quomodo (inquit) id fieri potest, cum nudo semper ambulaueris pede? At illa: curæ omninò id tibi sit (filia) vt mortuæ mihi calceos è pedibus detrahas. Ea itaque iam defuncta, cœpit filia nescio quos

calceos in tenues membranas deductos, è pedibus educere; distincta apparente in eis digitórum omnium cum suis vnguibus imagine. Qui postea seruati ab eadem filia; & demum ad Ecclesiam delati, videntur adhuc in eadem Ecclesia Sancti Dominici, eiusdem Ciuitatis S. Seuerini. obijt anno Domini 1395.

M. S. Bibl. Vall. ex act. ipsius apud Seuerinates. Ferrar. in Catal.

ANNOTATIO.

Multis fuit illustrata miraculis MARGARITA, quæ leguntur in eiusdem actis, vbi hæc præcipuè de calceamentis habentur.

Seruantur adhuc eadem calceamenta vnà cum clauo ferreo in calce infixo Extat autem dictorum index, & quasi testis, vetusta admodum ipsius MARGARITAE imago ad D.Seuerini, in eo pariete depicta, quæ ad sinistram est ingredientibus; vbi ante Virginem, ita cernitur prostrata, vt clauum itidem pedum alteri affixum gerere videatur. Hæc in actis. Pariete autem, in quo eiusmodi cernebatur imago, occasione nouæ absidis in eodem templo diebus nostris extructæ, demolito, periit memoria tam insignis; quemadmodum, & clauus ipse (nostrorum pariter incuria) qui nullatenus reperitur.

Imitari voluisse credendū est eiusdem nominis Virginem MARGARITAM Vngaricam, quæ (vt infra dicetur) clauos in calceis deferens pedes & ipsa cruentari curabat.

XVII.

Ian. 28. MARGARITA Virgo Vngarica obitum suum anno vno ante præuidit, & prædixit, & tandem decima nona die Ianuarij, cum sana esset corpore, dixit se post dies decem obituram. Tertia verò die postquam ista prædixerat, febre correpta decubuit. Munita igitur Ecclesiasticis sacramentis, semper orans, & de Deo cogitans, vbi ad extremam horam diei, qua se morituram prædixerat, venisse cognouit, incepit Psalmum trigesimum: In te Domine speraui: & cum dixisset: In manus tuas commendo spiritum meum, felicem animam transmisit in cœlum, anno Domini 1270. ætatis 28.

Sur. tom. 1.

ANNO-

ANNOTATIO.

Fuit hæc Belę Regis Vngarorũ filia, quæ in Dominicano cœnobio, insulæ Vesprimiensis Diœcesis (nuptias respuens) monasticam professa est Religionem. Ingens sibi fuit edomandæ carnis studium; adeò vt in calceis quoque quosdam ferreos haberet clauiculos, quorum acumina ita erant disposita, vt quandocunque, vel ambularet, vel subsisteret, plantas pedum eius pungerent, atque cruentarent.

XVIII.

MARIA Aegyptiaca, ex meretrice pœnitens, in eremo degens, suæ migrationis temporis præscia, Zosimam Abbatem (qui diuina dispensatione ad eam venerat) post mutuam orationem, & anteactæ vitæ expositionem, obtestata est per Dominum Saluatorem Iesum Christum, ne cui diceret, quæ audierat (mira quidem) quoadusque de vinculo carnis absolueretur, & subdidit: Iterum hoc eodem tempore, adueniente anno, apparebo tibi, & videbis me, Dei nos gubernante gratia: fac autem propter Dominum, quæ nunc tibi iniungo, vt sacris ieiunijs recurrentibus anni venturi non transeas Iordanem, vt consuetudinem habetis in Monasterio, neque enim si exire volueris quoquam, valebis; Vespere autem sacratissimæ Dominicæ cœnæ, diuini corporis, & viuifici sanguinis portionem, vase sacro, dignoque tanti mysterij affer; & sustine me in parte Iordanis, quæ coniungitur sæculo, & veniens viuifica accipiam dona. Rogo meam ne spernas petitionem; sed per omnia ipsa viuifica, atque diuina mysteria affer in ea hora, qua Dominus discipulos diuinæ cœnæ participes fecit. Demum cum secreta aliqua Monasterij, emendatione indigentia, ei reuelasset, Abbati eiusdem monasterij denuncianda, orationem postulando, in interiorem solitudinem velocius festinauit. *Apr. 9.*

Zosimas igitur, quando aduenit sacra ieiuniorum prima Dominica, exeuntibus (de more) post orationem alijs, ipse, modica febris infirmitate detentus, mansit in Monasterio. Recorda-

cordatusq. est sibi prædictum à Sancta illa, quia neque volens exire valebis. Vnde reuertentibus Monachis sacræ Cœnæ Vespere, fecit quod iussum fuerat; & mittens in modico calice intemerati corporis portionem, & pretiosi sanguinis Domini nostri Iesu Christi, venit ad ripam Iordanis; & ibi sedebat, aduentum sanctæ mulieris præstolans: quæ (Zosima orante) & sustinente, veniens, in parte alia fluminis stetit; & edito signo Crucis, ambulauit super aquas Iordanis; quod videns Zosimas, & stupens, genua flectere volebat; sed exclamans illa super aquas, prohibuit dicens: quid facis Abba? quia Sacerdos Dei es, & diuina portas mysteria. Qui statim obediuit dicenti. Illa autem descendens de aquis, dixit seni: benedic Pater, benedic: deinde postulauit vt diceret sanctum Symbolum, & sic Dominicam inchoaret orationem: Et expleto Pater noster, sancta (sicut mos est) pacis osculum obtulit seniori; & sic viuifica mysteriorum suscipiens dona, in cœlum extensis manibus, ingemiscens cum lachrymis, ita clamabat: Nunc dimittis Domine Ancillam tuam secundum verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuũ, & seni dixit: Ignosce Abba, & aliud meæ petitionis imple mandatum: Vade nunc ad Monasterium, recursu autem anni aduenientis, iterum veni in illo torrente, in quo tecum sum prius locuta. Per omnia non omittas, sed propter Deum veni, & videbis me iterum qualiter Deus voluerit. Orauit eam Zosimas vt modicum cibi ex eo, quod attulerat dignaretur accipere; & ostendit ei, quod secum attulerat canistrum, nempè carycas paucas, Dactylos, & parũ lenticulæ infusæ in aquis. Illa igitur extremis digitis lenticulam contigit, & tria tollens grana intulit ori; sufficere (dicens) gratiam spiritus, vt custodiret animæ substantiam immaculatam. Deinde dicit Seni: ora pro me propter Deum, & meæ memor esto semper infelicitatis; ille verò deprecans cum lachrymis vt oraret pro Ecclesia, & pro Imperio, & pro se, dimisit eam abire, flens & eiulans. Quæ Crucis iterum impressione Iordanem signãs, ascendit ambulans super liquidum elementum, & transiuit sicut

cut ante veniens fecerat. Senex igitur reuersus, & gaudio, & tremore repletus; reprehendens tamen semetipsum, quia nomen Sanctæ, vt cognosceret, non inquisiuit. Transacto autem eodem anni cursu, venit iterum Zosimas in eandem deserti solitudinem; & perambulans, nec inueniens aliqua cupiti loci indicātia signa, lugens orauit Dominum, vt dignaretur ostendere sibi in corpore Angelū illum; cui totus cōparari indignus erat mundus; & hæc orando, peruenit ad locum torrētis designatū; in cuius extrema parte superiore vidit splendentē solē, & aspiciens vidit sanctæ mortuū iacens corpus; & manus, vt oportet, compositas habens ad Orientē porrectas. Currens autem, lachrymis lauit beatissimæ pedes; non enim aliud corporis membrū audebat contingere: lachrymans autē aliquandiu, & Psalmos dicens, tempori & rei congruētes, fecit sepulturę orationē; & dicebat sibi ipsi: forsitan non complacet sanctæ, hæc fieri. Hæc eo cogitante, designatā scripturam vidit in terra, vbi hæc legebantur: Sepeli Abba Zosima miseræ Mariæ corpusculum: Redde terræ quod suum est, & pulueri adijce puluerem: Ora tantum pro me propter Dominum transeunte, mense Parmothi, secundum Aegyptios, qui est secundum Romanos, Aprilis, die nona salutiferæ Passionis, post diuinæ & sacræ cœnæ communionem. Has senex cum legisset literas, cognouit quia mox, vt diuina in Iordane mysteria participauit, in eadem hora in locum illum venit: vbi mox de hoc mundo transiuit; & idem iter, quod Zosimas per dies viginti ambulans vix consummauit laborans, vnius horæ cursu Maria consumpsit, & statim migrauit ad Dominum.

Volens autem Zosimas sepulchrum parare, vidit paruum lignum iacere; quo accepto cœpit fodere terram: sed nullatenus valens, ob eiusdem terræ duritiem, & suorum virium imbecillitatem, superuenit Leo ingentis formæ; qui cum Sanctæ plantas lambisset, & senem blandis nutibus salutasset, eiusdem senis iussu fecit vnguibus foueam; quanta ad sepeliendum sanctæ corpusculum sufficere posset. Senex verò lachrymis pedes abluens; & multipliciter effusa prece exorans,

rans, operuit terra corpusculum, astante Leone.

Vit.Patr.lib.1.vbi res eius gestæ fusius enarrantur à Sophr. descripta, & à Paulo Ecclesiæ Neapol. Diac. latinè redditæ, quæ quidem citantur in Nicena 2.Syn.Act.4.& à S.Io.Dam. in orat.3. de imaginibus in fine. Habemus easdem Græcolat. M.S. in Bibl. Vall.

XIX.

Iun.23. MARIA de Oegnes Niuellensis Virgo (quæ virum, cui nupta fuerat, virginitatem pariter excolere suasit) vltimo eius vitæ anno adueniente, longè ante, diuina reuelatione sibi præcognito, præ desiderio supernæ patriæ se amplius continere non valens, anhelabat, suspirabat; & quasi moræ impatiens, inclamabat: Non cupio hìc morari amplius: Domum ire volo. Confessario suo (Iacobo nempè de Vitriaco S. R. E. Cardinali, qui eius postea descripsit vitam) Zonam, qua cingebatur & sudariolum, quo iuges lachrymas detergebat, cum ad huc esset incolumis, testamēto relinquere voluit, affirmans eidem, se citò morituram.

Appropinquante autem extremæ atque optatę ęgrotationis tempore, dixit ancillæ suæ: Vereor ne tibi, & alijs molesta fiam; diuturna enim, & graui ægritudine confecta proficiscar ad Dominum. Reformidabat enim ne causa eius quisquam grauaretur. Prædixit quoque se quadam secunda feria humi collocatam iri. Itaque toto illo anno semper ferè illa feria ieiunabat, nihil prorsus cibi recipiens. Quantò verò tempus mortis eius magis accedebat, tantò illa sine intermissione, diebus, ac noctibus Domino studiosius deseruire, & placere nitebatur.

Correpta demum ægritudine, quam concupierat, cæpit clara voce, & alta canere; nec per trium dierum spatium ac noctium, laudare Deum cessauit. Canticum præcipuè Magnificat creberrimè repetebat, miram ex eo suauitatem persentiens: Cumque iam sub finem cantionis, ad canticum Simeonis peruenisset, omnes amicos, & amicas suas Dominò deuotissimè commendauit; & pro pace illorum orans, per

singulas

ſingulas clauſulas repetebat: Nunc dimittis Domine, &c. Expletis tandem tribus iubilationis diebus, lectulum ſuum in Eccleſia ante aram præparari iuſſit: & accitis fratribus dixit: præceſſerunt lamentationes, me pro peccatis lugente; præceſſit carmen, me propter bona ſempiterna exultante, & iubilante; & ecce ſequitur væh infirmitatis,& mortis: Nunquã deinceps cibum ſumptura ſum: Nunquam in hoc codice lectura; atque ita tradens libellum, quem habebat, in quo preces, & carmina quædam erant, quæ in honorem Beatiſſimæ Virginis canere ſolebat,diſciplinæ Domini patienter ſe ſubdidit, finemque beatum cum ſilentio expectauit.

In infirmitate, qua diebus quinquaginta tres laborauit, nihil prorſus comedere potuit; nec modici quidem panis odorem perferre; facilè tamen, & crebrò, ſacroſanctum Chriſti Domini corpus ſumebat.

Tentata aliquando,num hoſtiam non conſecratam ſumere poſſet, cum non niſi exiguam particulam dentibus attigiſſet, cæpit clamare, expuere, & perinde ac ſi pectus rumperetur, anhelare, atque cum ingenti anxietate ſingultire: Cumque diù præ dolore clamaſſet, & ſæpius aqua os abluiſſet, magna noctis exacta parte, vix potuit quieſcere.

Quinta feria ante obitum eius, nec loqui, nec ad aſtantes aſpicere voluit; in cœlum autem defixis oculis, vultus eius clarere cœpit; & illa præ gaudio diutiſſimè ſubridens,neſcio quid ſubmiſſa voce cantabat; nec aliud audiri potuit, niſi: Quàm pulcher es Rex noſter Domine! In eo gaudio, poſtquàm diù perſtitit,cantando, ridendo, & manibus interdum plaudendo, ad ſe tandem reuerſa,ſciſcitantibus qui aſtabant, quidnam vidiſſet? mirabilia(reſpondit) dicerem ſi auderem.

Imminente iam die mortis, dulci voce Alleluia cantauit, & noctem totam in iubilo, & exultatione duxit. Apparente ſibi ſub mortem Sathana, cæpit paueſcere, & à circunſtantibus opem poſcere; ſed fiduciam poſtea in Domino concipiens, ſeſeque Crucis ſigno muniens, increpauit eum,dicens: Diſcede à me ſanies & turpitudo, illoque profligato, can-

tauit rursus, Alleluia; & gratias agens Domino, ad Dominum migrauit, ea ipsa hora, qua Christus in Cruce spiritum reddidit, anno Domini 1213. ætatis 36.

Sur. tom. 3. ex Iacobo de Vitriaca. hist. S. Bernardi Hispanicè par. 1. lib. 5. De ea etiam Vinc. Bel. lib. 30. cap. 16. & seqq. Cæsarius Dial. 5. cap. 21. & Dial. 10. cap. 32.

ANNOTATIO.

Iure quidem optimo Iacobus Vitriacus plurimi fecit sudariolum, sibi testamento relictum; quod tantis madidum lachrymis, veluti margaritis, ornatum ac pretiosum nouerat. Tanta siquidem lachrymarum gratia in diuinorum contemplatione donata fuerat à Domino pia Virgo, vt earum impetus nullatenus cohibere posset; adeò vt vestigia eius per Ecclesiam ingredientis, lachrymæ, in pauimentum vbertim defluentes, prodirent. Vnde quadam die ante Parasceuen, cum (imminente Christi passione) maiori lachrymarum imbre perfunderetur, gemitusq. atque singultus vehementes (vel inuita) ederet, quidam ex Ecclesiæ Sacerdotibus, quasi blandè increpando, hortabatur eam, vt cum silentio oraret, & lachrymas compesceret. Illa verò obedire studens, cum non ignoraret id se præstare non posse, clam è templo egrediens, in secretum quendam secessit locum; impetrauitq. à Domino, vt illi Sacerdoti indicaret, non esse in hominis potestate lachrymarum impetum retinere, quando flante spiritu vehementi fluunt aquæ. Cum igitur eodem die presbyter ille Missam celebraret, tanto lachrymarum diluuio submersus est spiritus eius, quod parum abfuit, quin præfocaretur: & quò plus nitebatur coercere impetum, tantò amplius, multo lachrymarum imbre, non ille duntaxat, sed & liber, & altaris linteamina irrigabantur. Post multos singultus, cum multa inordinatè, & cum interruptione pronunciasset, tandem à naufragio vix euasit. Qui vidit (subdit auctor) & cognouit, testimonium perhibuit. Diù post Missæ absolutionem, Christi ancilla reuertēs, miro modo, perinde ac si præsens fuisset, quęcunq. acciderant Sacerdoti illi, retulit, dicens: Iam nunc propria didicisti experientia, non esse in manu hominis, impetum spiritus, Austro flante continere. *Idem Sur. ex Iacobo lib. 1. cap. 5.*

Satagebat pro viribus cuncta misericordiæ opera exercere, & vel maximè adesse, & opitulari ægrotis, & defunctorū sepulturę interesse. Cum igitur aliquando mulier quædā supremū traheret spi-

ritum,

ritum, illa intra cellulam suam persensit multitudinem frementium, & rugientium dæmonum ad eius ægrotæ lectum adesse, cum iam pro ea fieret commendatio; putabant enim iam defunctam. Tum illa ad lectulū illius accurrit, tetrisq. illis spiritibus se opponens, non solum precibus eos oppugnabat, sed etiam pallio, tanquam muscas abigebat. Cum autem scelesti illi terribiliter resisterent, mulierisque animam vt suam, sibi vendicare vellent, tùm illa amplius non ferens, clamabat ad Christum suum, eiusque Crucifixi sanguinem, & mortem implorabat: cumque rugientes illi, præparati ad escam, multis calumnijs animam illam exagitarent, illa tandem à Spiritu sancto fiduciam concipiens, in hæc verba prorupit: Domine, ego pro hac anima fideiubeo. Nam tametsi peccauit, at confessa est peccata sua. Quod si fortassis negligentia, aut ignorantia quippiam in ea hæsit, licet loqui non possit, manet tamen adhuc illi, tua benignitate, contritionis spatium. Fratres interim, qui morienti aderant, voces tantùm, & gestus eius aduersus dæmones percipiebant, & Domino pro anima illius deuotas preces fundebant. Tandem victis, & pudore affectis dæmonibus, sanctisque Angelis aduentantibus, illa Deo laudes, gratesque agens, ad se reuersa, quieuit: receptoque pallio suo, quod in illo conflictu abiecerat, ad cellulam suam cum verecundia recurrens, clauso ostio delitescebat. Non diu post cum illa obijsset, à S. Petro Apostolo sibi apparente, didicit eam purgatorij pœnis detineri, cui, non contenta precibus suis, multa etiam ab alijs precum, & sacrificiorum suffragia conciliauit. *Idem lib. 2. cap. 3.*

Illud etiam de ea non prætermittendum, nempè. Cum aliquando paralysi vexata præ nimio labore clamare, & pectus tundere cogeretur, quidam eius familiaris, ei condolens, in quodam loco, clàm pro ipsa Domino supplicabat; illa autem sentiens, pij hominis precibus, dolores suos non nihil minui, dicit ancillæ suæ: vade dic homini illi, vt cesset orare pro me: eius enim precum medicina, huius castigationis meæ (dum melius habeo) accipio detrimentum. *Idem Sur. lib. 2. cap. 26.*

XX.

MARTINIANVS Eremita, cum esset migraturus ad Dominum, venit Athenas; & ingressus Ecclesiam, cadens super scamnum, dixit ijs, qui illic erant: Vocate ad me citò vestrum Episcopum: illi autem, quamuis existimarent eum esse stultum, adhuc tamen magis rogati, profecti sunt ad Episcopum, *Febr. 13.*

dicentes ei: Domine homo quidam iacet in Ecclesia super scamnum, & nescimus sit ne stultus, aut quis sit; nobis certè dicit, vocate ad me citò Episcopum vestrum. Pius autem ille Episcopus, cui reuelatum erat de decessu viri Dei: stulti (inquit) estis vos; & surgens protinus iuit properè ad Ecclesiam. Beatus verò cum eum vidisset, non potuit quidem surgere; sed manus suas supra pauimentum extendit; & sic debitum ei honorem reddidit: Episcopus abundantiorem ei honorem tribuit; suisque se intercessionibus commēdauit, dicens: Tu autem quando habitabis in Regno cœlorum, meæ quoque animæ recordare, rogo te. Sanctus verò respondens dixit ei; Benedic mihi venerande Pater, & ora pro me, vt inueniam fiduciam, quando sistar ante terribile tribunal Christi. Hæc cum dixisset, sustulit oculos suos in cœlum, & dixit: In manus tuas Domine commendo spiritum meum; & cum totum corpus suum obsignasset ait Episcopo: commenda me Deo, Pater. Quod cum dixisset (subridente vultu) Domino tradidit spiritum. *Sur. tom.1.*

X X I.

Nou.11. MARTINVS Episcopus Turonensis morti proximus, discipulorum fletibus permotus, orauit Dominum dicens. Domine si adhuc populo tuo sum necessarius non recuso laborem; fiat voluntas tua. Cum autem per aliquot dies vi febrium teneretur, in stratu suo (cinere, & cilicio confecto) recubans, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat; oculis ac manibus, in cœlum semper intentus. Rogatus vt saltem vilia sineret sibi stramenta supponi; respondit: Non decet (filij) Christianum, nisi in cinere mori: Ego si aliud vobis exemplum relinquo, ipse peccaui. Rogatus pariter, vt corpusculum, lateris mutatione releuaret; respondit: Sinite me (fratres) cœlum potius respicere, quàm terram, vt suo iam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur. Hæc locutus, instante iam morte, vidit astantem humani generis hostem, cui ait: quid adstas cruēta bestia? nihil in me funeste reperies. Qua in voce, animā Deo reddidit, anno salutis 402, ætat.86.

Sur.

Sur. tom. 6. ex Seuero Sulp. Breuiar. Rom. Baron. in Annal. tom. 5.

XXII.

MARTINVS (Tertius Prior generalis Camaldulensium) finem suum non longè esse cognoscens, in Ecclesiam sancti Saluatoris Florentiæ, per manus discipulorum se deferri voluit; Vbi Sacramentis diuinis refectus, cum diù orasset, recitauit Psalmum vigesimumquintum: Iudica me Deus, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum; & in verbis illis: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, reddidit spiritum, anno Domini 1259. *Sept. 3.*

Silu. Razz. Vit. SS. Camaldulen.

XXIII.

MATERNVS Episcopus Treuirensis, & Coloniensis, B. Petri Apostoli discipulus, cursu vitæ fœliciter consummato, dum nocte quadam in Ecclesiam ingressus; & precum instantia lassatus, leui corriperetur somno, apparuerunt ei sancti Eucharius, & Valerius, eius olim sodales, & quod die tertia esset migraturus ad Dominum, ei prædixerunt; Vnde à somno excitus, & molestiam corporalem sibi adesse iam sentiens, die crastina conuocauit fratrum cateruam; ad eosque sermonem instituit, & in multam noctem protraxit; reliquum autem temporis cum eisdem psallendo peregit. Demum corporis Dominici Viatico munitus, & cœlesti euocatus voce, quæ clarè dixit: Veni dilecte Dei Materne, feliciter obdormiuit in Domino. *Sept. 14.*

M. S. Bibl. Vall. ex Martyr. Rom. Beda, Vsuardi, & Adonis, potissimum ex Molano in Indic. SS. Belgij, De eo apud Sur. in Act. S. Gereonis tom. 5. cap. 12. & 14. & apud Petr. Vener. lib. 1. ep. 2. In gestis quoque Pontif. Tungrens. per Io. Chapeau. tom. 1.

ANNOTATIO.

Fuit MATERNVS cum SS. Euchario, & Valerio à B. Petro Apostolo ad prædicandum missus; cumque in Elegiam castellum Ar-

gentinen. Diæcesis, prædicandi gratia moraretur, à febri valida interceptus, humanis subitò rebus est exemptus. Reliqui dolore perculsi, beato sepulto corpore, protinus ad Apostolum Petrum regressi sunt; infortunium quod acciderat nunciantes. Beatus itaque Petrus Pastoralem virgam per eos, ad eum suscitandum misit, qui venientes ad locum sepulcri, inuenerunt eum triginta tres dies, vel(vt alij volunt)quadraginta in monumento iacentem; attamen Viri Dei(sub obedientia Magistri)admota virga, socium à morte suscitarunt. Qui postea cum Tungrenses, & Agrippinenses conuertisset, eorum Episcopus tot annis extitit, quot diebus in sepulcro iacuit.

In tribus ciuitatibus, quibus Pontificali iure præfuit, nempè Treuirensi, Tungrensi, ac Coloniensi, vno eodemque die, Angelo ducente, miraculosè, diuinum Officium celebrauit.

Hæc in Gestis Pontific. Tungrens. eadem Otto Frisingen. in suo Chronico lib. 3. cap. 15.

Non MATERNVM autem, sed Martialis quendam discipulum, per S. Petri baculum, volunt alij suscitatum, nempè Vincent. Bell. lib. 9. spec. hist. cap. 39. Anton. par. 1. tit. 6. cap. 25. §. 2. & alij, vitæ S. Martialis Auctores. Adstipulatur autem horum opinioni Synodus Lemouicensis his verbis.

Ipsam testificationem Dei, eius nomen resonare videtur, Martialis quippe interpratatur græco nomine, Testimonium, siue Testis vitæ, vel sicut alij volunt, immortalitatis, quia discipulum virtute Resurrectionis, de morte post tres dies, Petri Bacterio tactum, resurgere fecit.

Gulielmus Durandus lib. 3. Ration. cap. 15. Discipuli etiam nomen prodit, Frontonem eum appellans.

Alij verò, miraculum hoc non MARTIALI, sed Frontoni ipsi tribuunt; discipulumq. à Frontone, Petri baculo suscitatum, appellant Gregorium. Ita Petr. de Natal. lib. 9. cap. 109.

Porrò cœteri MATERNO tribuunt, vel potius Euchario Episcopo Treuirensi, qui MATERNVM socium, & postea successorem suum in via mortuum, Petri baculo suscitauit, vt dictum est; Innocentius nempè III. lib. 1. de mysterijs Eccl. cap. 62. Guljelmus Durand. ibidem. Io. Nauclerus vol. 2. gen. 2. & Io. Steph. Durantus lib. 2. cap. 9. de Ritibus.

Quare, quod Innocentius III. in fine extr. de sacr. Vnct. cap. vnic. scribit, Romanum Pontificem non vti Baculo pastorali, tùm propter historiam, tùm propter mysticam rationem, &c. Historiam

idem

idem Innocentius, Nauclerus, Durandus, ac Durantus referunt ad MATERNVM, quamuis Antoninus ad Martialem.

Et baculum quippè Petri seruari in Ecclesia S. Martialis Burdegalæ, scribit Antoninus. In Ecclesia Treuirensi Innocentius & Durandus. Partem eius superiorem, Coloniæ, inferiorem Treuiris, Nauclerus.

Ideoque Papam pastorali virga vti, cum est in Diœcesi S. Martialis, addit Antoninus: cum est in Diœcesi Sancti MATERNI, Durandus.

Gloss. in cap. 5. de sacr. Vnct. discipulum à Martiale suscitatum, appellat Matthæum, nescio quo Auctore, adderem ipse, hoc factum forsitan librariorum errore, qui Matthæum pro MATERNVM scripserint.

De Valerio *vide infra*.

X X I V.

MATTHAEVS S. R. E. Cardinalis, Episcopus Albanensis, ex Monacho Cluniacensi, longa dissenteriæ ægritudine laborans, nolebat de labore solito quidquam intermittere; nec corpori suo, vel in modico parcere. Pugnabat enim cum morbo (singulari deuotione) pertinaciter, & sicut de sancto MARTINO (suo præ alijs deuoto) legitur, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Altaris autem sacrificium (quod omni tempore vitę suæ, insatiabili desiderio, perpetuauerat, nulla debilitas, vt (vel vna die) intermitteretur, cogere potuit. Naturæ tandem defectum iam ferre non valens, lecto decubuit; & cum iam vitæ finem instare sensisset, aduocauit fratres sibi obsequentes; vocauit & famulos, & benignè illos alloquens, & consolans, iussit eos ex parte sua affectuosè salutare totum Cluniacensium Conuentum; & præcipuè quosdam sibi familiares, & dilectos filios, quos ipse in Dei seruitio educauerat. *Dec. 1.*

Nocte præcedente Natiuitatem Domini, subitò velut in perturbatam vocem prorumpens, circumiacentes vocauit: Quibus astantibus horribilem malignorum spirituum turbam sibi apparuisse, seque valde terruisse narrauit; sed signo Crucis facto, disparuisse, ac intolerãdi fœtoris reliquias reliquisse.

Vrgebatur magis, ac magis ad extrema, nec (suspenso prorsus

ſus in cœlum corde) à diuinis Officijs, vel operibus auocari poterat. Si quis enim ei ſermonem de rebus tranſitorijs afferebat, nullum prorſus reſponſum reddebat; nec audire putabatur. Si verò quis de ſpiritualibus ſermonem coram eo proferret, ſtatim illuc conuertebat auditum; & velut nihil patiens, paratiſſimè reſpondebat.

Quoties ad eum Epiſcopi, Monachi, Religioſi, Clerici; quoties ipſi ſocij accedebant, toties, & vnicuique, ſuum Confiteor Deo, quod in Monachatu pro more didicerat, proferebat. Confitebatur ſic omnibus; abſolui poſtulabat ab omnibus (nempè generaliter, illis verbis Miſereatur, &c. Indulgentiam, &c.) commendabat ſe omnibus; & confeſſione, fratrum abſolutione, atque oratione, magis ac magis ſanctificari contendebat.

Nocte iam ſecundam feriam præcedente, nocturnas laudes parum ante tempus (quia ſic ipſe iuſſerat) ſocij decantabant, & ecce circumſonante vndique pſalmodia, ſubitò ille rapitur, & à ſenſibus humanis alienatus, ipſa vultus immutatione cognoſcitur. Inſtant fratres acrius diuinis Officijs; & velut tunc defungi deberet, expectant. Arripit frater quidam, ſibi familiaritate coniunctus, Euangelium, & ei aſſidens, Paſſionem Domini ſecundum Matthæum, ſecundum Marcum, & ſecundum Lucam deuotè recitat; cumque (his perlectis) finem legendi feciſſet: & vbi eſt (inquit ille beatus vir) Paſſio Domini ſecundum Ioannem? Si placet (fili) lege & illam. Perlecta igitur: retribuat(inquit)tibi omnipotens Deus(fili)cuncta quidem à te mihi ſemper impenſa beneficia; ſed ſpecialiter hoc (in æterna retributione) ſeruitium.

Iam verò ipſo Natalis Domini peruigilio, tranſcurſis (more ſuo) tàm nocturnis, quàm diurnis officijs; iamque Veſpertina hora inſtante, Dominicum corpus ſibi rogauit afferri. Quo allato: Audite (inquit) fratres confeſſionem meam; & fidei meæ, hìc, & in æternum teſtes adeſtote. Confiteor (ait) hoc ſacrum Saluatoris mei corpus, illud verè, & eſſentialiter eſſe, quod de ſancta Virgine ab ipſo ſumptum eſt;

quod

quod pro mundi salute in Cruce pependit; quod tertia die à mortuis resurrexit; quod in cœlos ascendit; quod venturum est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem. Per ipsum credo incorporari ei; & fieri vnum cum ipso; & habere vitam æternam. Hoc dicens, refectus est salutari Christi corpore.

Cumque prima sacræ noctis vigilia aduenisset, & signa totius vrbis ad nocturnas laudes pulsari audisset, statim tota mente, ac voce, in vocem exultationis prorumpens, qua poterat voce, quo poterat gestu lætitiæ: Christus natus est nobis: Gloria in excelsis Deo, socijs & omnibus inclamabat. Angelico verò hymno, sicut ad Missas canitur, ex integro decantato, reliqua circunstantibus, ad quæ non sufficiebat, dimisit. Animo tamen ad illas sacras Dominici Natalis laudes suspensus, quoties in lectionibus, B. Virginis matris Domini nomen legi, vel cantari aduertebat, toties oculis sursum leuatis, toties manibus in cœlum extensis, quò sancta illa anima raperetur monstrabat.

Iam nocturnis laudibus consummatis, dum Sacerdos astās sacro Altari, Missam (quæ dicitur de nocte) cantaret, erexit se nixu, quo potuit, & iuuante se quodam fratre, in lecto resedit: conuersusque ad Crucem, quæ coram eo erat, velut si in ipsa Saluatorem aspiceret, ait.

Iam ò misericors Saluator, tempus est, vt quod promisisti adimpleas; & tuo instante Natali, à vita mortali migrandi licentiam concedas (promiserat enim sibi Dominus, vt ea die, qua ipse de Virgine natus ad homines venit, eadem ille ab hominibus recedens, ad ipsum pergeret) his dictis; & in lectum reclinatus, inde post modicum, ad cilicium cinere conspersum, à fratribus (sicut ipse antea rogauerat) translatus est. Vbi, horam vocationis suæ vltimam sustinens, cum iam noctis tenebræ in lucem verterentur, & à Monachorum conuentu ad secundam Missam cantaretur: Lux fulgebit hodie super nos, mundi huius tenebras deseruit, & ad sempiternam lucem peruenit, anno Christi 1134.

Petrus Venerabil. lib. 2. de Mirac. cap. 17. & seqq. Baron. in Annal. tom. 12.

ANNOTATIO.

Hic ob defensionem suorum Cluniacensium, cum ex Abbatis præcepto Romam venisset, & qualis esset, Honorio II. Pontifici innotuisset, absoluta causa, creatus fuit ab eodem Cardinalis, & Episcopus Albanensis; tenacissimè tamen institutum Monasticum in ipso Cardinalatu seruare voluit semper.

Plurimas obijt legationes, & postremò (soluto iam Concilio Pisano) missus est inde cum sancto Bernardo, & alijs Mediolanum ab Innocentio II. ad reconciliandos Mediolanenses, & abluendum schisma, per Anselmum Archiepiscopum in eadem Vrbe cōflatum.

Reuersus deinde Pisas ad eundem Innoc. post aliquot menses, longo fatigatus morbo, nempè ab idibus Iulij ad vsque 8. Kal. Ianuarij, eo die feliciter ex hac vita migrauit.

De eiusdem laboribus pro Ecclesia Catholica exantlatis, extat epist. 3. lib. 4. Petri Cluniacen. ad eundem Innoc. in qua hæc habentur præcipuè.

Inter illos, quibus magis debitrix totius amoris, & beneficij est charitas vestra, Dominum Albanum Episcopum hucusque existimauimus. Quid enim ille pro vobis fecerit, quid pertulerit; quid perdiderit; quàm fidelis in Regno Ecclesiæ, cui præsidetis, ingrediens, & egrediens, ad Imperium vestrum fuerit, supersedeo referre; cum & sapientiæ vestræ hoc benè notum sit; & tam diutina infirmitas; immò ipsa mors, à cuius ianuis vix tandē reductus est, satis indicare possit. Quæ omnia cum propter immensos labores, & assiduos per totum penè mundum procursus, & excursus pertulisse, ob vestra (ni fallor) seruitia, omnibus manifestum est.

XXV.

Sept. 13. MAVRILIVS Episcopus Andegauensis, ante mortem sibi curauit præparari sepulcrum. Quo completo, quadam die Dominica, dum sanctæ solemnitatis Officium (de more) celebrasset, modica pulsatus infirmitate, conuocauit omnem Clerum, commendans illis vltimum sui transitus diem, dicēs: Ego ingredior viam vniuersæ carnis: vos autem admoneo, seruate charitatem, custodite dilectionem, diligite castitatem, patientes estote ad omnes, & mementote semper pretio sangui-

ſanguinis Chriſti vos omnes eſſe redemptos. Cum verò in ſummo iam mortis articulo conſtitutus eſſet, eundem Clerum, & populum innumerum confluentem abſoluens, & benedictionibus corroborans, nonagenarius abijt in cœlum.

Sur. tom.5. Mombrit.tom.2. De eo Petr. Clun. lib.1. ep.2. Vincent.lib.17.cap.20. & ſeqq. Anton. par.2.tit. 10. cap.13. Baron. in Annal.tom.7. Habetur eius Vita per Magnobodum Epiſcopum Andegauenſem deſcripta in M.S. Bibl. Vall.

ANNOTATIO.

Inuitus ad Epiſcopatum Andegauenſem raptus MAVRILIVS, dum à S.Martino Turonenſi conſecraretur, viſibiliter ſuper caput eius columba reſedit; quæ, dum idem ſanctus manus extendebat ad ſacram conſecrandi Sacerdotis benedictionem, ſemper ei aditum dabat. Eoque ſic Pontifice conſtituto, ſanctus Martinus referre ſolitus erat, quod ad benedicendum ſanctum MAVRILIVM Pontificem, in columbæ ſpecie, non ſolum Spiritus ſanctus, ſed etiam adfuerit Angelorum exercitus. *Idem Sur. in vita ipſius cap. 12.*

Hic idem MAVRILIVS aduocatus ad confirmandum puerum morientem, cum paululum moraretur, & moreretur interim puer, lachrymis multo tempore, ſuæ negligẽtiæ culpam defleuit; cumq; nec iſta ſibi ſufficerent, vt piaculum eiuſdem negligentiæ expiaret, clàm ſe ab Epiſcopatu ſubduxit, claues Reliquiarũ ſecum deportans. Cumq. ad mare perueniſſet (diuina prouidentia) qui manebat in litore ſui tranſitus diẽ in lapide exarauit; & aſceſa puppi procedens in altum, claues detuliſſe ſecum animaduertit; quæ repentè de manibus elapſæ, ſubmerſæ ſunt in æquore. Tunc cum lachrymis exclamauit: Niſi has iterum videre meruero, patriam vrbem nunquam repetam, quam ego effugio. Perquiſitus poſtea ſeptem annis tota ferè Europa à quatuor viris, & inſcriptionis illius indicio tandem repertus apud quendam principem, cuius excolebat hortum; & clauibus etiam (quas in piſcis iecore ijdem viri iam miraculosè inuenerant) ſibi oſtenſis, cum ſuis reuertitur; & puerum (iam tot annis mortuum) ad eius tumulum veniens, excitat. Qui poſtea eidem MAVRILIO in Epiſcopatu ſucceſſit. *Idem Sur. ibidem.*

Hunc, in exemplum adducit Petr. Dam. in Apolog. ad Greg.7. Rom. Pont. de abdicatione Epiſcopatus.

X X V I.

Ian. 15. MAVRVS Abbas, S. Benedicti discipulus, lateris dolore correptus, ingrauescente morbo, ante altare S. Martini super sui stratus cilicium decubans, cum exitum suum Sacramentorum perceptione muniisset, abijt in cœlũ, anno Domini 584.

Sur. tom. 1. Lippom. tom. 4. De eo Baron. in Annal. tom. 7.

ANNOTATIO.

Construxerat Maurus in Gallia cœnobiũ, in quo centum quadraginta Monachos adunauerat. Trigesimo autem à fundatione ipsius Monasterij anno, cum gregi suo de die in diem incrementa sanctæ Religionis in melius augmentari conspiceret, finem vitæ suæ appropinquare cognoscens, delecto successore, ædificauit sibi domunculam iuxta S. Martini Ecclesiã; vbi cum duobus ipsius Congregationis fratribus remotiorem vitam ageret. Quadam igitur nocte MAVRVS cum (more sibi solito) Ecclesiam B. Martini intrare vellet, & vota precum, ac lachrymarum Domino persoluere, diabolus, magna obsequentium constipatus caterua, ab ingressu eum prohibuit basilicæ, insultansq. eidem quod à proprijs ipsum deturbare vellet sedibus, ait: ego, pro vt libuerit, strages diuersarum mortium inferendo, de tuis nunc debacchans triumphabo, ita vt vix aliqui de tanta istic adunata remanere videatur congregatione. Cui cũ vir Domini respondisset: Increpet Dominus in te satan, statim inimicus velut fumus euanuit. Ingressus autẽ Ecclesiã vir Dei, nimia afflictione ac tædio mœrẽs pro his, quę audierat, Dominũ precatur, quò illi certius ea, quæ malignus spiritus ei dixerat, reuelare dignaretur. Cui statim astitit Angelus Domini, dicens: quid tanto mœrore pro his, quæ à Deo agi disposita sunt, afficeris? Nam diabolus, licet totius caput obtineat mendacij, multa tamen conijciendo, de ijs præcipuè, quæ frequenter est expertus, prænoscit. Vnde scias eum non sua voluntate, sed imperio Dei, ea quæ tibi prodidit, reserasse: nam aliquo modo verum est, quod audisti. Pars enim huius congregationis maxima infra breue tempus colligetur ad Dominum, vt ab ipso præfixum, atque præordinatum est. Sed non propter hoc ipse (vt asseruit) de aliquo illorum, vel ad modicum triumphabit: Tuis enim admonitionibus, & exhortationibus instructi, paratus vnusquisq; vocationis suæ diem expectabit gaudens. Quos cum omnes præmiseris felix, vt promeruisti, felicior subsequeris.

His dictis, visio Angeli ablata est. Sanctus autem facto mane,

omni congregationi cuncta, quæ viderat, per ordinem enarrauit. Deinde taliter illos allocutus est: De his, quæ serui Dominum velle cognouerint, si aliquo modo tristari cœperint, voluntati Domini contraire, ipsa sua videntur tristitia. Et ideò quia ipse mortalibus terminum finiendæ istius posuit vitæ, qui præteriri à nullo natorum valet; nos quibus, quo voluit ordine, dies huius vitæ in proximo finiendos esse patefecit, maculas omissorum facinorum lachrymis poenitentiæ, & maceratione tergamus corporis; & scrutantes solicitè vias operis nostri, præueniamus faciem Domini in confessione, vt atria supernæ ciuitatis in Hymnis valeamus intrare confessionum; eiusque claritatem cum sanctis omnibus, reuelata facie perpetuò contemplari digni inueniamur. Et quia, dilectissimi fratres, nunc tempus adesse cognouimus, vt incipiat iudicium de domo Domini, iudicia eius, quæ aliquando quidem occulta, nunquam tamen sunt iniusta, reuerenter, vt seruos boni Domini decet, suscipientes, ac perferentes, sursum erectis adoremus cordibus; summoperè procurantes, ne qua minus perfecta nos accuset actio; ac attentius inuigilantes, ne calcaneo nostro tentator insidians, muscipula nos deceptionis in via hac, quà iam vndecima ingredimur hora, illaqueare possit. *Anon. Obit.*

Hac exhortatione, & admonitione sancti viri omnis congregatio ad horam vltimam liberè expectandam, præparare se cœpit. Factum est autem, vt infra quinque menses centum, & sexdecim ibi morerentur fratres, nec plus de tanto grege, quàm viginti quatuor remanerent monachi. Expleto autem tanto numero, eo tempore, in eodem loco mortuorum, migrauit & ipse Maurus sicut ei prædixerat Angelus.

Vide supra simile quodammodo in AICHADRO.

XXVII.

MEDARDVS Episcopus Nouiomensis, sub mortem visitatus à Clothario Rege, cùm de sepultura tractaretur, quamuis in sua sede se præordinauerit sepeliri, obstinatæ Regis voluntati (qui eum Suessionem transferre volebat, super eius corpus Basilicam ædificaturus, & cœnobium ordinaturus) cedere coactus est. Indefessè autem se, suosque Domino commendans, finita oratione, spiritum exhalauit, anno Christi 556. eadem anniuersaria die, qua natus, & Episcopus ordinatus est, vnà cum Gildardo Episcopo, fratre gemello, eadem pariter die nato, ordinato, defuncto. *Iun. 8.*

Sur.

Sur.tom.3. De eo Greg. Turon. de glor. Conf. cap.95. & de gest.Franc. lib.4. cap.19. Vinc. lib.22.cap.62. Anton.Chron. par.2. tit.12. cap.8. §.1. Baron. in Annal. tom.7.

ANNOTATIO.

Defuncto MEDARDO, mox (eorum qui aderant certissimo testimonio) aperti sunt cœli; & diuina luminaria, ferè per duarum horarum spatium, ante Sancti apparuere præsentiam.

Rex autem Clotharius per medias plorantium lachrymas irrumpens, cum Episcopis, & optimatibus, suis ipsius humeris corpus sustulit Sancti, Suessionem efferens sepeliendum.

XXVIII.

Ian.21. MEINARDVS Eremita, Alemannus, videns venire latrones ad ipsum perimendum, post peractum sacrificium, capsulis Reliquiarum manu susceptis, & deosculatis, agonem suum Domino & sanctis (quorum complectebatur Reliquias) commendauit. Aperuit deinde ostium sicarijs (qui per foramen quoddam parietis, hæc omnia viderant) & post salutationem, ait eis: ò socij, cur tam serò venistis? Quare non maturastis venire ad audiendam paruitatis meæ Missam, vt pro vobis communem Dominum deprecarer? Iussit postea eos ire ad sacellum, vt orarent; & inde reuersis, cucullam, & tunicam suam tradidit; panem insuper & potum addidit, dicens: Hæc de manibus meis percipite. Postquam autem id quod facere decreuistis, compleueritis, ex ijs, quæ adsunt, per vosmetipsos tollere potestis, quod cupitis: Sciò enim quod ad me occidendum intrastis: Vnum autem à vobis exposco beneficium, vt dum præsentis vitæ cursum in me terminaueritis, candelas, quas inspicitis, quas etiam ad hoc ipsum formaui, vnam ad caput meum, & aliam ad pedes ponatis, citòque postea ex hoc loco recedatis, ne comprehendamini. Quibus dictis, fustibus percussus, & tandem suffocatus, manibus ad Deum extensis, reddidit spiritum, anno Domini 860. in cuius egressu miræ suauitatis odor totum peruasit cellulæ locum.

Sur.

Sur. tom. 1. Trithem. de Vir. Ill. lib. 3. cap. 209. Habentur eius Acta in M. S. Bibl. Vall. ex Martyrologijs Eccl. Constant.

ANNOTATIO.

Defuncto MEINARDO latrones illi nudauerunt eum veste, qua erat indutus, & posuerunt in lecto, in quo vir Dei quiescere solebat, nudoque imposuerunt pannum rudem, atque etiam stramenta quædam; candelas quoque (sicut viuens rogauerat) sumpserunt, vnam ponentes ad caput, & cum alia currentes ad sacellum, lumen allaturi, quod in eodem Oratorio iugiter ardebat. Regressi verò ad sancti Viri corpusculum, inuenerunt ardentem candelam, quam posuerant ad caput. Tantus autem eos inuasit timor, vt nihil contingere de rebus ad altaris Officia pertinentibus ausi sint; moxque fugam arripuerint; sed eos fugientes, corui, qui ad famulum Dei venire, & annonam de manibus eius accipere consueuerant, insequebantur, vocibus grandisonis replentes siluas; & quamproximè poterant, capitibus eorum aduolantes, perpetratum prodentes quodammodo facinus; cuius non multò post poenas dederunt. Viui enim fuerunt incensi. Candela porrò, quam ad caput viri Dei posuerant, & quæ cælitus accensa est, ardebat vsque ad stramenta; quorum etiam partem, ipse ignis inuasit; sed ad membra defuncti perueniens, sicut diuinitus fuerat accensus, sic Dei nutu illicò extinctus fuit.

XXIX.

MEINVVERCVS Episcopus Patherbornensis infirmitate correptus, diem suæ vocationis instare sentiens, precibus, & eleemosynis continuè cæpit operam dare. In capellam demum SS. Primi, & Feliciani ante Ecclesiam se deferri mandauit, hora diei prima in vigilia Pentecostes: vbi Dominici corporis, & sanguinis perceptione munitus; sublatis ad cœlum manibus, & oculis, hora eiusdem diei tertia, inter verba orationis, animam suam in manus Patris commendauit, anno salutis 1000. *Iun. 5.*

Sur. post. edit.

ANNOTATIO.

MEINVVERCVS Regia stirpe genitus, Regius capellanus Ottonis III. fuit. mortuo autem Ottone, Henrico IX. Regi, tam

carnis propinquitate, quàm vitæ sinceritate iamdudum notissimus, factus est ei in negocijs publicis, & priuatis comes indiuiduus. *Idem ibidem num. 6. & 13.*

Episcopatum suscepit Patherbornensis pauperrimæ Ecclesiæ, cui dum adhuc Palatinus esset, prædium donauerat.

Celebrare volens in Ecclesia S. Stephani Abbatiæ Corbeiensis, Diœcesis suæ, prohibitus est à custode eiusdem Ecclesiæ (nomine BOSO) Episcopus autem habito ad fratres verbo de Prælatorum reuerentia, & subiectorum inobedientia, iniuriam facientem, & Monachos consentientes, ad satisfactionem vocare curauit. Quibus eum non audientibus, pulpitum ascendit; & pauca pro re, ac tempore ad populum locutus, omnibus quæ facta fuerant aperuit; & eum, qui iniuriam irrogauerat ad satisfactionem publicè corā omnibus vocauit. Qui cum tertiò vocatus non venisset, non vindictæ voto, sed prophetiæ præconio ei præcepit, vt quacunq. die, ipse de corpore exiret, ille secum ad tribunal Christi, sibi responsurus de illata iniuria, migraret. Eadem igitur die, & hora, quâ Episcopus ex hac vita migrauit, BOSO cum raderetur in claustro, sanus, & incolumis, intuens intuentes, alloquens alloquentes, repentè expirauit. *Idem Sur. num. 43. & 124.*

Miratus Imperator Henricus multiplicem Episcopi, erga Dei cultum, deuotionem, experiri voluit, an verè ex Deo esset, & accitis notarijs scribi fecit literis aureis in schedulis. MEINVVERCE EPISCOPE DISPONE DOMVI TVÆ, MORIERIS ENIM QVINTA DIE. Episcopo autē ad mensā cōsidente, de superiori cubiculo, per postes schedula (ab huius rei cōscio, occultè dimissa) ante ipsū corruit: qua accepta Episcopus, ac perlecta, primò stupens inhorruit; deinde, alia per loca dispersas similes schedulas inueniens, & certissimæ vocationis suæ indices credens, Deo gratias egit; & omnia quæ habuit vniuersa, Ecclesijs & pauperibus erogauit. Vix autem quibusdam vilibus indumentis, sepulturę suæ necessarijs retentis, expeditus à curis omnibus, horam vocationis suæ gaudens expectabat; & precibus, ieiunijs, ac vigilijs iugiter incumbebat. Transacta verò quinta die, cum in cryptæ solo prostratus, vsque in mediā noctem exitum suum præstolaretur, nihilq; molestiæ sensisset corporalis, suspicatus (vt reuera erat) Imperatoris machinamenta, ad cubiculum rediit; & cibarijs de foro allatis, corpus, ieiunijs, & vigilijs attenuatum, cibo, somnoq. refecit. Manè facto, Imperatorę cum Principibus quasi de resurrectione Lazari gratulante, antequā Missarum solemnia Episcopus

initiaret, ad populum locutus, Episcopalem irrisionem, & rerum omnium Ecclesiæ distractionem innotuit; & eius rei auctores, ac fautores Apostolica auctoritate ab Ecclesię gremio, vsque ad condignam satisfactionem segregauit. Imperator protinus cum Imperatrice, cæterisq. facti illius conscijs, inde egrediens & excessum leuitatis humiliter recognoscẽs, discalceatus, & cilicio indutus, aduentum Episcopi ante fores Monasterij publicè expectauit; & post Missarum solemnia, egredienti Episcopo, in animo contrito, & spiritu humilitatis prostratus, absolutionẽ anathematis impetrauit; distracta multipliciter (Imperiali manu) restituit; & deinceps cordetenus Episcopo vnitus, ad omnia, quæ expetisset, benignissimè annuit. *Idem Sur. ibidem num.82.*

XXX.

MELANIA Iunior Romana videns sorores decessum eius lugentes, consolata est eas, dicens: Ego (ò charissimæ) à vobis iam recedo, cum hoc ita Deo visum sit. Vos verò ita vitam agite, tanquam præsentibus, & intuentibus Dei oculis; qui cogitationes scrutatur, & videt corda. Hæc & alia cum dixisset, templum ingressa, ad precandum constitit; sentiensque vicinam sibi instare mortem, Cantica consueta, & Hymnos cecinit Matutinos: Dato deinde migrationis signo, diuina suscepit Sacramenta; & facta ad omnes admonitione, extremam hanc vocem effata: sicut Domino placuit, ita factum est, sanctam emisit animam. *Dec.31.*

Sur.tom.1.Ian.31.Lipp.tom.5.Baron.in Annal.tom.5.

ANNOTATIO.

De Melania hæc habet Baronius præcipuè loc. cit.

Quantum superuixerit (à curatione scilicet Eudociæ Imperatricis) non constat; sed illud certum est, ipsam Monastica vita magna obseruatione perfunctam, & miraculis pluribus illustratam, die quam prenouit (Decembris scilicet vltima) ad Deum migrasse. Fuit hæc, iunior dicta, respectu senioris, cuius neptis erat; quæ etiam senior, non imparis virtutis, aut minoris laudis fuerat aliquando; sed postea Origenis fuligine præclarissima opera obscurauit. Postremò tandem catholica reddita. Hæc Baronius, qui

de eis-

de eisdem ibi fusius. De vtraque etiam Palladius cap. 33. De hac Iuniore verò, eiusque viro Piniano, agit S.Aug.ep.224.225.& 227. & S.Hieron.ep.79.

XXXI.

MELLITVS Monachus Monasterij Portuensis, adhuc in annis iuuenilibus constitutus, appropinquante vocationis die, clade mortalitatis (quæ tunc vrbem vastabat) percussus, ad extrema deductus est. Quod vir vitæ venerabilis, Felix, eiusdem ciuitatis Episcopus, audiens, ad eum accedere studuit; &, ne mortem timere debuisset, verbis hunc persuasorijs confortare; cui etiam adhuc de diuina misericordia, longiora vitæ spatia polliceri cœpit. Sed ad hæc ille respondit: cursus sui tempora esse completa, dicens, apparuisse sibi iuuenem, atque epistolas dedisse dicentem: Aperi & lege. Quibus apertis, asseruit, quia se, & omnes, qui eodem tempore à prædicto Episcopo in Paschali festiuitate fuerant baptizati, scriptos in eisdem Epistolis, literis aureis inuenisset. Primum quidem (vt dicebat) suum nomen reperit; ac inde omnium in illo tempore baptizatorum. Qua de re certum tenuit, & se, & illos de hac vita esse sub celeritate migraturos. Factumq. est, vt die eadem ipse moreretur; ac post eum cuncti illi, qui baptizati fuerant, ita secuti sunt, vt intra paucos dies nullus eorum in hac vita remaneret.

Greg. Dial. lib 4 cap. 26.

XXXII.

MENGOZIVS Ordinis Cisterciensis conuersus, vir simplex, & religiosus, in coquina conuentus seruiens, cum quadam die cum Monacho, coquinæ hebdomadario, lignum scindere vellet, eiusdem Monachi inaduertentia, pede sibi disciso, in infirmatorium deportatus, ac morti proximus, inunctus est. Accidit autem, vt eodem tempore Abbas eius (Gisilbertus nomine) ad generale capitulum properare cogeretur, qui dixit ei: Frater Mengozi non debes mori, sed expectabis me. Respondente illo: si in me fuerit, faciam. Subiunxit Abbas: Ego præcipio tibi. Iuit ergo ad capitulum,

& mora-

& moratus est diutius. Reuerso autem eo, & veniente ad portam, pulsata est tabula, & campana ad conuocandos (de more) fratres ad morientem. Interrogauit Abbas, cui pulsaretur, & dicente Portario, quia fratri Mengozio, respondit Abbas: ego deberem ei adhuc loqui; festinauitq. ad orationem. Sed cum venisset in Infirmatorium, ille expirauerat. Inclinauit se igitur ad mortuum, & alta voce clamauit; frater Mengozi; sed non erat ibi vox, neque spiritus; cumque secundò idem nomen repetisset, dixit Prior: nolite vos fatigare, iam enim expirauit. Tunc Abbas se ad illius aures magis inclinans, clamauit dicens: Ego tibi præceperam ne morereris donec venirem; Ego tibi iterum præcipio vt respondeas mihi. Ad quod verbum ille, quasi de graui somno excitatus, oculos aperuit, & ingemuit, dicens: Oh Pater quid fecisti? Benè eram, vt quid me reuocasti? Vbi (inquit) eras? Respondit conuersus: In Paradiso posita mihi erat sedes aurea secus pedes Dominæ nostræ; & cum me reuocares aduenit Dominus Isembardus sacrista noster, trahensque me de sede eadem, dicebat: non hìc sedebis; inobedienter huc venisti: Reuertere ad Abbatem tuum, sicque reuersus sum. Attamen promissum est mihi, quod eadem sedes foret reseruanda. Aduocati sunt igitur nouitij, de quorum manibus cibum sumpsit, in signum veræ resurrectionis. Post hæc, licentiã ab Abbate postulauit redeundi; benedixit autem ei Abbas, & dixit: Modò vadas in pace. Ad quod verbum, mox oculos clausit, & expirauit. Cæsar. lib. 11. cap. 11.

ANNOTATIO.

Hæc omnia asserit ibi Cæsarius à senioribus audiuisse; & præcipuè ab vno ex dictis nouitijs (nomine Marciniano) qui miraculis interfuit.

XXXIII.

MICHAEL de S. Dominico Ord. Præd. cum infirmis deseruisset, peste laborantibus, peste & ipse quoque correptus est: sed consuetum abstinentiæ rigorem remittere noluit; &

quamuis

quamuis pœnitentiæ operibus semper vacauerit, in extremo tamen positus, horæ vnius spatium à Domino postulabat, vt pœnitentiam ageret. Obijt autem feliciter in Domino, anno 1557. & apparuit gloriosus post mortem ALOYSIO Bertranno, qui postea moriens, hunc quoque, inter alios cœlestes ciues, in sui adiutorium inuocabat.

Franc. Diagus in hist. Prou. Arag. Ord. Præd. lib. 2. cap. 74. Hispanicè.

ANNOTATIO.

Cum hic ob Monasterij negocia quotidiè inter homines versaretur, adeundo curias, nihil tamen de cordis recollectione, & Dei meditatione remittebat, vnde quidam Aulici de eo dicebant; Quotidiè videmus sanctum vnum in inferni medio; quamuis melius dixissent, se videre Moisen, quietè, & pacificè in medio nubis, ignis, fumi, tonitruorum, & fulgurum, facie ad faciem cum Deo loquentem.

Post negocia in sæculo pertractata, ad Conuentum rediens, Missam celebrabat, deuotione tanta, tantoque spiritu, atque feruore, ac si in cella contemplationi quietus iugiter vacasset.

XXXIV.

MICHAEL Florentinus, Ord. Iesuatorum, vltima infirmitate correptus, visitatur ab Angelo, à quo certior redditur de suorum remissione peccatorum; deque sui transitus hora, qua ab ipso ducendus erat ad nuptias. Hoc igitur audito nuncio, canere cœpit Michael; cumque à Patre audiretur, aperuit ei visionem; quin & (eius iussu) fratribus etiam cæteris. Quam, veram fuisse, rei probauit euentus. Adueniente enim hora ab Angelo præstituta, post dulces amplexus, cœpit iterum canere pro viribus; & deficiente voce, defecit, & vita.

In vita S. Io. Columb. cap. 44. & apud Morig. cap. 38. lib. 2.

XXXV.

Maij 12. MODOALDVS Episcopus Treuirensis, certior de expectatione vicini obitus redditus, repentè mutatus est in quandam incredibilem exhilarati cordis lætitiam; conuocatisque discipu-

discipulis, sui exitus diem, & horam lætus exposuit. In lecto demum decumbens, discipulis eisdem suggerentibus, vt fatiscenti corpusculo aliquantulum misereretur (nihil enim de solita austeritate remittere volebat) respondit: Nolite spiritum ad Deum iturum, fomento carnis impedire; cui scilicet tunc maior misericordia impenditur, cum spiritu superante mortificatur.

Adhortatus est suos ad mandatorum Dei obseruantiam, & mortis sedulam memoriam. Videns autem multos suum dolentes decessum, lachrymas omnium prohibuit, dicens, eos gaudere magis debere, quippe qui Patrem non amitterent, sed feliciter ad Deum præmitterent.

Appropinquante tandem hora, exitum suum Sacramentorum perceptione communiuit; dilectosque filios læto vultu deosculans, æterno Patri commendauit. Tum à terrenis oculos reijciens; & Angelorum choros adesse percipiens, toto corpusculo (dilecto exercitui obuiam ituro) se erexit; manus, & oculos in cœlum protendit; crucisque signaculo bis, terue se consignans, caput reclinauit; & inter orationis verba obdormiens in pace quieuit. *Sur. tom. 3.*

ANNOTATIO.

Nortmannorum barbarie grassante, sacræ Virgines Deo dicatæ in Monasterio à sancto MODOALDO constructo apud Treuiros, ad orationis arma confugientes, non pro vita præsenti tuenda, quam despexerant, sed pro castitate seruanda, quam deuouerant, supernum auxilium, & eiusdem B. MODOALDI (ad cuius sepulcrum erant aduolutæ) patrocinium implorabant. Precibus igitur fusis, intra dies triginta, in pace, lecto decumbentes, è vita decesserunt omnes, *Idem Sur. tom. 3. lib. 3. vitæ eius cap. 3, & 4.* *Anon obit.*

Ex eiusdem S. MODOALDI reliquijs furtim ablatis, copiosum manasse sanguinem tradit Idem Surius *ibidem. cap. 5.*

X X X V I.

MONEGVNDIS Coniugata, sub mortem videns moniales, quas secum habebat, flentes eius discessum, flens & ipsa, eas est consolata, dicens: Si pacem sanctificationemq. *Iul. 2.*

sequamini, Deus erit protectio vestra, habebitisq. sanctum Martinum Antistitem pastorem magnum; Ego quoque non discedam à vobis; sed inuocata, adero in medio charitatis vestræ. Rogantibus autem illis, & dicentibus: venturi sunt multi infirmi ad nos, flagitantes benedictionem à te accipere; quid faciemus cum te non viderint esse superstitem? Saltem digneris oleum, salemque benedicere, de quo possimus benedictionem flagitantibus ministrare. Tunc illa, benedicto oleo, & sale, tradidit eis; & postmodum requieuit in pace.

Sur. tom. 4. Lippom. tom. 8. ex Greg. Turon. In vit. SS. PP. cap. 19. & de glor. Conf. cap. 24.

ANNOTATIO.

Fuit hæc Carnotenæ vrbis indigena, copulata coniugio, & duabus aucta filiabus. Quibus orbata, non diebus neque noctibus à fletu cessabat. Tandem ad se reuersa, ait; Si nullam consolationem de obitu filiarum capio, vereor, ne ob hoc lædam Dominum meum Iesum Christum. Vnde hæc lamenta linquens, cum B. Iob consolata, decantabo: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est; sit nomen Domini benedictum. & hæc dicens, exuta veste lugubri, iussit sibi cellulam paruulam præparari; in qua fenestellã tantummodò (vnde modicum lumen posset cernere) præcepit aptari; ibique contempto mundi ambitu, soli Deo vacare statuit; habens puellulam vnam, cuius ei famulatu ministrabatur aqua. Accipiebat enim ipsa farinam hordeaceam, infusosque aquæ cineres diligenter colans, ex ea massa mixturam conficiebat; formatosque proprijs manibus panes, ipsa coquens, post longa ieiunia, sumebat. Ibi postea, paucas colligens Moniales, ad obitum vsque permansit.

XXXVII.

Maij 4. MONICA S. Augustini mater, imminente die, quo ex hac vita erat migratura, incumbẽs cum S. Augustino ad quandam fenestram domus, apud Ostia Tiberina; cum plurima de cœlestibus esset secum collocuta, aio: Quid hic faciã adhuc; & cur hic sim nescio, iam consumpta spe huius sæculi. vnum erat, propter quod in hac vita aliquantulum immorari cupie-

 bam,

bam, vt te catholicum Christianum viderē priusquam morerer. Cumulatius hoc mihi præstitit Deus, vt te etiam, contempta felicitate terrena, seruum eius videam. Quid hic facio? Vix autem intra quinque dies, decubuit febribus; & cum ægrotaret, quodam die animæ defectum passa est; sed citò rediens, & astantes aspiciens, ait: Vbi eram? Deinde filios suos mœrore attonitos intuens: Ponetis hic (inquit) matrem vestram? Silente verò, & fletum comprimente S. Augustino, dixit alter filius quiddam, quo eam non peregrè, sed in patria defungi, tanquam felicius optaret. Quo audito illa, vultu anxio reuerberans eum oculis, quod talia saperet; atque inde S. Augustinum intuens: vide (ait) quid dicit! & mox ambobus: ponite (inquit) corpus hoc vbicunque: nihil vos eius cura conturbet: tantum illud vos rogo, vt ad Altare Dei memineritis mei vbi fueritis.

Disseruerat quidem antea cum quibusdam amicis de contemptu vitæ huius, & bono mortis; quærentibus autem illis, num formidaret, tam longè à ciuitate sua corpus relinquere? Nihil (respondit) longè est Deo; neque timendum est, ne ille non agnoscat in fine sæculi, vnde me suscitet. Nono autem ægritudinis die, in pace quieuit, anno Christi 389. ætatis 56.

Sur. tom. 3. S. Aug. Confess. lib. 5. cap. 8. lib. 6. cap. 12. & lib. 9. à cap. 8. ad 13. Baron. in Annal. tom. 4.

XXXVIII.

MVSA virgo Romana, adhuc paruula, nocte quadam, dum placidè dormiret, vidit B. Deiparam cum pluribus Virginibus, candidis indutis vestibus, ad se venientem, quæ sic eam est affata: si cum his virginibus vis adiungi, nihil leue, nil puerile agas; teque à risu, & iocis contineas; sic enim post diem trigesimum, voti tui compos fies. Puella igitur post hæc in alteram mutata, omnem leuitatem puerilem in admirandam conuertit grauitatem. Quam mutationem parentes mirati, & causam percontantes, acceperunt ab ea, quod sibi à Dei genitrice præceptum fuerat; quodque post Apr. 2.

dies triginta ad illius obsequium transferenda foret.


Vigesimoquinto igitur die, febri corripitur, & die trigesimo beatam Dei genitricem, cum puellis, quas antea viderat, ad se rursus venire conspexit: Cui etiam vocanti, respondere cœpit; & depressis reuerenter oculis, aperta voce clamare: Ecce (Domina) venio. In qua etiam voce spiritum Deo tradidit.

Greg. Dial. lib. 4. cap. 17. Ferrar. in Catal. hac die.



NATA-

I.



ATALIA S. Adriani martyris vxor, profecta Bizantium (vbi corpus S. Viri sui quiescebat) eiusdem secum deferens abscissam manum, quam dum ipsa teneret, absciderant carnifices; cum ad sepulcrum eius, flexis genibus orasset, & ab oratione surrexisset, fratres & sorores, quæ ipsam è Nicomedia comitata fuerant, & alios, qui illuc conuenerant, salutauit; & eis valedicens, eorum orationibus se commendauit. Demum cum se quieti dedisset, apparuit ei S. Adrianus, dicens: Benè huc aduenisti in pace Ancilla Christi, & filia Martyrum; Veni ad nos in requiem tuam; Veni & percipe ea, quæ tibi debentur. Illa euigilans, visionem indicauit, & rursum obdormiens reddidit spiritum. Dec. 1.

Sur. to. 5. in Vita S. Adriani 8. *Sept. Petr. in Catal. lib.* 1. *cap.* 18.

ANNOTATIO.

Audiens NATALIA virum suum Adrianum, Christianum effectum, & cum ijs, qui cruciandi erant martyribus, se quoque describi ab exceptoribus postulasse; exhilarata valde (Christiana & ipsa, sed occulta propter immanitatem persecutionis) iuit ad carcerem; & ad pedes prouoluta viri, vincula eius exosculans, animum ei addidit, & ad martyrium fortiter subeundum est adhortata, his præcipuè verbis (mortem cuilibet detrectanti, valdè proficuis) nempè.

Vide (mi Domine) ne te moueat elegans forma corporis tui, neque decor iuuentutis tuæ. Hæc enim omnia esca vermium sunt. Non tibi imponat aurum, & argentum; non vestes pretiosæ; non possessiones, & id genus alia impedimenta: nihil enim hæc proderunt in illo tremendo iudicij die. Omnia enim hic remanent. Nec quisquam ibi, vel dabit munera pro anima sua; vel ea oblata recipiet. Sola animarum sanctarum munera suscipiet Deus.

Cumque Adrianus ei spopondisset, se missurum ad illam, quando vocandus esset ad quæstionem, domum redijt, osculatis pariter aliorum vinculis martyrum, qui in carcere erant; quibus etiam

virum suum plurimum commendauit, rogans eos vt confirmaret animum illius, quò futura credens, compleret agonem.

Post dies aliquot audiens Adrianus, ad tribunal se cum alijs vocatum iri, datis muneribus ijs, qui custodiæ præerant, domum properat, vt adducat vxorem suam. Quæ videns eum, suspicata illum fugisse martyrium, & à Christo defecisse, fleuit amarè, & clauso ostio, exclamauit dicens: Facessat hinc procul à me, qui defecit à Domino, & mentitus est Deo suo. Non mihi contingat loqui ori illi, quo Dominum suum abnegauit. O sine Deo, mortalium miserrime. & plura alia (incredibili affecta dolore) in eum est elocuta. Adrianus interim eius sermonibus valdè delectabatur, immò & confirmabatur, ita vt ardentius cuperet implere quod promiserat. Certiorem autem eam reddidit, se venisse, vt secum iret, & præsens martyrum certamini (quemadmodum ei promiserat) interesset. Tunc NATALIA reserauit fores perfusa gaudio, & læta secum abijt.

Inter eundem verò dixit ad eam Adrianus: Dic quæso (soror mea) quid constitueris de facultatibus tuis. Illa respondit: Noli (Domine mi) noli meminisse eorum, quæ sunt mundi huius, ne animum tuum illiciant. Id solum cogita ad quod vocaris. Excidant ab animo tuo omnia, mundi huius corruptioni obnoxia; ad ea sola videnda festines, quæ non deficiunt.

Peruenit ergo secum ad carcerem: comitata est eum ad tribunal: confortauit ad supplicia: & demum, cum in carcerem reductus esset Adrianus, prohibitæq. essent mulieres illuc adire, & Sanctis ministrare, totondit capillos suos; & sumpto viri habitu, ingressa est in carcerem, & omnium ibi manentium vulnera fouebat sola. Veniens autem ad virum suum, sedensq. ad pedes eius, ait ad eum: Obsecro te (mi Domine) sis memor coniunctionis nostræ, & quomodo ego in hoc martyrio tibi astiterim; teq. in hoc agone confirmauerim. Deprecare igitur Dominũ nostrum Iesum Christum, vt me tecum accipiat: vt quemadmodum communicauimus in hac vita misera, & plena peccatis, ita simul esse possimus in illa beatissima vita, quæ est omnis doloris expers. Oro te (mi Domine) vt has primas preces offeras Deo. Scio enim præstiturum tibi Deum quidquid ab eo petieris.

Tandem cum lictores incudem afferrent in carcerem, vt martyribus supposita, vecte ferreo manus, ac tibias illorum confringerent, NATALIA id videns, occurrit eis, rogauitq. vt ab Adriano inciperent ne, pœna atrocissima Sanctis illata, terreretur. Obtemperarunt

perarunt ei carnifices; & cum imposuissent Adriani tibiam super incudem, illa pedem eius apprehendens, extendit super incudem. Carnifices verò amputarunt pedes, & crura confregerunt. Porrò beata ait ad eum: Precor te, mi Domine, serue Christi, dum adhuc in te hæret spiritus, extende etiam manum, vt amputet eam. Extendit ergo manum Adrianus, & porrexit eam NATALIAE; illa verò imposuit eam incudi, & carnifices amputarunt. Deinde amouent ab illo incudem, & mox spiritum reddidit.

Cum autem iussisset Tyrannus corpora martyrum (qui eodem supplicio martyrium subierunt) flammis exuri, NATALIA abscondit manum S. Adriani in sinu suo, ne ignibus assumeretur: quā purpura obuolutam, & myrrha persusam, reposuit ad caput lectuli sui. Postulata verò à Tribuno in vxorem, tridui petijt inducias ad se præparandum, animo fugam meditans: & conscensa interim naui, relictis omnibus, manum S. Adriani solummodò secum deferens, venit Bizantium; vnde sedulitatis, fortitudinis, eximiæq. suæ pietatis præmia, in cœlum perceptura abijt, *Idem Sur. ibid.*

I I.

NEVOLONVS Sutor Fauentinus, cum ad decrepitam peruenisset ætatem, & suæ dissolutionis tempus iam instare cognosceret, orans genibus flexis, reddidit spiritum, anno Domini 1280.

M. S. Bibl. Vall.

ANNOTATIO.

Infirmitate correptus NEVOLONVS, quasi flagello admonitus, neglecto lucri, & pecuniæ desiderio, totum se Dei obsequio tradere decreuit. Vnde sanitati restitutus, quas habebat facultates distribuit pauperibus: quibus etiam postmodum vetera reficiebat calceamenta. Ieiunijs & orationibus intendit. S. Iacobi Apostoli Patroni sui præcipui Reliquias in Compostella decies visitauit: duodecies Romam ad Apostolorum veneranda limina venit; & virtutibus tandem, ac miraculis clarus, migrauit ad Dominum. Eius autem obitum, campanæ indicarunt Ecclesiæ, quæ nullo mouente tunc sonuerunt.

I I I.

NICOLAVS Factor, Ord. Min. Obseruantiæ, infirmitate correptus, qua præcipuè graui pectoris dolore laborabat, pa- *Dec. 23.*

tientia admirabili, & in Dei beneplacitum resignatione, enituit; febriq. ac doloribus grauissimis non obstantibus, ad superna iugiter animo intentus erat; obsecrans eos, qui ad illum visendum veniebant, ne sibi molestiam facerent, quia colloquia sua cum solo Deo iam esse debebant.

Ingrauescente morbo, misit ad Prælatum suum, vt sibi benedictionem, & facultatem impertiret confitendi generaliter, & ad mortem se præparandi: qua obtenta, parauit se ad vitæ exitum per Pœnitentiæ sacramentum. Viaticum subindè maxima instantia, & deuotione postulauit; atque allatum, genuflexus, omni (qua potuit) humilitate, suscipere voluit; eadéq. humilitate rogauit astantes, vt suo tempore sacro eum oleo communirent: Insuper, vt ex charitate concederent sibi habitum, & cordam, qua (de Religionis more) sepeliretur. Quod quidem sibi à Guardiano præsenti pollicitum fuit, magna sui animi exultatione. Postulauit deinde, vt in stabulo sepeliretur; nullam aliam sibi sepulturam magis congruentem affirmans: Guardianus autem respondit ei, non adesse in Conuentu stabulum; sed non defuturum in hoc, officio suo.

Appropinquante tandem hora, quam tandiù concupierat; frater quidam nunciauit ei, ipsum breui decessurum., cui lætus, & subridens respondit: bonum tibi concedat nuncium Deus, frater mi; bonum tibi concedat, sicut modo tu mihi attulisti: & statim eleuans ad cœlum oculos, ait: lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi; in domum Domini ibimus; stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem: astantibus autem, de tam subita exultatione mirantibus, dixit vt extremam afferrent Vnctionem, & Confessarium aduocarent: facta igitur confessione, sacro fuit inunctus oleo, maxima cum deuotione, & attentione; quin & cum cœlesti quadam degustatione; os nempè lambebat, cum illud inungeretur. Rogauit deinde fratres iterum, vt eum sepelirent in stabulo, & cum multi apud eum, post susceptam Vnctionem extremam, remansissent, eos abire rogauit, dicens: Duos tantum ex eis sibi sufficere. Quibus iniunxit, vt sæpius sanctum Iesu Nomen, & Gloriosæ Vir-

ginis Mariæ pronunciarent; Symbolumq. fidei recitarent.

Cum interim à medicis potio quædam amara sibi propinaretur, eam vir obediens, quamuis morti proximus, hausit; suauissimamq. esse duxit, fel, & acetum recordatus, quò Dominus noster ante mortem potatus fuit. Audita est subinde in eius cubiculo cœlestis melodia ab astantibus, & ab alijs quoque propè idem cubiculum manentibus; cui forsitan intentus, rogauit simul colloquentes fratres, vt paululum quiescerent, & silerent: sicq., eleuata in Deum mente, astantibus fratribus, signo conuocatis, feliciter migrauit ad Dominum anno 1583.

Vita ipsius per Fr. Christophorum Morenam edita, & Romæ impressa 1590. *Chron. S. Franc. par.* 4.

I V.

NICOLAVS Episcopus Myrensis, cum intelligeret suæ migrationis horam adesse, in hymnos, & orationes diffusus, in cœlum suspexit; & cum Angelos sibi occurrentes intueretur, illo psalmo pronunciato: In te Domine speraui, vsque in eum locum, In manus tuas commendo spiritum meum, omni lætitiæ significatione, astantibus Vale dicto, in cœlum abijt. anno Domini 326. *Dec. 6.*

Breuiar. Rom. de eo Sur. to. 6. Lippom. to. 1. 2. 4. & 8. *Baron. in Annal. to.* 3. *Ferrar. in Catal.*

V.

NICOLAVS à Monte Politiano Ord. Iesuatorum ad extrema perductus, & sacramentis munitus, quando supremam sibi horam adesse cognouit, signauit se signo Crucis; & aquam benedictam afferri iubens, eadem se ipsum, & omnes aspersit astantes; quos (ad spiritualem pugnam excitans) his præcipuè verbis est allocutus, nempè: Hæc memento te semper: nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit: certate igitur vsque in finem, & coronam à Domino percipietis. Quibus dictis, benedixit eis, & benedicendo, spiritum emisit, circa annum Domini 1479.

Paul. Morig. cap. 53. *lib.* 2.

Sept. 10. NICOLAVS Tolentinas ante suum obitũ mensibus sex, qualibet nocte,(ante preces nocturnas) cantus Angelicos audire dignatus est; cuius suauitate, cum iam Paradisi gaudia praegustaret, frequentius illud Apostoli repetebat: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Ab illo tempore suũ fratribus praedixit obitum; sensitq. maiori se infirmitate grauari: infirmos nihilominus ad eum venientes, eiusq. opem implorantes, sanitati reddebat. Appropinquante mortis hora, accitos ad se fratres ita allocutus est: Et si nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc iustificatus sum. Itaq. si cuiquam ex vobis iniuriã irrogaui, parcite quaeso erratis meis, vt & vobis remittantur à Domino peccata vestra. Rogauit deinde Priorem, vt quamprimum ei peccatorum omnium tribueret absolutionem, & sacramenta ministraret; praesertim sacrosancti Corporis Domini, vt (inquiens) tanto munitus viatico, non deficiã in via, ad patriam coelestem profecturus: & si ob demerita mea improbus Belial hostis meus mihi occurrerit, possim fidenter dicere; Dominus mihi adiutor, & ego despiciã inimicos meos. Sacro igitur Viatico refectus (quod maxima deuotione suscepit dicens: Benedictus qui venit in nomine Domini) rogauit eumdem Priorem, vt sibi ante mortem, Crucem offerret inspiciendam, quam, eius monitu, Tolẽtinates faciendam curauerant; & in qua, ipso vidente, sacratissimae Crucis Christi particula inclusa fuerat, vt (inquiens) eius virtute, ceu baculo altissimae potestatis fultus, Iordanem huius mundi liberè transmittere, & ad Paradisi gaudia feliciter peruenire queam. Allata cruce, in genua (vt potuit) lecto incumbens, & flens largiter, dixit: Salue Crux pretiosa, quae digna fuisti portare mũdi pretium, quod in te quieuit, & sedit; & passionis aestu roseum sanguinem sudauit; Latroni misericordiam imploranti pepercit, suam Matrem Virginem virgini discipulo commendauit; Deumq. pro se crucifigentibus rogauit; ille me per te defendat in hac hora ab hoste maligno. Exosculata deinde Cruce, sese vt prius reposuit; & ministrum suum vo ans: vide

(ait) ne cesses in aures meas pronunciare: Dirupisti Domine vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis; vt si, debilitatus viribus, proprio ore nihil queam pronunciare, mente saltem cum Deo meo loqui possim. Tandem imminente morte, cũ Christi vocem audisset se vocantis; fratribus, Deum, & sanctos solitis precibus inuocantibus, ipse (iunctis manibus, & sursum oculis ad Crucem sibi propositam sublatis) iucundo, & hilari vultu, pronuncians: in manus tuas commendo spiritum meũ, spiritum commendatum Domino tradidit, anno salut. 1306. die 10. Septembris.

Breuiar. Rom. Mombrit. to. 2. Sur. to. 5. Chron. Ord. seu Vit. fratrum lib. 2. cap. 13.

VII.

NICON Myroblites monachus in Armenia, obitũ suum, Deo reuelante prænoscens; supremũq. diem sibi adesse sciens, leniter ægrotus in monasterij vestibulo exponi se iussit; Ciuitatisq. Primoribus euocatis, cum omni monachorum, & sæcularium genere, summa animi modestia, primum quidem singulas vitæ suæ partes, & quæ antea occultauerat, ab origine patefecit: Deinde & patriam; & genus; modum abdicationis; Diuinum insuper, sincerumq. æterni Patris amorem, quem infixum animo gerebat; quibus à Deo muneribus affectus; quãta spiritus gratia decoratus fuisset; omnes denique res suas, ordine commemorauit; exitumq. imminentem; & quàm ardẽti desiderio ad Deum pergeret, significauit. Hortatus est eos deinde animarum suarum salutem seriò amplecti; ex quo, post discessum ex hac vita, nulla sit pœnitentiæ vis. Pietatem pariter; humilitatem; charitatem suasit; æterno Patri eosdẽ commendauit; & post manus illis, orãdo, impositas; post suprema (vt potuit) dictæ salutis officia, cum postremò adiecisset: Deus cum charitate vestra sit vobiscum, oculos in cœlum intendẽs: Domine (ait) Iesu Christe Deus, in manus tuas commendo spiritum meum. Quibus verbis puram, sacramq. efflauit animam, anno Domini 998. *Nou. 26.*

M.S. Cod. Græc. Biblioth. Sfortianæ, latinè reddit. per

P. Ser-

P. Sermundum Soc. Iesu. habetur in M. S. Bibl. Vall. Menolog. Græcor. eadem die, qua Martirol. Rom. nempè 26. Nou. De eo Baron. in Annal. to. 10.

ANNOTATIO.

Hic (in Armeniæ regione ortus) primarij cuiusdam viri filius fuit; qui cum Domini vocem audisset: Omnis qui reliquerit patrem &c. relictis omnibus ad monasteriũ quoddam profectus est; in quo omni genere monasticæ exercitationis ità profecit, vt summa vitæ asperitate, omnes, qui ante eum fuerant, sit supergressus. Quod cum ad patris eius notitiam peruenisset, omnes Monachorũ cellulas inuestigando perlustrauit. Ipse verò inde abiens, totum Orientem obijt, clamans iugiter; Pœnitentiam agite (ex quo & cognomen Metanoitæ sortitus est) Peragrata autẽ Insula Cretensium, & Peloponeso, alijsq. Vrbibus, & gentibus. Lacedæmonem denique se contulit: vbi varijs editis miraculis, templum erexit Saluatori nostro; in eoq. monasticam vitam perducens, ad eum tandem, quem desiderabat, certaminum coronam percepturus, excessit.

Mira sunt quæ de hoc S. Viro narrantur, sed hæc præcipuè non omittenda, quæ à Baronio Annal. to. 10. recensentur, anno Christi 982. nempè.

Lacedæmonij peste laborantes legationem decernunt ad virum S. NICONEM, vt Spartã vsque venire velit; quod se diuinis eius precibus liberandos confiderent. Ille verò legationem benignè excepit, annuitq. petitioni; & ingruentis mali propulsionem spopondit; si modò ipsi Iudaicam gentem ex Vrbe sua pellerent; ne execrandis (vt aiebat) eorum moribus, piaculisq. Religionis suæ, diutius eam contaminarent. Cumq. illi omnia, quæ iusserat facturos promitterent, nihil amplius cunctans, cum legatis illis profectus est, & ad eius aduentum lues cessauit, & Iudæi Vrbe pulsi sunt.

Aratus autem quidam, Iudæorum Patronus, inuidiæ stimulis cõcitatus, ira, & odio aduersus Niconem insaniebat; vnde Iudæorũ fugam iniuria, & immeritò factam affirmabat; eamq. ciuibus vitio vertere, atque illos hoc nomine sugillare non verebatur. Cumq. opificij cuiusdam obtentu, quo poliri, & illustrari textilia solent, Iudæorum vnum in vrbem introduxisset, intercessit illicò NICON, bellatorq., iuxta Prophetam, factus, consueta lenitate paululũ intermissa, leoninum animum induit, & fuste, qui propè iacebat, ar-

repto,

repto, Iudæum malè acceptum foras extrusit, formidabiliorq. hostibus, quàm Hercules ille sua claua visus est. Iudæorum enim gentem vsqueadeò auersabatur, vt nec lingua, nec auribus vsurpare illorum nomen vellet.

Hæc verò cum audisset Aratus, rabie tumens, in sanctum anhelans irruere cœpit, conuicijs onerare, proscindere, minis deterrere: quanquam inanis hæc illi strepitus erant. Qui leni ad eũ voce: Abi (inquit) & ad te redi, infelix. Defle scelera tua: breui enim senties, quis arrogantiæ fructus, & qualia nequitiæ sint præmia. Non destitit nihilominus amens ab incepto, quin aduersus Sanctũ fremeret, proscindens illum probris, & contumelijs, quin etiam minas intentans. Sed dignos amentiæ suæ fructus tristi, & miserabili vitæ exitu percepit. Nec tarda fuit vindicta, sed è vestigio, de repentè, nec opinantem oppressit. Nocte enim proxima obiecti sunt infelici duo senes in somnis, quos alij duo sequebantur, forma quidem eunuchi, sed longè quàm humana præstantiore. Ab his verò flagris cædi sibi videbatur, & sic verbis increpari: Quomodo tu cò es prouectus audaciæ, vt seruum Dei contemnere, & conuicijs appetere non dubitares? deinde in obscurum post verbera carcerẽ detrudi. Et cum veniam multis orasset; vix tandem cædendi finem fecisse, nec tamen è custodia dimisisse. Experrectus igitur, grauem statim in febrem incidit; accitoq. NICONE, ad eius pedes aduolutus, misericordiam implorauit. Cui beatus: quæ in me perpetrasti, ait, ea tibi frater, quantum in me est, condonabuntur: sed quoniam vitæ finis tibi, cælesti decreto, præstitutus est, nemo erit de cætero, quemadmodum ait Propheta, qui Dei consilium dissipare possit. Et his dictis, ad monasterium reuersus est. Illi verò tertia post dies infelici morte vitam eripuit.

Refert etiam Baronius ibid. ex Ioanne Curopalata in Basilio, & Constantino facinus admirabile sancti Viri non reticendũ, nempè. Ioannes quidam Malacenus, nobilitate generis, ac splendore, nec non summæ sapientiæ laude, non inter Lacedæmones modò, verum etiam tota Hellade, & Peloponeso facilè princeps, iniustè accusatus apud Basilium Imperatorem, cum eius iussu comprehẽsus esset, euocauit confestim virum Dei NICONEM, quem præcipuo in honore habebat; grauiq. dolore anxius: Ora (inquit) pro me misero, serue Dei; ne Imperatoris ira male peream. Quem Sanctus, blandis contra, mellitisq. verbis respondens, confirmare animum iussit, nihilq. tristius formidare. Tùm eximia quadam vi charitatis, mensæ simul accubans, & lætitiæ poculum, malorum

omnium

omnium obliuionem; mœrenti propinans, oraculum adiecit; Regiã potius beneuolentiam adepturum; altiores ad honorem gradus conscensurum; de omni denique molestia, & calamitate triũphaturum; & me (inquit) videbis, & in patriam sub finem reuerteris. Malacenus ergò vehementer exhilaratus, nauigationem (salutato NICONE) securo animo exorsus est. Postquam autem ad Imperatorem peruenit, & conficta criminatio, veritatis luce, sed NICONIS maximè precibus, discussa est; maiorem deinceps apud Imperatorem gratiam, & gloriam est adeptus. Transacto deinde non breui tempore, cum Malacenus Constantinopoli adhuc esset; NICON obijt: quod ille cum accepisset, vehementer angi animo, varijsq. æstuare cogitationibus cœpit; grauem præterea vitã ducere, nisi quod ille promiserat (videndum scilicet se præbere) perfici videret. fide igitur confirmatus, pictorem aduocat, & qualis habitu, veste, capillis sanctus fuisset, verbis designat; tum aptis coloribus in tabula totam eius imaginẽ exprimi voluit. Reuersus domum pictor, post varios conatus, frustrà tandem se laborare animaduertit; nec enim ex sola narratione poterat, quem nunquam viderat, ad veram similitudinem exprimere. In hac igitur cura versanti, vehementerq. dolenti, quod oris lineamenta effingere nõ posset, ante oculos repentè extitit Monachus quidam, qui in ædes clàm penetrarat, statura procerus; habitu Eremitico; obsoleta veste amictus; coma squalens; capillitio, barbaq. niger; in omnibus denique B. Viro simillimus: nam & virgam manu gerebat, cuius apex in Crucem desinebat. Qui, pictore comiter salutato, mœroris, & solicitudinis causam est sciscitatus: ille verò & causam aperuit, & operis difficultatem demonstrauit. Tum leni voce ad eum Monachus: Me (inquit) aspice frater, mihi per omnia similis est quem depingis. Vt ergo acrius oculos in illum intendit pictor, penitusq. circunspexit, illum ipsum esse agnouit, quẽ Malacenus verbis designarat. Quare ad tabulam reflexus, vt conspectam formam imitaretur, sacram Beati effigiem in tabula, suis lineamentis, suapte expressam sponte, videt. Cumq. miraculo obstupefactus, ad Sanctum subitò (Kyrie eleison cum horrore inclamans) se vertisset, illum amplius non vidit; iam enim auolauerat.

Itaq. ad delineatam diuinitus formam reliqua colorum pigmẽta adijciens, perfectam imaginem, qualis hodieq. (ait Curopolata) in sacro Beati templo suspensa visitur, omnibus numeris absoluit; statimq. ad Malacenum cum illa properans, omnia ei, vt acciderant ordine percensuit.

NILAM-

VIII.

NILAMMON monachus, cum Geræ in Aegypto Episcopus à Populo electus esset, sacerdotio se indignum putans, inclusit se in domunculam, in qua habitabat; ianuam lapidibus obstruens: Aduenienti autem Teophilo Episcopo Alexandrino, & instanti, vt ordinationem à se oblatam acciperet, respõdit tandem: Cras ita facies, ò Pater, si placet: Ego hodie res meas antea disponam. Postridiè, cum Teophilus ex condicto venisset: Age verò (ait Nilammon) oremus primum. Quo laudato, Teophilus quidem orauit; sed Nilammon inter orandum, hanc vitam reliquit, anno Domini 403. *Ian. 6.*

M.S. Bibl. Vall. ex Sozom. l. 8. c. 19. De eod. Niceph. lib. 13. c. 17. Martyrol. Rom. Baron. in Annal. to. 5.

IX.

NILVS Iunior Rossanensis, Abbas Cryptæ ferratæ, morti proximum se cognoscens, vestes laceras, & paucas suas diuisit fratribus, qui ad eum visendum venerant. Sacro deinde munitus Viatico, rogauit Præpositum, & fratres dicens: Quæso Vos (si morior) quamprimum terra meũ cooperiatis corpus; nec illud in aliquo templo deponatis; neque supra me cameram, vel aliud quoduis ornamentum faciatis; si verò aliquod omnino volueritis apponere signum, vt vbi positus sim, cognoscatis, planum sit desuper, & humile, vt aduenæ ibi requiescere possint (aduena enim ego fui omnibus diebus, quibus vixi) & mei in orationibus vestris mementote. Hæc cum dixisset, fratresq. suos benedixisset; ac super omnes Deum orasset, pedes suos, ac se ipsum supra cubile suum extendit; duosq. dies ita se habuit, nec loquens, nec oculos aperiens; labia tantũ mouens; & manu dextera Crucem signans, ac benedicens: videbatur quidem præsentibus orare, & alios benedicere; nihil tamen eorum, quæ dicebat, audiri poterat; nisi tantummodo versum hunc psalmi 118. Tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis, à fratre quodam, qui auribus ad os eius accessit. *Sept. 26.*

Cum autem * Lucernarij aduenisset hora, & omnes qui ad eum

eum visendum venerant, recessissent; eo maximè, quod medicus nec febrem, nec aliud mortis signum adesse affirmaret, visum est fratribus eum ad Ecclesiam deducere: erat enim cõmemoratio Apostoli Ioannis; & meminerãt deuotionis, & dilectionis eius, quã erga Sanctorũ cõmemorationes ostendere solebat; meminerant insuper desiderij eius sæpe dicentis: oportet Monachum omninò in Oratorio mori. Illuc itaq. perlatus, & Vespertinis hymnis iam peractis, cognouit occasum suum, solq. cum sole occidit, in Dei manus animam reddens. ætat. 95. floruit anno Christi 1000.

M.S. Bibl.Vall.Sur.in edit. postrema ex M.S.Græco Cod. Cryptæ ferratæ,latinè reddito à Federico Metio Episcopo Thermularum, vbi etiam habetur officium de eodem.

Ferrar. in Catal. Baron. in Annal. to. 10.

De eodem Vide infra in STEPHANO eius discipulo.

* De Lucernarij hora Vide infra in Paulino.

A N N O T A T I O.

Educauerat NILVS in monasterio, sororis suæ filium, qui aliquando cum fratribus iter agens, & calicem argenteum gestans, inuenit pulcherrimum fontem. Cum igitur voluissent illi ex aqua bibere, ipse extracto calice, & allectus metalli splendore, omnes cum illo bibere voluit. Quod cum resciuisset B. NILVS, valdè iratus aduersus eum, multis contumelijs eum cum affecisset, auersatus est ipsum; adeòvt non amplius ei alloqueretur: frater verò ille dolore obiurgationis confusus, & auersione auunculi afflictus, graui morbo correptus, & ex eo mortuus fuit. Beatus autem NILVS, omnibus diebus, quibus ille morbo laborauit, ingrediẽs, vel egrediens Ecclesiam, & ante illius cellulam transiens, nunquam respexit eum, neque ipsum audire voluit, vsque ad eius mortem. Tunc autem cum quidam vidisset Beatum, plorantem post mortẽ fratrem illum; & dolentem eius obitu, accessit ad eum, & seorsùm cum ipso loquutus est, quasi ægrè ferens fratris mœrorem, cum quo è vita egressus fuerat propter suam auersionem. Cui respõdit NILVS: Nisi ego illum auersatus essem, nullo pacto Deus eum suscepisset. Consolor autem, quod per hanc paruam afflictionem, magnam eius anima consequetur lætitiam. Non enim est iniustus Deus, vt è carcere eruat quemquam, & in carcerem trudat.

Anon. Obit.

Illud

Illud etiam de tanto viro non est ommittendum, quod ei contigit cum EVPRAXIO Præfecto; qui quidem fastu multo, & superbia elatus, contra sanctum machinabatur: Sed à Deo morbo incurabili percussus fuit. Eum igitur sic languentem visere, quamuis rogatus, renuit NILVS; donec per triennium eiusmodi purgatum morbo, & humiliatum, ad extrema deuenisse cognosceret. Tunc verò ad illum accedens, charitate maxima, & humanitate illum suscepit plorantem, ad eius prouolutum pedes, & pœnitentiæ habitum enixè postulantem. Quo tandem induto, parari iussit prandium EVPRAXIVS, & qui (ante multos dies) è cubili surgere non poterat, accinctus, instar famuli, conuiuantibus maximo vigore deseruiuit. Cumque (post hæc) omnia sua pauperibus distribuisset, die tertia cum omni contritione, & gratiarum actione, ad Dominum profectus est.

Innumera quidem adhuc essent de S. NILO commemoranda, sed satius erit ea in Baron. Annal. tom. 10. perlegere, vbi ex citato M.S. fusius enarrantur.

X.

NOITBVRGIS Virgo, in Monasterio degens, cum accepisset, se a suis cognatis, nuptui esse tradendam, abnuit prorsus; mortalesq. sponsos omnes fastidiens, totam se ad deprecandum Dominum contulit, vt ipsam prius è vita tolleret, quàm sineret vim à cognatis perpeti. Nec defuit CHRISTVS deprecanti, eius enim sanctissimam animam ad se euocauit; ipsumq. exanime corpus insigni miraculo cohonestauit: duobus nempè luminaribus, altero ad caput, altero ad pedes eius diuinitus ardentibus. Floruit anno Christi 700. *Sur. tom. 5.* *Octob. 31*

ANNOTATIO.

Cum inter funeris exequias, alterius defuncti cadauer in templum inferretur, & iuxtà eius feretrum deponeretur, ad vitam defunctus ille redijt; affirmans, se S. NOITBVRGIS meritis, ac precibus, à mortuis fuisse excitatum. *Idem ibidem.*



I.

Ian. 1. DILO Abbas Cluniacensis, quinque ferè annis, grauissimis languoribus cruciatus, limina beatorum Apostolorum inuisere voluit; vt quasi sub eorum pedibus (si sibi daretur, quod semper in votis habuerat) posset ex hoc mundo transire. Quatuor autem mensibus Romæ cum æger decubuisset, cõtra spem aliquantulum postea conualescens, ad propria remeare coactus est. Cluniacum igitur deueniens, in oratione (ferè per annum) totus permansit; seseq. ieiunijs ac vigilijs (quantum per ægritudinem sibi licuit) vehementer afflixit. Ad sui obitus diem tandem perueniens, dum in agone constitutus esset, diabolum astare conspexit; quem per nomen tremendi Iudicis, vt abscederet, terribiliter increpauit. Demum, sacro munitus Viatico, animo, vultuque hilari migrauit ad Dominum, anno salutis 1048. ætatis anno 87.

Sur. tom. 1. Petr. Dam. in Vita ipsius Chron. Lerinen. De eo Trithem. de Vir. Ill. lib. 2. cap. 75. & lib. 3. cap. 235. Baron. in Annal. tom. 11.

ANNOTATIO.

Tanta ODILO Sanctissimæ Dei matris deuotione flagrabat, vt quoties in choro psallentium veniebatur ad versiculum illum: Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterum; in terram illicò se prosterneret.

Hic in suis Monasterijs instituit, vt sicut prima die Nouembris, sanctorum omnium solemnitas agitur; sic sequenti die, omnium in Christo quiescentium memoria, in psalmis, eleemosynis, & præcipuè in Missarum solemnijs celebraretur.

II.

Nou. 18. ODO Abbas Cluniacensis, cum (Romæ manens) acuta corriperetur febri; quamuis nihil aliud cuperet, quàm dissolui, & esse cum Christo; cupidus tamen admodum erat S. Martini sepulcrum prius inuisendi, & ei extremum spiritũ

commen-

commendandi. Nec defuit pijs votis diuina clementia: sequenti enim nocte vidit virum quendam præstanti forma, qui dixit ei: Iam quidem, ò Deo dilecta anima, instat tempus vocationis tuæ; sed Martinus te suis precibus retinet; vtque possis redire in patriam, vires tibi subministrat; cum autem eò perueneris, mox tibi vita pro morte, & beata electorum societas pro laboribus tuis à Christo donabitur. Incolumis igitur factus dedit se itineri, & venit Turones, imminente iam B.Martini celebritate: In qua beatus Vir de sua vocatione solicitus, sola cœlestia contemplabatur: atque eum in modum, maxima deuotione totam illam diem transiens, cum videret se ab expectata corporis emigratione differri, angi animo cœpit, ac tristari. Ecce autem, quarto inde die, febris redit; & ille (tanquam iam voti compos effectus) de Dei misericordia fit securus. Monachos igitur, vndique aduolantes, instruit; precibus Deo commendat; benedictione impertit; eisque nō sine lachrymis, vltimum Vale dicit. Sacro deinde munitus Viatico, octaua die S.Martini, Martinum ipsum suspiciens, & orans, abijt in cœlum, anno salutis 942.

Sur.tom.6. Biblioth. Cluniacen. Petr. in Catal. lib.10.c.83. Thritem. de Vir.Ill. *lib.3. cap.215. Baron.in Annal.tom.10.*

ANNOTATIO.

Cum infans in cunis iaceret ODO, ingressus Pater eius pijssimus in cubiculum, & eum videns sine custode relictū, huc, illucq. circunspiciens, & videns adesse neminem, è cunis sublatum manibus tenens, sursum erectis luminibus: Accipe (ait) puerum hunc gemma Sacerdotum beatissime Martine; moxque eum reponens intra cunas, è cubiculo excessit. Vir autem factus, tanta erga sanctum Martinum visus est animi deuotione feruere, vt præ cæteris Sanctis eum diligeret; eiusq. protectioni quotidiè se cōmendaret.

Monachus factus degebat in quodam Monasterio, in quo præ cæteris Regulis, habebatur vna præcipuè, qua præcipiebatur, vt micas panum decidentes in mensa singuli colligerent diligenter, & ante lectionis finem, cum gratiarum actione sumerent. Quod quidem oblitus aliquando facere ipsemet ODO (qui lectioni

intentus, ea absoluta, cognouit se habere micas manu clausas, nec absumptas) culpam publicè fateri illicò voluit; sed easdem micas, negligentiæ indices in medium proferens, visæ sunt omniũ oculis, Margaritæ. Hoc quidem miraculum narrabat ODO tanquam de alio, humilitatis ergò. Non leuem autem fuisse huiusmodi culpam, apparuit in fratre quodam eiusdem Monasterij valde idoneo, & omnibus charo.

Anon. obit. Qui ad extrema perductus, coram fratribus, qui ad eum venerãt, vt spiritum eius Domino commendarent, subitò exclamauit: Adiuuate me (obsecro) propter Dominum: iam enim raptus fui ad Tribunal Christi; & ecce teterrimus humani generis hostis, & accusator diabolus sacculum plenum micis ostendit, quas ego pro consuetudine comedere nolui, atque ita à mensa deciderunt. Paulò post, rursum clamauit horrendum in modum: En adest diabolus ferens sacculum, de quo dixi vobis. Fratribus autem ad hæc territis, & admirantibus, iterum in has prorupit voces: Illo in loco stat, sed eum vos minimè videtis. Postea totum se signo Crucis communiens, inter preces reddidit spiritum.

Venit sæpius ODO Romam, cumque maneret aliquando in Monasterio S.Pauli, cum discipulis suis, pergens (deuotionis ergo) ad Monasterium, quod erat in monte Auentino, rogatus fuit ab Abbate, vt ob amorem sanctissimæ Dei genitricis, illa die (quæ erat Assumptionis eiusdem) ibi Missam celebraret; suisque manibus corpus, & sanguinem Domini sibi, ac Monachis porrigeret: cumque assentiri cogeretur vel inuitus, Ecclesiam intrauit; sed cum paululum orasset, egressus est: Illis autem eum retinere volentibus, ait; obsecro vos, abire me patiamini. Duo enim fratres mei extremas ducunt horas, ad quos mihi properandum est, ne (me absente) exeant de corpore; moxque subiunxit: En ad portam Monasterij adest, qui me ire compellat. Nec dum hæc locutus erat, & adfuit, quem dixit. Cum autem ad sanctum Paulum venisset pro fratre BENEDICTO Missam celebrauit, eique sacrum Viaticum præbuit, quo munitus, Domino spiritum reddidit. alter verò frater, GISBERTVS nomine, octauo die Benedictum secutus est.

Iter agens aliquando per latronum fines, quidam ex eis, ætate iuuenis, simulatque vultum eius amabilem, & serenum intuitus est, corde compunctus ad eius pedes corruit, demissa voce obsecrans, vt ipsius misereretur. Misericordia igitur motus vir pius, Monachum tandem eum effecit, & cellerario obedire iussit: Cumque

idiota

idiota esset, & obedientiæ labor, & studium pariter ei iniunctum fuit. .In vtroque verò tam strenuè ille se exhibebat, vt altera manu seruiret cellerario fratri, altera psalterium deferret. Non multò post eum Dominus ad se vocauit.

Vbi autem ad extrema deuenit, B. ODONEM rogauit, vt ipsum inuiseret, volens illi soli loqui. Venit ergo ad eum Vir sanctus, & perquisiuit num sibi alicuius (postquam Monachus effectus est) peccati sit conscius? Respondit ille: Tunicam meam nudo cuidam (te ignorante) mea culpa dedi; & funem è pilis contextum, è cellario abstuli. Interrogante ODONE, quid illo fecisset? Strinxi (inquit) illo ventrem meum, vt eius coercerem ingluuiem, cui antea assueueram. Obstupefactus ea re pius Pater, voluit tam durum soluere ligamen; sed secuta (cum sanie) cutis est, cui inhærebat. Inde addidit frater ille: Hac nocte Pater in cœlum raptus sum, & venit mihi obuiã illustrissima fęmina; & cum propè esset: Cognoscis me? inquit: Me id pernegante: Ego sum (ait) misericordiæ Mater. & ego: Quid me (inquam) vis facere, ò Domina? Tum verò (ait illa) post triduum venies huc, certam mihi indicans horam. Venit igitur illa dies, & hora, & Monachus vita functus est, veram probans visionem fuisse. Exinde autem beatus ODO sanctissimam Virginem consueuit, Matrem misericordiæ appellare. *Anon. obit.*

Collocauerat idem ODO Virginem quandam nobilem in Monasterio; Cui cum ad exitum vitæ peruenisset, aderant moniales, vt suis eam adiuuarent precibus; cumque velut mortua appareret, illa repentè (voce qua potuit) petijt se è lecto subleuari; sciscitantibus autem sororibus, quid hac re sibi vellet? Video (inquit) beatissimum Paulum ad me venientem, eique occurrere volo. Nec dum verba compleuerat, cum extendisset brachia, vt posset ocyus surgere, eadem repetens. Moniales igitur eam insanire existimabant; at illa, vi qua potuit, assurgens in genua, submisso capite, ab eo, quem videbat, benedictionem petijt, dicens: Benedicite. atque interim feliciter in Domino obdormiuit. *Anon. obit.*

De eodem ODONE vide supra in ABRA.

III.

ODO Monachus Carthusiensis, cum moribundus decumberet, conuocato clero, diem, & horam sui exitus prænunciauit; futuram nempe sequenti die; eademque recurrente hora, subdens: Rogo vos ex parte Dei, nullum mihi mun- *Ian. 14.*

danum conferte honorem; ſed tantum in vili ſacco (quem me portare videtis) corpus reponite; & Crucem hanc ligneam (quam proprijs manibus ipſe confecerat) ad caput meum in tumulo collocate. Poſtera itaque die, & hora adueniente, quam prædixerat, dicere auditus eſt: Expecta me Domine; ecce ad te venio. Interrogatus autem, quemnam alloqueretur: iam (inquit) Regem meum video; iam in conſpectu eius aſſiſto. Quibus dictis, mox de ſtratu erectus, eleuatis & extenſis in Crucis ſimilitudinem manibus, ſpiritum Deo reddidit, anno Chriſti 1200. ætatis 100. die 14. Ianuarij.

Ex M.S. Monaſt. Sublacen. S. Pauli via Oſtienſi, & Tagliacotij (vbi vir ſanctus obijt) & ex proceſſu poſt eius mortem confecto iuſſu Greg. IX. cuius literæ habentur ibidem.

ANNOTATIO.

Cum ſacrum ODONIS corpus ſepulcro conderetur, cuiuſdam oſſa (quæ ibi prius humata fuerant) nullo mouente, in angulo ſepulcri, viro ſancto locum dando, receſſerunt; & iure quidem optimo. Ei etenim qui viuens (humilitatis ergo) locum ſe perſequentibus ceſſerat, locũ mortuo mortuos ipſos præbere par erat.

IV.

Iun.12. ODVLPHVS Presbyter, S.Friderici Epiſcopi Traiectenſis adiutor, ſuæ migrationis tempus adeſſe prænoſcens, fratres accerſiuit, quos ſecum Pſalmos pro expectatione ſui deceſſus cantare voluit. Omnibuſque ex ipſius præſcripto peractis, rogauit eos vt pro ipſo Dominum deprecarentur; pollicitus ſe quoque pro ipſis, loco, & habitatoribus, preces perpetuò oblaturum Domino. Deinde, cum eis valedixiſſet, ad Dominum conuerſus, nil morte trepidans; hilariſque mente, ac vultu, dixit: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. ſub quibus verbis anima ſancta è corpore migrauit.

Sur. tom.3.

V.

Iun.17. ONVPHRIVS Eremita ſui exitus horam aduenire prænoſcens, orauit cum Paphnutio Monacho, qui (diſpenſatione diuina)

diuina) ad eum tunc superuenerat. Videns autem Paphnutius illius faciei aspectum post preces esse immutatū, extimuit; cui dixit Onuphrius: ne timeas frater, Deus enim, qui est in omnibus misericors, te ad me misit, vt curam geras sepulturæ mearum Reliquiarum. Ecce enim hodierna die perficio meã administrationem, & abeo in requiem meam vsque in sæculum. Deinde subdidit: Si in Aegyptum exieris, annuncia mei memoriam, ad Thimiama ei præbendum in medio fratrū, & omnium Christianorum. Tunc Paphnutius, pedibus eius aduolutus, rogauit eum, vt benedictionem sibi impertiret; quatenus efficeretur sibi in virtute similis; & sua interuentione spiritus eius dirigeretur; ac in futuro, secum participari mereretur. Dixit autem ei Onuphrius: Paphnuti ne contristeris: Petitio tua (tribuente Domino) erit stabilis. Sta in fide; viriliter age; oculos cum mente ad Deum erige; in mandatis corroborare; bonum facere impiger contende; & vitam æternam apprehende. Protegant te Angeli Dei, & conseruent te ab omni consilio prauitatis, vt purus, & immaculatus ante Deum in die sui examinis inueniaris. Post hæc surrexit, & ad Dominum lachrymans orauit; genuflexit; atque subitò dixit: In manus tuas Deus commendo spiritum meum. Cumque hæc dixisset, lumen splendidum corpus eius obumbrauit; & cum ipsius claritate luminis, anima sancta carne soluta est, anno Domini 380.

Paphnutius in vit. Patr. lib. 1. ab Heriberto collect. Sur. tom. 3. M.S. Bibl. Vall.

ANNOTATIO.

ONVPHRII Director. qui per singulos annos eum visitare consueuerat, suum pariter prænoscens exitum, venit ad eum; & inter salutationis verba prostratus, in terram corruit, & in Domino obdormiuit. Post cuius obitum ONVPHRIVS, in eadem eremo manens septuaginta annis, neminem vidit, præter Paphnutium: quotidiè autem panem, & aquam ab Angelo accipiebat; & singulis diebus Dominicis ab eodem Angelo sacram Communionem *Ibidem*. *Anon. obit.*

VI.

Apr.22. OPPORTVNA Abbatissa cũ diu orasset, vt posset dissolui, & esse cum Christo, & cum fratre suo Godegrando martyre; intelligens tandem se à Domino exauditam; & diem suæ vocationis imminere iam sciens, conuocauit moniales; ante quarum pedes prostrata, ream se, & peccatricẽ confessa, veniam ab omnibus postulauit. Residens postea cum illis, plurima dedit eis monita salutaria. Quibus peractis, graui cœpit corporis infirmitate detineri: sed quamuis morbi grauitate omnes artus eius deficerent, ab ore tamen eius, Dei laus nunquam recessit.

A SS. Cæcilia, & Lucia (sibi apparentibus) vocata vt iret obuiam sponso, mira exultatione perfusa est. Post lætitiam autem visionis huiusmodi, vidit imperterrita, in cubiculi angulo Dæmonem astantem; cui præcepit ne loco moueretur; & aduocatis sanctimonialibus, denunciauit eis, quàm terribilis adesset inimicus; quomodo omnibus diebus impugnet; quomodo eius resistendum suggestionibus. Deinde ad Dæmonem conuersa, eum abire iussit dicens: In nomine Domini recede à me, quia non me ancillam Christi superabis, sicut Heuam primam fœminam superasti. Demum adueniente suæ vocationis die, quam prædixerat, rogauit Sacerdotes, vt pro animæ suæ commendatione, Missarum solemnia celebrarent; & sanctimoniales, vt orarent: Sacroque munita Viatico, dum Psalmos cum astantibus cantaret, respiciẽs ad Ostium domus, dixit: Ecce aduenit Domina mea B. Virgo Maria, cui vos commendo; & extendens brachia, quasi eam amplexari vellet, sancta eius anima, carne soluta est. *Sur. tom.* 2

ANNOTATIO.

Godegrandus Martyr (sanctæ OPPORTVNÆ germanus) fuit Episcopus Sargiensis, de quo Molan. in addit. ad Vsuard. 6. Martij. Plura de eodem habentur in eiusdem sanctæ OPPORTVNAE vita, à Surio enarrata.

OSVVAL-

V I I.

OSVVALDVS Episcopus Eboracensis, seu Vuigorniensis, in Anglia, quodam die egressus cum suis ex Oratorio, sub dio stans, in cœlum intentissimè oculorum aciem defixit; Christum pio corde, & ore attentius deprecans, quem suspirabat; intellexitque tunc suæ remunerationis tempus adesse: Vnde in Oratorium reuersus, conuocatis fratribus, ministerium sanctæ Vnctionis, cum Dominici corporis Viatico sibi voluit impendi. Nocte autem sequenti, suæ aduersæ oblitus valetudinis, in templum se contulit; diuinum Officium expleuit; & reliquæ noctis spatia in Dei laudibus expendit. Manè verò (solito more) linteo præcinctus, pedes pauperum lauit; & eosdē exosculans, atque extergens, quindecim Psalmis (quos in illo ministerio dicere solebat) persolutis, subiunxit: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. cumque pauperes tunc (pro more) gratias agentes surgerent, ille dicens: Spiritui sancto, ante illorum pedes in manus Domini, spiritum reddidit, anno 992. Octob. 15

Sur. tom. 5. Baron. in Annal. tom. 10. Matth. Tymp.

ANNOTATIO.

Cum corpus OSVVALDI ad Ecclesiam deferretur, niuea columba è cœlo descendens, expansis alis, lento volatu illud protegere visa est. Ignea quoque sphæra cœlitus lapsa super feretrum apparuit. *Idem Sur. cap. 15.*

Dum ædificare Monasteriū vellet, OSVVALDVS non longè iacebat lapis, illi structuræ, quam moliebatur pernecessarius; sed cū artifices eum tollere conarentur, nec mouere poterant. Cernens igitur Vir sanctus magnam hominum multitudinem (nempè octoginta Virorum) casso labore fatigari, preces Deo obtulit; viditque lapidi Ethiopem quendam insidere, & laborantes irridere; quem Crucis signo fugauit, & lapis deinde à paucis facillimè sublatus est. *Idem Sur. ibid. cap. 6.*

De eodem OSVVALDO vide supra in FVLBERTO.
OTBERTVS Abbas vide infra in VVAZONE.

VIII.


Iul. 2. OTHO Episcopus Bambergensis, completo iam vitæ præsentis cursu, cum sanguinis fluxu vehementissimè laboraret, gratias Deo agebat in infirmitate sua; exitumque suum Deo, ac B. Michaeli, sanctoque Ioanni Apostolo (quos speciales sibi patronos delegerat) quotidianis suspirijs ardentius commendabat. Tanta autem virtute, artus, morbo fatiscentes, spiritui seruire cogebat, vt (excepta dormitionis suæ die) nunquam lecto decumberet, sed quotidie in sede sua residens, interdum quoque (baculo sustentatus) procedens, Psalmis, & Orationibus vacaret: Quin & oleo sancto infirmorum, non iacendo, sed sedendo inunctus fuerit. Adueniente demum festiuitate SS. Apostolorum Petri, & Pauli, suę vocationis diem instare sciens, vocauit ad se Decanum Ecclesiæ, eique dixit: hodie natalitius est dies Domini mei Principis Apostolorum Petri; cui res à Deo mihi donatas offerri volo, vt ipse mihi ianuam Regni cœlestis aperire, & cum collega suo Paulo, me illuc quantocyus dignetur introducere. Deinde astātibus ait: Dilectionem vestrā, cum vniuerso ouili meo, summo Pastori, qui vos mihi assignare dignatus est, commendo. Ipse vos integros mihi reconsignet in requie claritatis æternæ: & data super eos benedictione, sumptoque sacro Viatico, in oratione peruigil excubauit, vt pulsanti Domino confestim cum exultatione aperiret. Nocte tandem, qua B. Pauli festiuitas agebatur, in supremo spiritu constitutus, diuinis intendebat laudibus; ita vt Clericis Matutinum cum eo persoluentibus, ille eleuatis manibus, sursumq. erectis oculis, ad singulas lectiones, voce qua poterat, Deo gratias, responderet. Sicque feliciter Deo spiritum reddidit, anno salutis 1139.

Sur. tom. 4. Iac. Gretser. lib. 4. vitæ eiusdem cap. 4. Baron. in Annal. tom. 12. De eo Plura Albert. Crant. in hist. Eccl. Saxonum lib. 6. cap. 5. & in Metropol. lib. 5. cap. 44. & 45. In Chronic. item Bamberg. & hist. Pomer. lib. 4. cap. 7. & seq.

ANNOTATIO.

Sancti OTHONIS vitam quatuor libris scripsit Andreas Abbas Monasterij S.Michaelis,quam Iac.Gretserus primùm in lucem protulit, & notationibus illustrauit.in ea plurima leguntur notatu digna, sed præcipuè sequentia.

Diuinarum rerum studiosus cum esset OTHO, Indicem reliquiarum legens,& in ara Ecclesiæ cuiusdam vici suæ Diœcesis multas, & permaximas SS.Reliquias reconditas agnoscens, ad nobiliora loca eas transferre cogitauit: assumptis itaque Clericis, ieiunio, & oratione præmissa, sigillum altaris solui præcepit: sed hæsitantibus cunctis,& trepidantibus, ipse ferramentum accipiēs, bis aut ter sigillum malleo percussit, statimque sanguis de cistula plumbi cucurrit,ac si de corpore viuentis flueret. Turbatus igitur Episcopus ferramentum proiecit,& ad orationem cum alijs se prostrauit, commissi veniam postulans: Pater autem omnipotens, qui ad disciplinam filium erudire parabat, graui illicò languore OTHONEM tetigit, adeò vt vitæ terminum ipse putaret adesse. Inualescente igitur morbo, accersito Abbate S.Michaelis, Monachi habitū ardentissimè flagitauit; à multis annis (inquiēs) in proposito se habuisse, depositis pontificalibus, in paupertate spiritus, & cōtritione cordis Deo seruire sub magistri obedientia. Abbas verò obedientiam quidem ægrotantis suscepit,desiderium laudans & petitionem; porrò de habitu ingeniosè distulit. Post aliquot dies melius habens ægrotus,voti memor habitum quærit Religionis;de rebus suis disponit;& ad Monasteriū portari se mādat. Abbas igitur de feruore lætus,adhibitis cōpluribus honestis Viris,de hoc verbo cum eiscōmunicat. Qui quidē perspectis omnibus, non expedire dicunt, personam huiusmodi, Ecclesiæ,& pauperibus Christi tàm necessariam, ad monasterij transire silentium. Tunc Abbas, cum reuerentia Episcopum interrogat, si promissam sibi obedientiam implere velit; ille verò: in eius (inquit) nomine, qui pro nobis Deo Patri ad mortem vsque obediuit, tibi obedire paratus sum; cui Abbas: & ego (inquit) in nomine ipsius tibi iubeo (Pater sanctissime) sub onere accepti regiminis, vsque ad diem vocationis tuæ permanere.



PACHO-

I.

Maij 14. ACHOMIVS Abbas corpore ægrotus, morti proximus, vultu admodum lætus, conuocatũ gregem suum, de sobrietate; vigilantia; de nõ communicando cum Hæreticis, sed cum ijs, qui prodesse possent animis, admonuit. Delecto deinde successore (pro quo infirmo orauit) & ad eum accersendum misso, sub mortem se signauit; & Angelum lucis, qui fuerat ad se directus, aspectu intuens hilari, sanctam emisit animam, anno Domini 405. ætatis 110.

Vit. Patrum lib. 1. cap. 53. Lippom. to. 6. Sur. to. 3. De eo Baron. in Annal. to. 3 & Sigebert. in Chronico. Sozom. lib. 3. c. 13. Niceph. lib. 4. c. 14.

ANNOTATIO.

Theodorus discipulus, cum acerrimis laboraret capitis doloribus, rogauit aliquando PACHOMIVM, vt eum suis releuaret orationibus; cui dixit Vir sanctus: putasne (fili) quod alicui contingat dolor, aut passio, aut aliquid huiusmodi sine permissione Dei? Idcirco in dolore sustine, & in humilitate patientiam habe; quando enim voluerit Dominus tibi conferet sospitatem; Quod si & diutius probare dignatur, esto gratus, vt fuit perfectissimus & patientissimus Iob; qui multas tribulationum, & cruciatuum tentationes excipiens, Dominum benedicebat: Et sicut ille, tu quoque pro doloribus tuis maiorem requiem à Christo percipies. Bona quippe est abstinentia, & in oratione perseuerantia; tamen infirmus præmium magnum adipiscitur, cum longanimis, & patiens inuenitur. *Ibid. cap. 51.*

II.

Oct. 8. PALATIATES (quæ & PALATIA, & PALATIATES) Virgo Tyria, à Patre accusata quòd esset Christiana, post varia tormenta à Iudice sibi illata, demum Romam perducta, inde deportata est exilio in Ciuitatem Firmanam, vnà cum Laurentia nutrice sua; vbi dum teneretur, positis genibus, cum eadem orauit in hæc verba: Domine Iesu Christe suscipe spiritum nostrum. & dum orarent, ambæ emiserunt spiritum, tempore Diocletiani Imperatoris.

M.S.

M.S.Bibl.Vall.ex M.S.Cód.Basilicæ S.Petri. Ferrarius in Catal. die 8. Oct. Martyrol. autem Rom. die 9. Petr. in Catal. lib. 11.

ANNOTATIO.

Corpora earundem habentur Anconæ. Hanc autem PALATIATEM puto esse quam Rustici nostrates vocant, S. Palazzata; ex cuius nomine forsan denominatur Pagus illè in nostro Comitatu S. Seuerini, vulgò dictus S. Palazzata.

III.

PAMBO Abbas nulla febre, vel ægritudine correptus ad extrema deueniens, astantibus dixit, quod ex quo Eremũ intrauerat, nec panem comederat; nec sermonis, de quo locutus fuisset, aliquando, eum pœniteret: & tamen sic ad Deum ibat, quasi adhuc initium ei seruiendi non fecisset. Accersito deinde Palladio eius discipulo, tradidit ei sportam, quam adhuc contexebat, dum adesset iam extremus stimulus, & dixit eidem: cape hanc sportam à meis manibus, vt mei memineris; nihil enim aliud habeo, quod tibi relinquam. & cum hoc dixisset, migrauit ad Dominum, ætatis 70. *Iul. 1.*

Idem Pallad.Laus.cap.10. De eo Socrates lib.4.cap.18. Niceph.lib.9.cap.14.

IV.

PAPHNVTIVS, ab Angelo (conceptis verbis) vocatus, cum ad extremum suæ vitæ diem peruenisset, presbyteris, qui ad eum visitandum venerant, hæc præcipue monita tradidit: Nullus in hoc sæculo est despiciendus; etiamsi cultum ruris exerceat, & coniugio videatur astrictus; etiamsi negociator dicatur, & mercimonijs seruiat; tamen in omni ordine humanæ vitæ, sunt animæ Deo placentes, & habentes actus aliquos occultos, quibus delectatur Deus. Cumque plura his similia subdidisset, sanctam emisit animam; quam presbyteri, qui aderant, & fratres omnes viderunt ab Angelis suscipi, hymnum canentibus, & collaudantibus Deum. *Nou. 29.*

Vitæ Patrum lib.2.cap.16.

AN-

ANNOTATIO.

Expertus loquebatur PAPHNVTIVS. orauerat enim aliquando, vt sibi reuelaretur, cui esset similis, & æquatus fuit Symphoniaco; Viro cuidam Primario Vici, qui in matrimonio erat; & Negociatori.

Plures quidem fuerunt Paphnutij; Hic tamen creditur esse, qui Thaidem meretricem, tresq. Viros, sæculo ereptos lucratus est: de quo Maurolicus in suo Martyrol. 29. Nouembris; & Florariũ Sanctorum M.S. 8. Martij; de quo pariter in Vit. Patrum lib. 1. in Thaidis vita cap. 1. & seq.

V.

Dec. 8. PATAPIVS Abbas Aegyptius, videns discipulos suum lugentes exitum, ad eos amanter se inclinans, eosq. intuens: ne sic (ait) ô charissimi, ne sic vestrum Patrem lachrymis prosequamini, sed precibus: nam illud quidem, & Vos, & me lædit; hoc autem præbet auxilium. Cum autem sedasset eorum luctum, ac fletum; & de anima; deq. futura vita multa esset philosophatus; & deinde Dominum deprecatus, tanquã in somnum resolutus, puram emisit animam.

Sur. tom. 6. Lippom. tom. 5. ex Metaphr.

V I.

Apr. 16. PATERNVS Episcopus Abrincensis in morbum incidit eadem die, qua Scubilio eius olim socius, cum quo monachus degerat. Mutuò igitur sibi vtrinque miserunt nuncios, qui alterum accerserent, & rogarent, vt priusquam migraret ex hac vita, mutuo conspectu frueretur. Sed cum sinus maris impedimento esset, quominus alter alterum viseret, vtrique animas suas ad cœlum, eadem omnino hora, transmiserunt. Cumq. Paterni exequias celebraret Lauto Episcopus (qui ante dies octo, eum inuisendi causa illuc venerat) eiusq. sacrum corpus ad Basilicam deportaret: Itemq. Lauscius Episcopus Scubilionem ad eandem Basilicã adduceret; ambo Pontifices, concinente psallentium choro, præter omnẽ expectationem, sibi inuicem occurrerunt; pariterq. in eodem loco conuenerunt. Sic igitur Viri sancti, qui in vita dilexerunt se, in morte non sunt separati; quique eodem obierunt momento, monumento

quoque

quoque eodem conditi (Diuina dispensatione) fuerunt. Claruit Paternus circa annum Domini 560.

Sur.tom.2.Baron. in Annal.to.7.

VII.

PAVLA Romana senior, sub mortem à D. Hieronymo interrogata, cur taceret? cur nollet respondere? an doleret aliquid? Græco sermone respondit: nihil se habere molestiæ; sed omnia quieta, & tranquilla prospicere. Post hæc obmutuit;& clausis oculis vsque ad expirationem,repetebat sæpius (ita tamen vt vix audiri posset) Domine dilexi decorem Domus tuæ, &: Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutũ; concupiscit,& deficit anima mea in atria Domini. Digitumq. ad os tenens, & Crucis signum in labiis pingens, feliciter obdormiuit in Domino, anno 404. *Ian. 26.*

Hieron.to.1.epist.27.ad Eustochium eius filiam. Sur.to.1. Lippom.to.1.lib.3.n.12.Vit.Patrum lib.1.c.25.

ANNOTATIO.

Testatur D. Hieronymus, ne vnum quidem nummum à PAVLA derelictum Eustochio filiæ, sed magnum æs alienum. Tanta siquidem fide, fœmina, nobilissimæ familiæ, magnis quondam opibus abundans, omnia dilargita fuit, vt ad ægestatem vltimam peruenerit.

VIII.

PAVLINVS Episcopus Nolanus ante triduum, quàm de hoc mundo ad cœleste habitaculum vocaretur, cum iam de salute eius omnes desperassent, & duo ad eum Episcopi (visitandi studio) conuenissent,ita in eorum aduentu est recreatus, vt omnem infirmitatem oblitus, totum eis exhiberet affectũ; & quasi ad Dominum profecturus,iussit sibi ante lectulũ suum Missæ sacrificium celebrari; vt (scilicet) vnà cum Sanctis Episcopis, oblato sacrificio, animam suam Domino commendaret. Deinde,extensis ad cœlum manibus, decantauit psalmũ 120. Leuaui oculos meos in montes &c. Postmodum commonitus à quodam presbytero, quod pro vestimentis, quæ Pauperibus erogari mandauerat, deberentur quadraginta solidi, *Iun.22.*

lidi,

lidi, subridens ait: Securus esto fili: Crede mihi, quia non de erit, qui debita pauperum soluat: & (non longa mora interposita) venit presbyter quidam à S. Exuperantio missus, qui eius nomine quinquaginta solidos, muneris gratia, detulit; ex quibus ipse Paulinus manu sua duos dedit dicto presbytero; reliquos autem negociatoribus, qui vestimenta pauperum dederant, reddi mandauit. Diei sequentis adueniente luce, quamuis laterum dolore grauatus, consuetudinem suã agnoscens, excitatis omnibus, Matutinum (ex more) celebrare voluit. Facta autem die, concionem de pace ad Clerum habuit. quibus peractis, tacitus vsque ad Vesperam perdurauit. Deinde quasi è somno excitatus [a] lucernariæ deuotionis tempus adesse cognoscens, extensis manibus (lenta licet voce) ait: Paraui lucernam Christo meo. Tunc facto silentio, circa quartam noctis horam, ingenti cellula concussa terræmotu, ita vt assistentes lectulo, exterriti, atque turbati, ad orationem se iactarent, nihil scientibus his qui pro foribus erant (priuatus enim in cella fuerat terræmotus) Angelicis susceptus manibus, euolauit in cœlum anno Domini 431.

Greg. Dial. lib. 3. cap. 11. Sur. to. 3.

ANNOTATIO.

Quanti PAVLINVM fecerit S. Augustinus, eius ad ipsum testantur scriptæ Epistolæ, nempè epist. 32. 34. 65. & 260. meminit eiusdem lib. 1. de Ciuitate cap. 10. & libro ad ipsum scripto De Cura agenda pro mortuis.

[a] Lucernariæ deuotionis tempus.

Hora scilicet prima noctis, qua consueuerant fideles ad Deum preces fundere, & psalmos canere. Testatur id Basilius *in reg. interrog. 37.* vbi hæc ait: Completo verò iam die, pro ijs omnibus, quæ in eo nobis data fuerunt, gratulatio succedet; eorumq. quæ vel prudenter, vel imprudenter prætermissa sunt, confessio: ac si cubi latens delictum aliquod admissum fuerit verbis, operibusve, aut etiam corde; pro his omnibus oratione adhibita, veniam nobis à Deo comprecabimur: siquidem ad similia peccata iterũ euitanda, valde vtilis est præteritorũ consideratio. Idcirco Dauid dicit: Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.

gimini. Tum autem primis se iam noctis intendentibus tenebris, sequetur petitio, vt quies, quam sumus capturi, ex omni perturbatione, ac vitio libera sit. Qua hora etiam necessariò nonagesimus recitari Psalmus debet (nempe, Qui habitat &c.)

Et ad Amphilochium *de Spiritu sancto c.29.*

Visum est (inquit) patribus nostris beneficium vespertini luminis non silenter suscipere, sed statim vt apparuit, gratias agere. At quinam fuerit pater illorum verborum LVCERNARIAE gratiarum actionis, dicere non possumus: populus tamen antiquam edit vocem: laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctũ Dei. Hæc Basilius, insinuans hæc nonnisi ex Apostolorum traditione ad Ecclesias esse perlata.

Ea de causa Epiphanius *in compend* Psalmos, qui ea prima noctis hora cani consueuerant, lucernales appellat, cum ait: Matutini etiam hymni in ipsa Sancta Ecclesia perpetuò fiunt, & orationes matutinæ & LVCERNALES simul Psalmi, & orationes.

De ijsdem etiam LVCERNARIIS precibus est mentio apud Clementem *Const. lib.8. c.40.* & Cassianum *lib.2.*

Chrysostomus pariter *in Ps.118.* LVCERNARIVM illud appellat officium, dicens: Ad solis occasum, quod etiam LVCERNARIVM appellamus, orandum scilicet: quia tum ob diei transitum, Deo gratias agimus.

Plura adhuc essent dicenda de alijs noctis horis, quibus fideles consueuerant ad preces Deo fundendas consurgere; sed hæc sufficiant ad nostram desidiam arguendam, & eorundem fidelium imitationem in nobis pro viribus excitandam. Habentur tamen hæc omnia vberius pertractata à Baronio *in Annal. tom. 1. anno Christi 52.*

I X.

PAVLVS primus Eremita migrationis suæ tempus adesse cognoscens, ad Antonium Abbatem, qui tunc ad eum visendum venerat, sic locutus est: Iam dormitionis tempus aduenit, & (quod semper cupiebam dissolui, & esse cum Christo) peracto cursu, superest mihi corona iustitiæ: tu missus es à Domino, qui humo corpusculum tegas, imò terram, terræ reddas. His auditis Antonius flere cœpit eumq. rogare ne se desereret, sed comitem talis itineris acciperet. Cui Paulus: Non debes (inquit) quæ tua sunt quærere, sed quæ aliena *Ian. 10.*

(nempe discipulorum institutionem, & vtilitatem) rogauit eũ deinde vt pergeret, nisi molestum sibi esset, & pallium quod ei Athanasius dederat, ad obuoluendum corpus illuc deferret; Non (vt ait S. Hieronymus) quod magnopere curaret, vtrum tectum putresceret cadauer, aut nudum; sed vt à se recedenti, mœror suæ mortis alleuiaretur. Nihil igitur ausus respondere Antonius, cum silentio lachrymans, exosculatis eius oculis, & manibus, ad Monasterium perrexit; rediensq. cum pallio (adhuc in itinere) vidit inter Angelorum cateruas, & inter Prophetarum & Apostolorum Choros, Paulum, candore fulgentem, in cœlum conscendere. Introgressus autem speluncam, vidit, genibus complicatis, erecta ceruice, extensisq. in altum manibus, corpus exanime. Obijt anno Christi 342. vel 344. ætatis 114.

Vit. Patrum lib. 1. Sur. to. 1. De eo Baron. in Annal. to. 3.

X.

Iun. 28. PAVLVS Iustinianus Camaldulensis, cum Romam venisset, vt locum in monte Soracte à Pontifice obtineret, dolore capitis, leuiculaq. febri correptus, ad ipsum se contulit montem, vt Romam (peste tunc laborantem) fugeret, & salubriorem experiretur aerem. Ibi autem breui temporis spatio ad mortis articulum senex deuenit; Cumq. itineris comes, Conuersus scilicet, Iacobus nomine, patria Eugubinus, in lachrymas prorumperet, dixit ei Paulus: Quid luges frater? Cui ille: lugeo (inquit) videns te morti propinquum, nec adesse, qui te exeuntem pijs verbis (vt fieri solet) consoletur: Modicæ fidei (infirmus ait) nunquid deerit nobis Deus? & si ille nobiscum est, alterius auxilio non egemus: Bono esto animo; non deerunt consolatores; aderunt, & adiutores tibi; cuncta Deo dimitte; disponat ipse, quod ei fuerit beneplacitũ. Vix vnius horæ spatio transacto, cellam ingreditur Maior Eremi Camaldulensis, alio Sacerdote comitatus, apud quem Paulus in magna semper veneratione fuerat. Hic autem Maior, dum Romam pergeret, dispensatione diuina, ad radices eiusdem montis transiens, & de quodam Eremita grauiter infirmo audiens,

diens, illuc diuertit. Valde ergo exhilaratus Paulus ex aspectu, & sermonibus amici, gratias Deo egit, quod illum miserit ad se exhortandum, & morientem, in fide confirmandum; & exclamans ait: Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. subdidit postea: Oro supplex, vt sicut lætatus sum in his, quæ modò dicta sunt mihi; ita cõcedere digneris Domine, animam Serui tui lætantem ire in domum suam supernam; eiusq. pedes stare faciat in atrijs cœlestis Hierusalem. Adesto iam mihi, ò bone Iesu, vnica spes mea; sola salus mea; cui soli vixi; cui vni morior: & suscipe in misericordia tua spiritum meum, quem in manus tuas commendo; quia tu redemisti me Domine Deus veritatis. Quibus dictis, requieuit in pace. anno Domini 1528.

Eremitica Hist. seu Romualdina, per Lucam Eremitam lib. 3. cap. 16.

X I.

PAVLVS Episcopus Leonensis in Britannia minori, cum per Angelum sibi apparentem, denunciatus ei fuisset vltimus vitæ suæ dies, discipulis congregatis eundem indicauit; & vbi sepeliri vellet, patefecit; in loco scilicet vbi Populus ad eius Reliquias venturus, maris violentiam non pateretur. Deinde vsque ad horam nouissimam eosdem lectione diuina instruere, & mysticæ intelligentiæ sententias docere non cessauit; noctibus (de more) orationibus incumbens. Adueniente autem exitus sui hora, astantibus fratribus dixit: Filioli mei, nouissima exitus mei hora appropinquat: Ecce quod amaui iam video; quodq. desideraui iam intueor; Regem Dominũ Christum, cui quod sum, debeo, iam contemplor. Vniuersis autem flentibus, post promissionem patrocinij sui, ait: Scitis quæ ostenderim vobis exempla vitæ; & quæ tradiderim dogmata cœlestis disciplinæ: Hæc facite, & Deus pacis erit vobiscum. His dictis; & diuinis postea munitus sacramentis, eleuata manu benedixit omnibus, dicens: Benedictio Dei Patris omnipotentis, Filij, & Spiritus sancti super vos descendat: Cumque respondissent omnes, Amen, in conspectu eorum, *Mart. 4.*

abſque vllo membrorum dolore, vitam centenariam cum æterna commutauit.

Vita eiuſdem in Biblioth. Floriacen.

XII.

Dec. 15. PAVLVS Monachus Anachoreta, decimo ante obitum, ſibi præcognitum, die, ſummo mane ad Lauram feſtinatò deſcendit (habitabat enim in monte latro, monachorum Sinaitarum illuſtri) ſignumq. cogendis monachis præmaturè dari iuſſit, & ſacram peragi Myſtagogiam. Qua abſoluta, duobus fratribus: Properate (ait) ad ſpeluncam, & Euangelij codicẽ mihi inde afferte; illuc enim amplius non aſcendam. Poſtmodum febri correptus, in lecto ſe collocauit; quod nunquam antea facere viſus erat. Orationem tamen, diuinorumq. pſalmorum cantum, nec ſic quidem intermiſit. Quando autem ſupremum ſibi diem adeſſe cognouit, accerſitos monachos amplexatus ſalutauit, & verbis vtilitate plenis admonuit. Succeſſorem deligere renuit, dicens: alij nulli, ſed Chriſti, ac Dei mei manibus vos relinquo: erit porrò & putre hoc corpus meum; ſed ſpiritu ſemper ero vobiſcum. Deinde ſingulis ad cellas ſuas dimiſſis, vni (qui ad lucernam excitandam ibi relictus fuerat) dixit: ceruical attolle. Quo facto, manus ipſe ſurſum attollens, leuiq. ſuſurro: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, pronuncians, ſanctiſſimam reddidit Deo animam. Anno ſal. 957.

M.S. Bibl. Vall. ex M.S. Græc. Biblioth. Sfortianæ, Baron. in Annal. to. 10. ex eod.

PAVLVS Maximus Vide in Philippo.

XIII.

PELAGIA B. Aredij Abbatis genitrix, cum vrgeretur febribus, & iam eſſet in tranſitu, rogauit filium dicens: Quæſo (fili dulciſſimè) ne me ante diem quartum ſepeliri permittas; vt venientes famuli, famulæue omnes videant corpuſculum meum; nec vllus fruſtretur ab exequijs meis, de his quos ſtudioſiſſimè enutriui. Et hæc dicens expirauit.

Greg. Turon. de Glor. Confeſſ. cap. 104.

ANNOTATIO.

Quarto die priusquā sepeliretur, tantus odor efflagrauit à corpore, vt omnes admirarentur. Nocte verò globus ignis magnus apparuit; qui ab Oriente consurgens, & per cœli circuitum currens, super Ecclesiam stetit, in qua corpus Defunctæ iacebat, & statim Energumeni multi exclamauerunt dicentes; quia Martinus venit ad transitum PELAGIÆ.

Succedente Dominica die postquam sepulta est, posuerunt cereū ad caput eius dicentes: Parum nobis est ceræ, & iam nox prolixior habetur; cum ad Matutinum consurgimus, accendatur cereus iste; & clauso ostio abierunt. Expleto autem somno, ingressi Basilicam inuenerunt cereum ardentem, quem extinctum reliquerant.

De S. Aredio meminit Idem Greg. hist. Franc. lib. 10. cap. 29. de gloria Confess. cap. 9. & de vit. Patr. cap. 17. In Martyrol. Adonis habetur S. Aredius 19. Aug.

XIV.

PELAGIA Virgo & Martyr Antiochena, ætatis annorum quindecim cum circundari vidisset eius domum à militibus, qui eam capere volebant, Præsidi præsentandam, rogauit eos paulisper expectare, quoad induta descenderet. Acquieuerunt illi, credentes facturam, quod promiserat. Sed illa stans, ad Orientem spectans (quemadmodum orare consueuerat) extensis manibus, & oculis erectis in cœlum, Deum precata est, ne ipsam traderet militibus; sed priusquam detenta esset, intacta ad Deum descenderet. Cum hæc dixisset, matris in gremio ornata capite, & nuptiali induta veste, tanquam non ad mortem, sed ad spōsum itura esset, è sublimi domus tecto, spontaneo præcipitio manus carnificis, & sententiam Principis (qui Lenonibus Christianas fœminas cōdemnabat) elusit. *Iun. 9.*

Baron. in Annal. tom. 3. ex S. Ambros. de Virginibus lib. 3. Menolog. Græcor. die seq.

ANNOTATIO.

Hanc laudat sæpè pro concione sanctus Io. Chrysostomus, & extant duæ, eo argumento ab ipso dictæ orationes; quas habet Lippom. tom. 7. & Sur. tom. 3. die 9. Iunij.

De eadem etiam PELAGIA est illustris memoria in actis sancti Luciani Mart. apud Sur. *tom.3.die 7.Ianuar.*

Anon. obit. Huius mater & sorores in eodem discrimine positæ, cum fugam arriperent, & Persecutoribus imminentibus, torrente fluuio excluderentur à fuga: Quid veremur? (inquit) Ecce aqua, quis nos baptizari prohibet? Excipiat nos aqua, quæ regenerare consueuit. Te igitur rerum conditor precamur Deus, ne exanimata spiritu corpora, vel vnda dispergat; ne mors separet funera, quarum vita non separauit affectus; sed sit vna constantia, vna mors, vna etiam sepultura. Hæc effatæ, & suspensæ paululum, succincto sinu (quo pudorem tegerent, nec gressum impedirent) consertis manibus, tanquam choros ducerent, in medium progrediuntur alueum. Videres piam Matrem stringentem nodo manus; gaudere de pignore; timere de casu, ne sibi filias vel fluctus auferret: Has tibi (inquit) hostias Christe immolo, Præsules Virginitatis, Duces Castitatis, Comites Passionis. Sicque defunctas non rapidi cursus fluminis volutarunt; non cadauera vnda nudauit, sed sancta mater (licet sensu carens) pietatis adhuc seruabat amplexum, & religiosum, quem strinxerat nodum, nec morte laxabat.

Harum meminisse visus est S.Augustinus *lib.1. de Ciuit.cap.26*, Vbi de Circuncellionibus suo tempore, cupiditate martyrij, mortem sibi consciscentibus agens, hæc de his ait.

Sed quædam (inquiunt) sanctæ fœminæ tempore persecutionis, vt insectatores suæ pudicitiæ deuitarent, in rapturum, atque necaturum se flumen proiecerunt; eoque modo defunctæ sunt; earumq. martyria in catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur. De his nihil temerè audeo iudicare, &c. Excusans eas, quod priuato Dei quodam consilio, sibi ipsis necem intulissent.

Scribit etiam S.Athanasius *in Apolog.* Quod nonnullæ Virgines Alexandrinæ, dum grassarentur in eas Arriani, sese in puteos præcipites egerint. Suntque alia complura de his exempla, admiranda quidem, sed non imitanda.

XV.

Octob. 8. PELAGIA altera Antiochena illustris mulier, cum vidisset pariter circundari domũ suam à militibus, eam ad Præsidem ducere volentibus, rogauit illos, vt paulisper expectarent, quoad induta descenderet. Acquieuerunt illi credentes facturam quod promiserat. Stans illa ad Orientem spectans, extensis manibus, & oculis erectis in cœlum, Deum precata

est,

est, ne ipsam traderet militibus; sed priusquam detenta esset, intacta ad cœlum ascenderet. Cumque hæc dixisset, honesta in veste induta, spiritum Domino tradidit.

Menolog. Græcorum 8. Idus Octobris.

ANNOTATIO.

Diuersa hæc à superiore Pelagia, pariter Antiochena; de qua idem Menologium Græcorum diuersa die. *Baron. not. Martyrol. 9. Iunij.*

Persianus. Vide infra in Philippo.

X V I.

PETRONILLA Virgo, cum venisset ad eam Flaccus Comes cum militibus, vt eam sibi vxorem acciperet, elusit illum dicens: Ad puellam inermem cum militibus armatis venisti? Si vxorem me habere vis, fac Matronas, Virginesq. honestas ad me post tres dies venire, vt cum ipsis veniam ad domum tuam. Trium dierum ergo accepto spatio, toto triduo cum Felicula Virgine collactanea, precibus, & ieiunijs fuit intenta: Tertia verò die Nicomedes Presbyter eam inuisens, diuina apud ipsam celebrauit mysteria; eamque sacrosancto Christi corpore, & sanguine refecit. Quo sumpto, mox Creatori suo beatum tradidit spiritum. *Maij 31.*

Martyrol. Rhabani apud Canisium Antiq. lect. tom. 6. Sur. in vit. SS. Nerei Achillei, &c. tom. 3. Ferrarius in Catal. Baron. in Annal. tom. 1.

X V I I.

PETRONILLA S. Lyduuinæ mater, cum iam senuisset, & in morbum incidisset, dolens se adolescentiæ tempus parum fructuosè exegisse, in hæc verba prorupit: En morior paupercula, quæ nihil boni fecerim cunctis diebus vitæ meæ. Sed si tu (filia mea) pro delictis meis velis intercedere, læta moriar. Respondit illa: forti animo esto, Mater mea; propè est Dominus, qui non despiciet contritum, & humiliatum cor tuum. Mea verò omnia, dolores, vlcera, plagas, tormenta, vigilias, precatiunculas, & exercitia libens tibi impertior. Ea

re mirificè exhilarata Petronilla, migrauit ad Dominum.

Sur.tom.2.14.Apr.in vita S.Lyduuinæ par.1.cap.6.Thom. de.Kemps in eiusdem vita. De S.LYDVVINA supra.

X V I I I.

PETRVS de Alcantara, Ord.Min. cum ad vltimum vitæ suæ terminum se peruenisse cognosceret; post monita fratribus data, incœpit Psalmum: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi; in domum Domini ibimus. Quo absoluto, genibus positis, orando occubuit.

In vita B.Tiresiæ cap.27.Vbi plura eadem B.Mater de hoc Viro Dei mirabilia refert.

X I X.

PETRVS Burghesius Ord.Iesuat. humilitate conspicuus, cum ad extrema peruenisset, genuflexus, sacrosancto Viatico se communiri voluit; & eo sumpto, abijt spiritus, corpore adhuc genuflexo remanente.

In vit.Io.Columb.cap.33. Morig.lib.2.cap.33.

X X.

PETRVS Belfredellus Florent. Ord.Iesuatorum, cum in infirmitate sua vltima, validã cum Dæmone pugnam sustinuisset, & vicisset; in extremo positus, surrexit; & genuflexus, manibusq. iunctis, in cœlum aspiciens, ait: En Dominus meus Iesus Christus venit ad me. Quibus verbis reddidit spiritum, corpore adhuc genuflexo, post abscessum, remanente.

In vit.B.Io.Columb.cap.22. Morig.lib.2.cap.20.

X X I.

Maij 19. PETRVS de Morono (dictus Cœlestinus V.) post Pontificatus abdicationem, in carcere positus Arcis Fumonis, cum die sancto Pentecostes Missam celebrasset, milites ad sui custodiam deputatos vocari fecit; eisque dissolutionem sui corporis, infra proximam Dominicam, imminere prædixit. Ab illa autem die grauissimè infirmari cœpit; & fecit sibi Sacramentum extremæ Vnctionis ministrari. Quo munitus Vir sanctus, super tabulam, absque culcitra, aut palea recubans (aliud enim, vbi quiesceret, non habebat) Psalmis, & orationibus se

munire

munire studuit; fratresque suos, vt eum in hoc iuuarent, secumque in eis assiduè vacarent, enixè rogauit (duo etenim fratres sibi dati fuerant, cum quibus in carcere diuinum ageret officium) cum igitur septem diebus ita perseuerasset, mortis horam sibi iam instare cognoscens, eisdem psallentibus, & ipso dicente Psalmum: Laudate Dominum in sanctis eius; completo versu: omnis spiritus laudet Dominum; ipso die sabbati, in flatu tenuissimo spiritum emisit ad laudandum cum sanctis Spiritibus, Dominum, anno sal. 1296.

Sur. tom. 3. ex Petro de Aliaco Card. vita eiusdem impressa Romæ 1445. Auctore Maffeo Vegio Laudensi. Habetur eadem in M.S. Bibl. Vall.

XXII.

PETRVS Chrisologus diem sui obitus prænoscens, statuit sibi Ciuitatem, & Ecclesiam illam, à qua ortum, & doctrinam sumpserat, suis cineribus perpetuò decorare. Vnde allatis secum quamplurimis donarijs aureis, & argenteis, forum Cornelij (Imolam scilicet) petijt. Vbi exceptus à suis summo honore, summaque lætitia, postero die, in templo eosdem conuocari fecit; ibique (sacris peractis) sermonem habuit; testamentum fecit (vasa nempè omnia, aurea, & argentea, diuo Cassiano, ad vsum sacrorum mysteriorum dicando, & populo pacem, ac venerationem eiusdem S. Cassiani relinquendo) Demum ad Sanctum cõuersus, ait: Pater Cassiane, quemadmodum viuentem in sinu tuo me educasti, ita morientem accipere, ne dedigneris; Deumque pro me exora. Quibus dictis, statim sanctissimus Vir genuflexus spiritum Deo reddidit, anno sal. 449. *Dec. 2.*

Sur. tom. 6. ex hist. Rauen. Rubei. Ferrarius in Catal. Baron. in Annal. tom. 6. Petr. in Catal. lib. 1. cap. 20. Habetur eius vit. M.S. in Bibl. Vall. ex antiquis scriptoribus à Tossin. collect.

XXIII.

PETRVS Cluniacensis (Venerabilis nuncupatus) adueniente Natiuitatis Dominicæ peruigilio, capitulum (de more) sanus, & incolumis ingressus; vbi eiusdem Natiuitatis pronuncia- *Dec. 25.*

nunciationem audiuit, humili deuotione toto corpore prostratus, tantæ festiuitatis nuncium adorauit; & post lectionem, ac defunctorum absolutionem, sermone sublimiter inchoato, Natiuitatis Dominicæ præconia celebrare cœpit. Sed in sermonis medio, oculis illius, lachrymarum flumine, præ deuotione non tàm madentibus, quàm inundantibus, morbo statim corripitur, & de ipso Capitulo, filiorum manibus, ad cubiculum deportatur; vbi tota die, & nocte sequenti custoditus; tandem illucescente aurora, ea nempè hora, qua Christus mundum ingressus esse creditur, mundo exiens, ad solemnitatem Dominici ortus, cum Angelicis spiritibus celebrandam, perrexit, anno Domini 1157.

Bibliotb. Cluniac. De eo pluribus Baron. in Annal. tom. 12.

XXIV

Nou. 2. PETRVS Dagninus S.Romualdi discipulus, primusq. eremi Camaldulensis Prior, cũ esset morti proximus, post exhortationem suis monachis factam, erigens se in genua, amplexatus est Crucem, deuotione maxima; & cùm semel, & iterum dixisset: Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, dulcedine maxima animæ, animam Deo reddidit 1061.

Silu. Raz. De vitis Camaldul. & Lucas eremita in eremitica hist. seu Romualdina lib. 1. cap. 9.

XXV.

Febr. 22. PETRVS Damianus (S.R.E.Cardinalis) febri correptus, horam sui exitus appropinquare cognoscens; ea nocte, quæ Cathedram S.Petri præcedit, extemplò, circunstantibus nocturnum officium peragere iussit; volens prius Apostolicæ solemnitati vota persoluere; & sic demum abire. Tota igitur peracta sinaxi, post modicum, Deo spiritum reddidit, anno sal. 1080.

Sur. tom. 7. ex hist. Hieron. Rub. lib. 5. Baron. in Annal. tom. 11. Constant. Caiet. initio operum D. Petri Damiani.

ANNOTATIO.

Ægrotauerat aliquando PETRVS vsque ad mortẽ: eius autem ægritudinis molestias; suamque in illa ferenda tolerantiam ipsemet

met enarrat, epistola ad Rodulphum, & Ariprandum Monachos data; cuius fragmentum ad infirmorum, ac morientium solamen hic recensere operæpretium duxi. sic igitur ait.

Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Orau eram planè quamsæpè, vt in me cœlestis disciplinæ vigor irrueret, & petulantem mei corporis insolentiam non leui languoris ægritudine castigaret. In quo me diuina clementia non despexit: sed vltra spem precibus annuens, non sine fœnore mea vota compleuit. Dedit enim mihi Pentecosten lugubrem, non Paschalem: & vt ita dixerim, contulit mihi Iubilæum, non Sacerdotaliũ tubarum clangoribus intonantem; sed suspirijs potius, ac gemitibus lachrymabiliter obrepentem. Dominico nimirum die febricitans, in lectulo decidi; septemq. transactis hebdomadibus, æquè Dominico die (qui nimirum quinquagesimus erat) Deo me resuscitante, surrexi: veruntamen lege dietæ (vt asserebant medici) per incuriam violata, vix tres, siue quatuor dies sub coloratæ sanitatis lenocinio mihi malè blanditi sunt; & ecce in recidiuam corruens, per viginti postmodum dies, eiusdem valetudinis laborare molestia non cessaui. Sic itaque post Iubilæum, non quietis, sed turbinis, impleta est quodammodo Septuagesima captiuitatis. Porrò autem dum me tantæ passionis ardor exureret, dum mixtũ flegmati sanguinem spuerem, dum tot certè imminentis obitus signa prætenderem, vt medici quoque circunstantes propemodum desperarent, hoc mihi dedit omnipotens Deus, vt in nullius querelę murmur excederem, sed cuncta libenter, & ex animo tolerarē.

Gratias (inquam) ago tibi, misericors Deus, qui cum dignatus fueris, sub peccatorum ruderibus meorum, ad supplicium rapi, dignatus es me paternæ seueritatis igne decoquere, & animæ meæ rubiginem, tanquam mallei cudentis, impactione purgare. Quamobrem non mea voluntas fiat, Domine, quæ praua semper est, & iniusta; tua potius, quæ cœli virtutibus, & hominibus est adoranda. Vre, seca, concide, omnesque vulnerum meorum sinus, ac latebras perscrutare; nihilque prorsus in me lateat putridum, quod curationis tuæ præteruolet ferramentum. Nec tamen, dum hos disciplinæ cœlestis ictus æquanimiter fero, meæ patientiæ (quod absit) ascribo. Tu nimirum (Domine) tu sic flagella tua, dum cædis attemperas, vt dum ad summum doloris, & angustiæ perferor (ita vt spasmum patiens, penè mox expirare compellor) illicò sentiam pondus intimi doloris imminui, & cædentis manum, dispensatione quadam, lenitate suspendi. Non ego itaque; sed tu clemen-

(clementissime) huius patientiæ auctor es, qui sub tanto modulamine flagella tua disponis. licet enim elegiacum quid, & lugubre, nimietate languoris aliquando depressus, effutire compellar, ardeo, morior, intercidor; hoc simplex corporis gemitus, non querulæ mentis est murmur. Vnum præterea te rogo, pijssime, vt modò vitæ meæ terminum ponas, nec me vlterius viuere in consuetæ ignauiæ tepore permittas. Quod si placet incomprehensibili tuæ maiestatis arbitrio, me in huius carnis ergastulo diutius protrahi, da mihi quæso, potiorem amoris tui vim, vel vberiorem compunctionis gratiam: aut certè cuiuslibet virtutis augmentum, quod hactenus non habuerim; alioquin numquam clementiæ tuæ placeat vt euadam, ni quantulacunque mihi virtutis gratia, quam necdum sum consecutus, accrescat &c.

Pergit narrare, diuinitùs recuperatam valetudinem, quæue in ea sibi contigerit, lectu quidem digna, pariter ac iucunda.

Petr. Dam. epist. 19. lib. 6.

XXVI.

PETRVS Fanensis, Eremita Camaldulensis, Romam veniens, cœpit grauiter infirmari; & cum morti iam appropinquasset, voce omninò priuatus obmutuit. Interim tamen vrgentissimis animi passionibus, ac dæmonum tentationibus cruciatus, passim gemitibus, atque suspirijs dolores intrinsecos manifestare cogebatur. Tandem cum iamiam spiritum exhalare vellet, ecce repentè os eius apertum est, & exclamans exultantis modo, ter hanc vocem repetitam emisit: Ego vici, Ego vici, Ego vici: Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur. Tunc sequentem versum suscipientes fratres, totum Canticum alternatim dicentes persoluerunt. Quo finito, fælix eius anima ad cœlos migrauit. anno 1534.

Eremitica Historia seu Romualdina lib. 4. c. 3.

XXVII.

PETRVS Fauerius Chartusianus, cum per iniunctam sibi obedientiam, in quadam Ciuitate maneret, contigit, eū graui infirmitate vexari; & (ordinatione Diuina) eodem tempore ad eum venire Hubertum Priorem; quem mox vt infirmus vidit, gauisus est gaudio magno valde, dixitq. ei: Pater mi, Tu me trades sepulturæ. Sciens autem finem suum adesse, Con-

fessione eidem facta, Vnctionem sacram cum Diuino viatico ab eo petijt, & accepit. Huberto verò, alia occasione, ab infirmo recedente; ecce Satan ante lectum eius statim adfuit, magnum volumen portans, in quo omnia peccata, quæ dictus infirmus cōmiserat, conscripta erant: qui ante faciem eius magna cum proteruia se ponens, eadem peccata illi procaciter cachinnando improperabat. Cum autem infirmus præ timore, & tremore horribilis Visionis, quid responderet, nesciret; nisi hoc tantummodo, quòd in Confessione facta, confideret Indulgentiam peccatorum se percepisse, magis, ac magis Satan eum nitebatur ad desperationem inclinare. Cœpit autē infirmus tremore pallescere, ac ferè in Barathrum iam cadebat desperationis, nisi suprema eum gratia, clementi oculo, respexisset. subitò namq. affuit Beatiss. Virgo Maria, in brachijs Puerum deferens; dictoq. infirmo cominus astans: frater mi (inquit) cur times? cur diffidis? Per istum enim Puerū speciosum omnia peccata tua sunt dimissa. Ad hæc verba Satan confusus, de loco illo turpiter est egressus; statimq. ab oculis infirmi Virgo gratiosa disparuit; & ipse inexplicabili lætitia, & exultatione cordis perfusus remansit: cumq. dictus Hubertus redijsset, eidem omnem Visionem narrauit. Demū post Matutinas horas noctis sequentis, cœpit solus (prout poterat) septem psalmos decantare: sed cum in dicendo nimium grauaretur, dictum Hubertum rogauit, vt se iuuaret. Cum igitur Litaniam communiter decantarent; & ad illum locum venissent, vbi dicitur: Omnes Sancti, orate pro nobis, subitò, post dictam postulationem, eleuans infirmus digitum dexteræ manus, cum cordis lætitia maxima, subiunxit, dicens: Omnes Sancti, qui modò hic estis, orate pro nobis. Quam postulationem crebrius cum feruore magno ingeminans, reddidit spiritum.

Spec. Exemplorum tit. Mariæ ex. 38. ex Collect. speculi.

XXVIII.

PETRVS de Fulgineo, de sui exitus die diuinitus edoctus, graui inde fuit languore correptus. Orationi autem feruētius

vacans,

vacans, non destitit (more solito) quotidiè Missam in Ecclesia S. Feliciani audire, & sacramenta Pœnitentiæ, atque Eucharistiæ suscipere. Tandem infirmitate grauiori detentus, in loco cõsueto (campanili scilicet eiusdem Ecclesiæ) super duros lapides iacens; noluit (exemplo S. Agathæ) consilijs acquiescere suadentium carnalem medicinam corpori exhibendam, sciens breui se migraturum. In vltima porrò nocte, qua migrauit ad Dominum, circa matutinas, transitus sui horam instare cognoscens, rogauit virum quendam, secum ibi commorantem, vt de Ecclesia lumen ad eum deferret; sed is cum renunciaret, se lampades extinctas inuenisse, denuò redire iussus, eas accensas reperijt. Orauerat enim magna fiducia Dominum, vt qui esset vera lux, aliquantulum sibi in illa hora concederet luminis; dixeratq. viro illi, vt ante Imaginem iret Gloriosæ Virginis, eiq. diceret, quod toties lampades suas ipse accenderat, & lumen ante ipsam posuerat, ideò placeret sibi aliquantulum luminis concedere. Viso igitur lumine, gratias egit: astantem dæmonem aspexit, & despexit, inquiens cum S. Martino: Quid astas cruenta Bestia? & accepta demum Crucifixi imagine; eaq. sæpius amplexatus, Deo animam reddidit. Anno salutis 1323.

M. S. Bibl. Vall. ex legenda eiusdem, edita à fratre Ioanne Gorini de S. Geminiano Ord. Præd. de mandato Episcopi Fulginatensis. Ferrarius in Catal.

XXIX.

PETRVS Gonzalez, seu Gonsaluus, Ordinis Prædicatorum, cùm post Quadragesimæ, & concionum labores, secũda die Paschatis, in Ciuitate Trudensi graui corriperetur febri, cupiens in proprio defungi Conuentu, à quo tunc aberat, iter arripuit, vt illuc pergeret; sed paululum progressus, vi morbi redire coactus est eò, vnde discesserat; & Diuina reuelatione, mortem sibi instare præcognoscens, exultans spiritu, ac vultu hilaris, Socio suo sui cordis lætitiam patefecit. Sacramentis Ecclesiæ muniri se statim voluit. Deinde hospiti suo dixit: En morior frater mi, & ad Dominũ propero meum; qui ob pau-

ca

ea seruitia multam vult mihi reddere mercedem, & honore me affici, quem non merui: Vide quàm bonum est, & quàm iucundum huiusmodi deseruire Domino: Qui insuper (in mei gratiam) pollicitus est in hanc respicere Ciuitatem, eamq; à flagellis, & malis plurimis, quæ mereretur, liberare; eritq; & ipse Protector tuus semper. Vale igitur, & dimitte quidquid incommodi, & molestiæ (meæ causa infirmitatis) perpessus es, firmiter sperans te à Deo munerandum: Pauper quidem Ego sum, & nihil temporale habeo, quod tibi relinquam: Sume tamen hoc cingulum, gratitudinis ergo, & serua illud, aliquando tibi profuturum. Quibus dictis, ad Deum conuersus, & orationi insistens, feliciter obdormiuit in Domino.

Ferdinand. in Chron. Ord. Prædic. t. lib. 1. cap. 25.

Leand. Albert. lib. 5. de Vir. Ill. Ord. Prad. vbi appellat eum Petrum Gonsalinum.

ANNOTATIO.

Plura habet Ferdinandus loc. cit. de eodem cingulo, in Ecclesia reposito cum alijs eiusdem Reliquijs.

Petrum hunc Nautæ præcipua colunt veneratione, appellantes eum S. Thelmum. Vide *Flos Sanctorum par. 1. Hispanicè, & Ribadener. April. 1.*

XXX.

PETRVS Hispanus, tertij Ordinis S. Francisci, seu de Pœnitentia, inuentus est Vrbini mortuus, genibus flexis, super vitis fasciculo, manibus eleuatis, quemadmodum orare consueuerat.

Chron. S. Franc. par. 3. lib. 1. cap. 32.

XXXI.

PETRVS de Molliano, Ord. Min. inappetentia grauatus & ad extrema perductus, lætus admodum mortem præstolabatur. Suscepturus autem sacrum Viaticum, ad Ecclesiam descendere voluit; vbi genuflexus, & magna cum deuotione, & lachrymis, facta generali Confessione; & absolutione à quatuor ibi præsentibus sacerdotibus simul, accepta, post longam orationem sanctissima Eucharistia se muniuit. Biduò *Iul. 25.*

demum

demum grauissimas à Dæmone, de fide tentationes sustinuit; & auditus est à circunstantibus respondere, & verbis, ac gestibus cum inimico pugnare; donec allato Missali, & lecta Passione Domini nostri secundum Matthæum, eadem pluribus in locis, dum legeretur, Dæmonem redarguendo, Victor in pace quieuit, anno Domini 1489.

Chron.S.Franc.par.3.lib.7.cap.13.Hist.Seraphic.lib.1.

XXXXII.

PETRVS Monachus, omnium virtutum honestate conspicuus, religionisq. exemplar erat, & speculum; conscientiā tamen (vltra quàm credi potest) timidam, scrupulosam, & pusillanimem habuit: & quanquam fortis corpore, complexione viuidus esset, & vix attingeret annum trigesimum; timor tamen iste (vt apparuit) vitam eius læsit. Vnde quadam die satis improuisè ægritudinem incidit; ex qua statim necesse fuit, vt decumberet. Cumque in infirmaria, vsu rationis perfectè vtens, patientia lenis, & deuotione solida feruidus iaceret, ex improuisó cœpit agonizare; & religiosis gestibus diem subitò clausit extremum. Creditum est autem, Diuina clementia, inopinata morte ereptum, ne haberet suis scrupulis intendendi spatium.

Io Nyder, fornicar. lib.2.cap.12.

XXXXIII.

PETRVS & Arnoldus Montepessulani, gemelli fratres, vno partu in lucem effusi; vno die ad studia discenda Lutetiā missi; vna hora in Prædicatorum Ordinem, ac Religionem ascripti; vna pariter die vita functi, pari humilitate, deuotione, & sanctitate vixerunt; virtutibusq. inter se certarunt. Petrus igitur ad extrema deductus, cum sacrosanctam Eucharistiam suscepisset, atque extrema Vnctione delibutus esset, ad Priorem, vnà cum fratribus astantem, conuersus: Quid sibi iuberet; Quòue sibi eundum esset iniungere postulauit. Cum verò Prior imperasset, vt ad Iesum Christum præstolantem (quem tunc in sacra perceperat hostia) rectà iret; Petrus vultu sereno respondit: Ità planè properauero, nec alium præter

Iesum,

Iesum, qui me vocauit quæsiuero. Quibus dictis, expirauit. Fratres autem ad Arnoldum iam animam agentem aduentarunt; & vnus illorum (nomine Vincentius) cæteris sanctior, multitudinem innumerabilem Angelorum, & inter eos Diuũ Dominicum aspexit; qui Arnoldi spiritum suscepit, & in cœlum deportauit anno Domini 1250.

Leand. de Vir. Illust. Ord. Prædic. lib. 5.

XXXIV.

PETRVS cognomento Pitantius, Monachus Cluniacensis, in monasterio Cauensi (Vir aliàs bonus, sed quodam nevulo auaritiæ infectus) cum iam ad exitum appropinquaret, eiusdem vitij Dæmonem sibi vidit assistere; quem cum quid illic quæreret, exprobrando inquireret, malignus spiritus respondit: Pro Tareno illo, quem habes, mihi hodie tradendus es. Tunc monachus aliorum bonorum operum suorum labore confisus, cum Dæmoni exprobraret, ac (pro simplicitate) eum percutere baculo niteretur, Dæmon abscessit, & non modico terrore monachum turbatum reliquit. fortè tunc senior quidam illum à longè, quasi cum alio loquentem, audiuit; & solum inueniens, cum quo fuisset loquutus, ab eo inquirere studuit. Cui omnia per ordinem enarrauit; veniamq. sui delicti postulans, vt id Abbati suggereret rogauit. Quod vt Pater (Petrus scilicet Cauensis) agnouit, corporali eum vindicta expiatum soluit (flagris nempè eum cedendo) & eo die mori iam liberum dimisit.

Sur. to. 2. 4. Mart. in Vita S. Petri Cauensis.

XXXV.

PETRVS de S. Seuerino in Piceno Ord. Min. virtute, & miraculis clarus, vltima infirmitate correptus, horam sui exitus agnoscens, ad Ecclesiam pergere voluit, vt ibi sacrosancto se communiret Viatico: quo percepto, post varias Dæmonũ superatas tentationes, victor ad coronam migrauit percipiendam. Cuius anima, in cœlum visa est conscendere à quodam Religioso viro, inde absente; qui propterea ad monasterium in monte properauit, inuenitq. eum ipsa eadem hora migrasse.

Corpus autem eius post mortem candidius, & pulchrius apparuit, quàm vnquam antea visum fuerit.

Chron. Ord. Min. par. 3. lib. 8. cap. 29.

XXXVI.

Ian. 17. PETRVS de Trauanda Ord. Min. nunquam in lecto quiescens, nec alibi adhærens, stando, somnum per duas horas capere consueuerat: Cumq. iam senex moneretur, vt illa saltem ætate quiesceret, respondit admonenti: Quando (fili) me videris in lecto extendere, tunc aperietur mihi sepulchrum; quia morti proximus ero. Adueniente igitur suæ vocationis tempore, in lecto se posuit: Quod videntes fratres, memores verborum eius, circa eum genuflexi, audierunt eius monita; & ipse, eadem die, susceptis omnibus Ecclesiæ Sacramentis, migrauit ad Dominum, anno 1492.

Chron. S. Franc. par. 3. lib. 7. c. 19.

XXXVII.

PETRVS Vellius Sinensis, Institor, B. Francisci Xauerij familiarissimus, de instante decessu diuinitus (quemadmodum sibi idem Xauerius promiserat) præmonitus, rebus domesticis compositis; req. familiari, magna ex parte, in pauperes diuisa, adhuc valens, vigensq. ad vltimum illud discrimen se comparare cœpit. Aderat igitur iam supremus vitæ dies, cũ ille, ad Ecclesiam profectus, Parochum rogauit, vt Missam pro se (quæ à Defunctis nomen habet) celebraret; Cui ipse (in mortuis iam se numerans) interesse voluit. Inde singulos conuenit amicos, eosq. valere iussit peregrè abiturus. Sciscitantibus, quò tandem iter intenderet, respondit: in cœlum. At illi iocari hominem, cæteroqui facetũ, ac lepidum, putabant; sed postquam ille omni asseueratione in cœlum ire se, perseuerabat, ægritudinem animi, & insaniam interpretati sunt. Petrus itaq. domum reuersus, sacramentis munitus, mortis præstolabatur aduentum: Quod amici percipientes, domum eius frequenter coeunt, eumq. à tristi (quam putabant) illa cogitatione abducere conantur. At ille, vultu gaudium præferens, satis ostendit nullam subesse animi ægritudinem, & simul

mul Xauerij prædictionem, eiusq. euentum ipsis lætabundus exponit. Demum de tota re edoctos, rogat vt amici eorum (mox obituri) funus eodem ipso die prosequantur. Atque ità prorsus euenit. Eum etenim repentina mors abstulit; eodẽq. die, funere elatum, amici ad templum sunt prosecuti.

Hist. Soc. Iesu lib. 12. n. 100. Tursellinus in Vita B. Franc. Xauerij lib. 5. c. 3.

ANNOTATIO.

De dicta Xauerij prædictione hæc ait Tursellinus loc. cit.

Machaum Emporium Sinarum sanè celebre delatus est (nempè Xauerius) ibi cum Puellam offendisset, cuius pudorem inopia prodebat, pecuniam corrogare cœpit, vnde ei dotem conficeret. Venit igitur ad PETRVM VELLIVM veterem familiarem, eundẽq. institorem satis pecuniosum. Offendit hominem latrunculis ludentem domi alienæ. Re breuiter exposita, aurum ab eo mutuum petijt, centuplicato fœnore reddendum in cœlo. Ille intempestiuo Xauerij interuentu nonnihil offensus, negare illud esse tempus accipiendi quod petebat, se domo sua abesse, vbi aurum haberet. Instare comiter Franciscus, mortali semper esse tẽpus rectè faciendi. Itaq. ille hac voce motus, clauem ei (vt erat domesticarum rerum satis gnarus) Arcæ nummariæ tradidit; auferre iubens quantum vellet. Xauerius trecentis nummis aureis, ex arca depromptis, PETRO reddidit clauem, quantum auri abstulisset renuncians. Tum ille: Errasti (inquit) Pater: tuusq. pudor mihi iniuriã fecit: Vt ique multòminus sumpsisti, quàm volebam. Namq. arcæ clauem tradens, dimidiam auri partem tradebam tibi. Inerant nummorum aureorum trigintamillia; hanc summam inter nos ex æquo diuisam oportuit. At tu quotam inde particulam tibi sumpsisti? Sensit Franciscus VELLIVM sincerè, & ex animo locutum; eaq. verba non comitatis esse magis quàm veritatis. Itaq. admirans: Macte Vir liberalitate esto, Velli inquit. Grata & accepta Deo est egregia voluntas tua, haud dubijs testata factis: proinde eius ego tibi verbis polliceor, nunquam Deum tibi defuturum. Insuper hoc daturum esse, vt supremum vitæ diem, ipso pronunciante, cognoscas. Nec Franciscum Deus, nec VELLIVM Franciscus fefellit. VELLIVS quippe ex eo alius Vir extitit, adeò se benignitati, pietatiq. addixit.

XXXVIII.

Ian. 2. PETRVS Vrsiolus Monachus, die quadam cum oraret Dominum, vt notum sibi faceret finem suum, sensit quasi iaculo se retrò percussum; & ex hoc eius extrema dignoscens, humiliter supplicauit Domino, vt ipsum seruare dignaretur credulum, fidelissimum, & attentum; statimq. febri leuissima correptus, conuocatis fratribus, exitum suum indicauit; eosq. singillatim in pace deosculatus, & ad patientiam, ac orationẽ adhortatus, Corpus & sanguinem D. N. Iesu Christi deuotissimè suscepit. Tunc vir nobilis Oliba, illius patriæ dominus, Sanctum videre desiderans, ad eum accessit; quo præscito Vir sanctus, super cathedra positus, eum humiliter ad se venientem, osculo pacis, recepit; Deumq. colere, ac mundum despicere, tanto spiritus feruore suasit, vt monachalem vitam ille elegerit. Petrus autem in hisce sermonibus perseuerans, tandem hora nona, qua Dominus expirauit, eiusdem verba proferens, nempè: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, spiritum Deo reddidit.

M.S.Bibl.Vall.ex M.S.Cod.sacr.Erem.Camald.Hist.Eremitica lib.1.cap.5.

ANNOTATIO.

Fuerat PETRVS Vrsiolus Venetiarum Dux, qui relicto Ducatu, per magnum delictum acquisito, cum Ioanne Grandenico eiusdẽ delicti socio, ad S. Romualdum confugiens, Monachi habitum susceperat.

XXXIX.

Dec. 1. PHILARETVS cum tempus suæ ad Christum migrationis sibi instare cognouisset, omnes sanguine coniunctos conuocauit, eosq. sic admonuit: Filioli, Hospitalitatis nolite obliuisci; Aegrotos, & in carcere detentos visitate; Viduarum & Orphanorum patrocinium suscipite; Res alienas nolite appetere; ab Ecclesiasticis Congregationibus abesse ne patiamini; & vt summatim dicam, vt me facere vidistis, ita & vos facere ne desinatis. His dictis, precibus ad Deum missis, in pace quieuit.

Menolog. Græcorum hac die.

AN-

ANNOTATIO.

Fuit hic PHILARETVS ſub Imperio Conſtantini, & Irenes, è regione Paphlagoniæ, probitate vitæ, & eleemoſynarum largitate inſignis; quippe qui plurima pauperibus diſtribuens, eò paupertatis deuenit, vt neceſſarius etiam victus illi defuerit; ſed benignus Deus illum inopia vexari non permiſit: eius enim Neptem (Mariam nomine) decoram, & ſpecioſam, Reginæ filio Conſtantino vxorem dari, diuinæ prouidentiæ diſpenſatio diſpoſuit; & illum ipſum, Conſulis dignitatem ornari; ac multarum pecuniarum Dominum fieri; quæ pariter pauperibus ipſis abundè ſuppeditabat. *Ibidem.*

X L.

PHILIPPVS Nerius Pater noſter optimus, noſtræq. Congregationis Oratorij fundator, cum per totum menſem Aprilis anni 1595. moleſtiſſima laboraſſet febri, Natali Apoſtolorum Philippi, & Iacobi (quibus peculiari deuotione erat addictus) eorum ope implorata, mirabiliter conualuit; è lectulo exilijt; rem ſacram, quam in ipſorum ſolemnitate facere concupierat, peregit; aſtanteſque ſacratiſſimo Chriſti corpore refecit. Quarto verò idus Maias (ad quem vſque diem ſacrum quotidiè facere perrexerat) nouo, ac repentino morbo oppreſſus, eam ſanguinis copiam de repentè euomere cœpit, vt pallente facie, expiranti ſimilis, & propè exanimis iaceret in lectulo. Cum igitur actum de illo iam affirmarent Medici, confeſtim à Cæſare Baronio (Federico Cardinali Borromæo præſente, & inſpectante) Oleo ſancto inunctus eſt. Mox cum paululum recuperaſſet virium, idem Federicus (Auguſtino Cardinali Cuſano, cæteriſque è Congregatione patribus, ac fratribus; & alijs quamplurimis aſtantibus) ſacroſanctum Viaticum ad eum detulit. Vix autem cubiculum erat ingreſſus, ſanctiſſimi Chriſti corpus in manibus geſtans, cum Philippus (viribus quamuis deſtitutus) maxima illicò voce, obortis lachrymis, clamare cœpit. Ecce amorem meum: Hic ille eſt, in quo me oblector: ſolum id eſt charum mihi. Præbe ergo, præbe mihi amorem meum; præbe mihi eum Maij 26.

quam celerrimè. Cumque Federicus: Domine non sum dignus (de more) pronunciaret, eadem Philippus verba, clarissima voce, manantibus præ dulcedine, ac dilecti desiderio, vbertim lachrymis, repetijt dicens: Qui tuo corpore pascar, dignus fui nunquam. Quæ quidem, & alia huiusmodi verba, ea spiritus vi proferebat, vt astantes omnes ad lachrymas, & admirationem excitaret. Cæterum, licet ea ipsa die sub vesperam ter, quaterue multum euomuerit sangninem, parumq. abfuerit, quin ex accedente tussi, & sanguinis ruentis impetu suffocaretur; neque adhibita medicamenta quidquam proficerent, biduò tamen post, cum prima luce misisset, qui varijs Religiosorum familijs, vt pro illo sacrum facerent, eleemosynas distribuerent, continuò manente vomitu (Medicis, alijsque omnibus miraculo attonitis) deperditas recepit vires; atque ex illo die, ad obitum vsque, optima ea semper vsus est valetudine, rem sacram quotidiè faciens, ac suorum confessiones (de more) audiens; vt iure meritòque videretur, ad aliquot annos spiritũ traducturus. Ipse tamen, breuem sui tabernaculi futuram depositionem (diuinitus prænoscens) eandem cuidam de recuperata valetudine lætanti, non obscurè significauit dicens: Et si ego præsentem morbum euasi, optimèq. habeo; erit tamen filiorum gaudium breue: Adest enim pugnæ finis; eritq. obitus meus eiusmodi, vt cum contigerit, vix aduertatur à quoquã; auditusq. vix credatur. Quem quidem eundem instantem sibi obitum diuersimodè suis prædixit Alumnis: vni tamen eorum apertius. Cum enim idibus Maij eum interrogasset, quot esset Mensis dies, illeque decimusquintus dixisset, decimo post die (inquit Philippus) qui erit 8. Kal. Iunias, ego moriar. Octauo igitur ipso Kal. Iunias (qui dies eo anno, & sacratissimo Christi corpori sacer, & eius vitæ postremus fuit) rem sacram, quasi præ gaudio canens, peregit; magnam eius diei partem in confessionibus audiendis consumpsit; multos ex Alumnis, suis ipse manibus, Eucharistia refecit; sanctorum historias, & præcipuè S. Bernardini Senensis vitam, ab vno ex ijsdẽ alumnis semel, &

ite-

iterum cum legeretur audiuit attētiſſimè; vnàq.cum eis diuinum recitauit Officium; ac poſt ſobriam cænam, plus ſolito lætus, & optimè valens, cubitum iuit. In lectulo cum eſſet, ſupremam ſibi horam adeſſe ſciens, aſtantibus dicere cœpit: En morimur omnes: tùm quota hora eſſet, rogitat; cumq. tertiā noctis eſſe didiciſſet, illicò ſecū ipſe: tertia hora eſt (inquit) huic ſi addantur binæ, quinta hora erit, ſi ternæ, ſexta. Demū aſtantes filios dimiſit, qui nihil omninò periculi ſuſpicantes, cubitum diſceſſerunt. Sub horam autem noctis ſextam (ſanguine iterum, ac pituita in fauces magno impetu confluentibus) cum accurriſſent omnes, & fruſtrà cuncta adhibuiſſent medicamenta, iam morti proximus, ſuper lectulum, vbi iacebat, quaſi eam ad pugnam prouocaturus, ſedentis inſtar, alleuauit ſeſe; ac tandiu in eo corporis ſitu manſit, donec ſpiritum exhalauit. Interea Cæſar Baronius cum eius animam (lachrymas precibus miſcens) Deo ſanctiſque (de more) cōmendaſſet, rogauit vt aſtātibus filijs, & cōmunis iacturam parentis inſolabiliter lugentibus benedictionem impertiret. Ille oculos confeſtim in cœlum tollens, aliquantulum orauit; ſupplicationeq. completa, aſtantes circunſpiciens, quaſi ſua eos benedictione muniret, nullam paſſus vel minimam membrorum diſtorſionem, nulloque edito moleſtiæ ſigno, placidiſſimè obdormiuit in Domino, intra horam noctis ſextam, quam ipſe prædixerat die 26. Maij, anno Domini 1595. ætatis ſuæ 80.

Gallonius in eius vita impreſſa Romæ. Baccius in eiuſdem vita, Romæ itidem nuper impreſſa.

ANNOTATIO.

Quod in ſacratiſſimi corporis Chriſti ſolēnitate, Sacerdotumq. peculiari feſto, pijſſimus Dominus Sacerdotem ſuum PHILIPPVM ad cœleſtia Regna vocarit, non vacare myſterio credendum eſt. Fuit etenim ille, vt quiuis alius (ætate noſtra) verus Dei Sacerdos; pius nempè; prudens; humilis; pudicus; ſobrius; caſtus; mitis; & quietus; ſed præcipuè diuiniſſimi Sacramenti, ſupraquàm dici poteſt, cupidiſſimus ſemper, & amantiſſimus; adeò vt ex eo

ſolum, quod vacuum calicem in manibus teneret, incredibili perfunderetur lætitia. Porrò ſacrum celebraturus, antequam ſacris ſe indueret veſtibus, id omni ſtudio ſibi curandum erat, vt ſpiritus vehementiam, & ardorem, quo aſſiduè æſtuabat, vtcunque comprimeret. Tanta verò in ſacro agendo, diuini ſpiritus abundantia replebatur: taleſque diuini amoris impetus ſuſtinebat, vt totus lachrymis conficeretur; ſingultus frequentiſsimos ederet; ac toto denique corpore contremiſcere, exilire, ac ſaltitare quodammodo videretur. Quo autem tempore ſalutarem attollebat hoſtiam, ita mens eius rapiebatur in Deum, vt non modò manus (ſublimè erectas) deponere non poſſet; ſed & toto corpore à terra eleuatus aliquando à circunſtantibus viſus fuerit; luceque admirabili circumfuſus. In ſacratiſsimo ſanguine Chriſti ebibendo; eiuſque ſanctiſsima carne deguſtanda, panis cœleſtis pinguedinem, & Regum delicias vtique deguſtare videbatur: labia etenim ille ſibi auidiſsimè lambebat; iterumque ac ſæpius ori calicem admouere obſeruabatur.

Hunc verò eximium in PHILIPPO Euchariſtiæ amorem, cæteræ comitatæ ſunt virtutes, quæ verum decent Sacerdotem.

Charitas ſiquidem in Deum, qua vulneratus, languebat iugiter, adeò vt de rebus diuinis (maximè autem de Domini noſtri Ieſu Chriſti paſsione, ac morte) loqui vix poſſet, quin lachrymæ ex oculis vberrimè fluerent; tantaque cor eius diuini amoris flamma æſtuabat, vt ipſius ardor in corpus etiam redundaret; illud ſenſibiliter inflammando, vt (confecta quamuis ætate, omnique propemodum natiuo calore deſtitutus) ad eam amoris flammam aliquo modo reſtinguendam, ipſa media hieme, mediaque nocte, pectus nudare, feneſtras aperire, alijſque huiuſmodi refrigerationibus indigeret.

Humilitas item, quam perpetuò quidem coluit, & amauit; quã amplexatus conſtanter tenuit ſemper: Qua ſæpius dignitates Eccleſiaſticas (Cardinalatus etiam ſemel & iterum) à diuerſis Pontificibus ſibi oblatas, conſtantiſsimè recuſauit: Qua ſibi ipſi viluit, omnique ſtudio curauit vilis ab omnibus reputari, non humilis prædicari: Qua denique ſe mortalium omnium infimum, & Dei ſeruum prorſus inutilem putauit ſemper, ac pronunciauit. Vnde rogatus poſtremo vitæ ſuæ tempore vt (S. Martini inſtar) Dominum in hanc ſententiam rogaret: Domine ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem: Abſit à me (reſpondit confeſtim) vt ita orem; non enim is ego ſum, qui mortalium ſaluti prodeſſe

me

me posse confidam. Alteri quoque dicenti sibi, sperare se eum è vita tunc minimè discessurum, cum adeò suis necessarius esset; ipse dolorem ex verbis istis se percipere ostendens: si putarem (inquit) me vobis necessarium esse, me perditum crederem; nihil enim prorsus valeo. Sic Sacerdos magnus coram Domino, paruulus in oculis suis voluit esse PHILIPPVS.

Pudicitia pariter & castitas (peculiaris ac propria Sacerdotum virtus) in eo fuit admirabilis; animæ etenim, & corporis virginalem integritatem ad extremum vsque spiritum, absque vlla labe, aut suspicione, intactam penitus, atque illibatam seruauit; eiusdemque virginitatis candor in ipsa etiam facie quodammodo enitere videbatur: quin & ad eum accedentes, castitatis, ac puritatis odorem ab ipso emanantem, sentire sibi videbantur; quemadmodum ille puritatis eundem odorem, & è diuerso immunditiæ fœtorem, in alijs sentiebat.

Tantus denique fuit in eo angelicæ huius virtutis amor, & studium, vt (nec ægrotus) vllam sui corporis partem passus fuerit à quoquam videri. Et (quod est mirabile dictu, credituque difficillimum, nisi plurium depositione testium firmaretur) cum defuncti iam corpus de more lauaretur, eiusdē manus (supra naturæ vires) moueri, easque corporis partes, quas indecorum ostendi viuo fuisset, occultare cœperunt; idque non semel tantū, sed quoties corpus moueri opus esset. Ac idipsum accidit prorsus, dum à Medicis dissecaretur: Vnde exclamare præ rei nouitatæ auditi sunt astantes: ò egregiam hominis puritatem! ò castitatem eximiam!

Plura quidem essent de tanti Viri in proximos eximia charitate recensenda, qua eorum saluti ardentissimè studuit semper, eorumque inopias subleuare curauit.

Plurima de cæteris eiusdem virtutibus, quibus vrbi, ac orbi mirificè illuxit; quibusue cognitis, ac per trecentos quinquaginta & amplius testes, omni exceptione maiores, ritè probatis fel. rec. Paulus V. P. O. M. eum in Beatorum ascripsit numerum, nostræq. (immò suæ) Congregationi, officium Ecclesiasticum solemni ritu celebrandi facultatem fecit, anno Domini 1615. quo pariter anno sacra Rituum Congregatio de eiusdem B. PHILIPPI sanctitate, virtutibus, ac miraculis apertè constare censuerat; ac demum sanctæ mem. Greg. XV. P. O. M. eundem in Sanctorum cætum cooptauit, anno Domini MDCXXII. die 12. Martij. Sed si virtutes omnes optimi Patris essent hìc commemorandæ, eius vitam hìc pariter describere opus esset; nec forsitan ociosè; in ea siquidem

dem vtramq. mortis præparationem, & benè moriendi doctrinam quam nosse cupimus; quamuè in Iustorum exemplis inquirimus, abundè satis contineri certissimum est. Quod verò ad institutum attinet, satius erit nonnullorum exitus recensere, qui in viam pacis, ac mandatorum Dei ab ipso directi, feliciter eiusdem viæ, ac vitæ perfecerunt iter, & requieuerunt in pace.

Inter cætera namque charitatis, & pietatis officia, quæ Pater optimus filijs à se institutis exhibere consueuerat, illa certè erant præcipua, quæ ijsdem ægrotantibus in agone positis ostendebat. Ægrotãtium siquidem curã perpetuò gessit, eosque singulis visendo diebus, omni ope, atque opera iuuabat: apud eos verò, qui in vltimo vitæ periculo constituti erant, pernoctare non grauabatur; illosque ad supremum illud certamen roborans, atque confirmans, de se nimium confidentes ad humilitatẽ inducebat; quos verò ad desperandum de Dei misericordia Dæmones vrgebant, hos ille ad spem diuinã, diuinamq. fiduciam mirificè erigebat. Eorundẽ igitur exempla, quæ fusius enarrantur in eius vita, à Gallonio, & nuper à Baccio (nostræ Congregationis Presbyteris) edita, hìc recensere, operæpretium duxi: prolixa quidem, & longiuscula forsan videri poterit narratio, sed non importuna, nec proculdubio, inutilis. Ex ea etenim nõ modo S. Patris, quę diximus, charitatis, & pietatis officia magis elucescent, sed & Dæmonis insidias, eiusq. mille nocendi artes, quibus ille in agone positos aggreditur, probè dignoscere, atq. euitare (Deo dante) poterimus, sunt autẽ hæc sequentia.

PERSIANVS Rosa Sacerdos, qui B. PHILIPPO à Confessionibus erat, cum à Dæmone sub mortem graui, ac diuturno certamine vehementer vrgeretur, in angustijs positus diuinum implorabat auxilium; illud Psal. 42. frequenter inclamans: Iudica me Deus, & discerne causam meam. Cumq. in hunc modum cum hoste decertaret, venit PHILIPPVS; quem vbi ille vidit, clamare continuò cœpit: Adiuua me S. PHILIPPE: est hic canis colore nigerrimus, qui me lacerare nititur; succurre quæso; succurre, quod potes, ne deuorer. Quibus verbis motus B. Pater, humi illicò procũbens, astantes omnes iubet secũ orare; quibus preces fundẽtibus, ille de repẽtè magna voce dicere cœpit: canis recedit; fugit canis; en stat in limine ostij. Tùm surgens ab oratione PHILIPPVS aquæ benedictæ aspersione Dæmonem ab eo etiam loco fugauit, magno cũ solatio moriẽtis, qui nullũ faciebat gratias agẽdi Deo, Beatoq. Patri modũ. Ea verò molestia, horribiliq. visu liberatus paulòpost (magna cũ animi trãquillitate) è vita migrauit, ann. Christi 1558.

GABRIEL

GABRIEL Tana Mutinensis, iuuenis vitæ integerrimæ) quem à mundi illecebris iam pridem PHILIPPVS ad pietatis studia traduxerat, & inter præcipuos habebat Alumnos) morbo correptus, vltimam vitæ horam valde formidans, ac viuere diutius cupiens, breui etiam conualescendi spem concepit inanem. Quas diaboli insidias præsentiens PHILIPPVS (vt qui de eius morte, diuina reuelatione cognouerat) petit ab eo, vt quidquid suæ incolumitatis esset, id omne suo committeret arbitrio. Paruitque alacriter Tana. Tùm PHILIPPVS, astantibus orare iussis, preces pro eo fundere aggressus est; eoque orante, tantum mox illum præsentis vitæ odiũ cœpit, vt mutato protinus consilio, diceret cum Apostolo: Cupio dissolui, & esse cum Christo; palamque profiteretur, nihil iam se magis cupere, quàm sui corporis dissolutionem. Vnde PHILIPPVM his verbis compellare cœpit: Ora Pater, vt in Paradisum quantocyus ingredi merear: Vitæ odium cœpi; vitaque mihi molesta valde est, ea causa, vt cum Deo sim. Astantesq. subinde respiciens, in has sæpè prorumpebat voces: Vita præsens (credite) mihi fastidio est, mori vellem, vt Deum meum contemplari possim assiduè; iterumq. PHILIPPVM appellans: ad hanc diem rogaui te Pater (dicebat) vt cum Deo ageres, vt saluti me restitueret, nunc rogo te vt (orationibus me tuis) ex ergastulo corporis liberes, atque absoluas.

Interea deficientibus in eo corporis viribus, die sequenti (qui fuit eius vitæ postremus) in id totum incubuit, vt se ad piè Christianèq. moriendum præpararet. Erant apud eum assiduè ex B. Patris schola quamplurimi, quibuscũ & ipse aderat Pater; qui tamdiu apud eum esse voluit, dum in vesperam inclinaret dies; quo tempore iterum dicere cœpit æger: In cœlum proficisci cupio Pater: hoc vnum ex omnibus mihi cordi est; cui cum respõderet PHILIPPVS: si Deo placeret, vt præsentem morbum diutius sustineres, nonne voluntatẽ eius cupiditati tuæ praeferres? Tùm Gabriel, & quid est hoc verbum? Iam dixi tibi sæpius, ex corporis vinculis in cœlum emigrare ardenter cupio; adeò totus Dei videndi adeo cupiditate vt nulla res me grauius afficiat, quàm hìc manere diutius, ergo precare Dominum, vt ante quintã noctis horam ad eum euolem. Tum PHILIPPVS: quod petisti consequeris; id tamen te monitum velim, Dæmonem multas tibi paraturum insidias, varijsque tentationibus (quas singillatim enumerauit) animi tui constantiam aggressurum; sed nulla in re (crede mihi) nocere tibi poterit, si memoria vel maximè retinebis, te voluntatem tuam dedisse Deo: caueas ne quidquam formides; Christus in te ipse vincet omnia. Quibus

dictis

dictis domum remigrat, sacrum pro eo facturus ; ægrum Io.Bapt. Saluiato,& Francisco Mariæ Taurusio commēdans,ac iubēs se(necessitate ingruēte) accersiri. Vix hora abierat, cum Gabrieli comparanti se ad quàmreligiosissimè decedendū eam obijcit mentem Diabolus, vt cogitare cęperit se iustum esse, nulloq. pacto sibi de æterna felicitate ambigendum : cumque ij qui assidebant Litanias pro eo recitarēt, ad illam precē : A mala morte libera eū Domine, subrisit ille, caputq. agitans aliquantulū, secum ipse dicere cępit. Is, in cuius cordeChristus inhabitat, liber est à malæ mortis periculo : Sed statim Dæmonis insidias agnoscens, eam cogitationē à se reijcere omni studio contendit, clamans, dicensq. Quæ est hæc suggestio diabolica, quæ me inuasit? vestris quæso fratres orationibus me adiuuate. Eius autem virtute victus infestissimus hostis, aliud pugnæ genus excogitauit: eū etenim impedire conatus est, ne sanctissimū Iesu nomen pronunciare posset. Rogarat siquidē ille amicos, vt(supremis appropinquanti) id nomen in memoriam redigerent, quod inuocare summoperè cupiebat. Quamobrem clamare cępit, ac dicere : Eia fratres, opem ferte, pronūciare nequeo prorsus, succurrite : cumq. rogaretur quid esset, quod proferre non posset, an ne sanctissimū Iesu nomen? annuit illicò dicens, quid hoc rei est, quod Iesum inuocare nequeam ? atqui ex his summa vis Dæmonis dignoscebatur ; quandoquidē cum idem nomen clara voce frequenter repeteret, videbatur nihilominus sibi illud exprimere neutiquam posse: astantibus qui monebant, vt quod ore dicere nequiret, corde tacitus proferret, in hæc verba respondit: Graue iam mihi videtur, fratres sanctissimū Iesu nomen appellare, quinimmò eò redactus esse miseriarum mihi videor, vt eius ne sonum quidem sustinere possim. In hac igitur tam acri pugna, cum aliquantulū vehementer anxius perstitisset, nec quidquā astantes precibus, vel cohortationibus proficerent, reuocatus tandē Pater continuò accurrit; cuius aspectu ęger mirificè recreatus, sæpius(tātiViri hortationibus) vnà cum eo sanctissimum Iesu nomen expedita lingua inclamauit : Mi Iesu(inquiens) mi amor; mi sponse. Quibus dictis mox secum ipse, ac cum amicis querebatur de tam graui certamine, quod integram circiter horā sustinuerat. Cumq. lætus sic esset, cępit iterū non multo post clamare : Eia Pater, filio succurre tuo; eadem, qua ante teneor difficultate sanctissimū Iesu nomen pronunciandi. Hæc cum ille dixisset, PHILIPPO pro illo precibus insistente, mox ea liberatus molestia, Iesū libera voce, magnoq. sensu Crucifixi imaginem intuitus, identidem appellabat. Interim cum quieto iam animo esset, ecce rursum Satan, longè diuerso, ac peri-

culosiori certamine acrius eum inuadit, adeò vehementer Infidelitatis cogitationẽ obijciens animo, vt de Christianæ Religionis veritate iam prorsus ambigeret. Nouas igitur Diaboli fraudes PHILIPPO aperit; cui ille: Contemne fili, contemne diabolicas hasce machinationes: Dic, Credo, Credo: quæ verba; quanquã vnà cum B. Patre repetebat crebrius, tamen cũ ipse sibi videretur in his, quę ad fidem spectant, suspenso animo esse: Affer tu itaque Pater (iterũ clamat) afflictissimo opem, ne peream. His verbis cõmotus PHILIPPVS, circunstantibus primò, deinde ægroto iniunxit, vt Symbolum Apstolorum clara voce pronunciaret; idque si ore præstare non posset, corde saltem vnà cum alijs recitare conaretur. Tum in preces sese dante, extemplò omnis illa diabolica tentatio euanescere cœpit, maximo cum solatio morientis; qui paulisper respirans, Satanicis illis laqueis absolutus, Dæmoni (recepto animo) his verbis insultat: Te inuito credam; te nolente credam: velis, nolis credam; Deo meo, repugnante te, quoad vixero fidelis ero assiduè. Id iniquius ferens Diabolus, etsi sæpè victus, tertiò in eum insurgit, maiorem actus in rabiem; tetrasq. ac fœdas horribilium canum formas illi obijciẽs, de statu mentis eum deturbare; omniq. conatu in desperationem inducere contendit. Erat itaque iuuenis graui pressus molestia, totusq. præ horrore contremiscebat; terribilibus oculis cuncta mirabundus circumspiciebat, dicebatq. secum ipse; Heu, Heu, quàm infelix es Gabriel? Heu quot commisisti flagitia? ò me miserum! pelle Pater hos canes nigerrimos, qui me circunstant; si me Pater amas, hos Dæmones fuga; pelle eos. Cuius necessitati occurrens PHILIPPVS, confirmat timentem; excitat fidem; commemorat diuinam misericordiam; ad eam confugiat hortatur; Christum pro eo passum monet; rogatq. vt vnà cum sponsa in foramina petræ, inque cauernã maceriæ sese recipiat; victoriam pollicetur. Tùm genibus humi positis nefarios spiritus increpauit dicens: iubeo vos Christi nomine omnes abscedere. Ad eã vocem, monstrorũ turba (veluti profligata) illicò aufugit, iuuenem relinquens lætitia gestientem, exclamantemq. Eia fratres, gaudeamus; effugiunt canes; PHILIPPVS eos pepulit: Videte eos, videte (locũ digito ostendens) fugã arripuerũt, fugiuntq. velocissimè. ergo vicimus: fugistis tandẽ miseri, fugistis; vobis inuitis libet iã millies Iesum inuocare. Atque in hunc modũ spiritu exultãs, versus ad sanctã Crucifixi imaginẽ, eo animi ardore orauit, vt nemo ex ijs, qui aderãt, lachrymas continere potuerit. Cernere erat eũ totũ esse in agendis gratijs, cõmemorandoq. quod à Deo acceperat beneficiũ; atque inter hæc dicentẽ: Mi Iesu dulcissime; mi amor; mi creator;

mi

mi redêptor, quis enumerare poterit vnquã, quę à te acceperim beneficia? Tũ ad amicos cõuerſus: ò quę fratres hiſce ego vidi oculis! Monentē rogo audiatis: Deo O.M. Vos totos tradere nę grauemini. Poſtulata deinde Crucifixi imagine, in ea religioſiſſimè exoſculanda has iterabat voces: Dominus meus Ieſus Chriſtus perpetuò viuat: quis erit (dulciſſime Ieſu) qui me à charitate tua ſeparari poſſit? Deinde ira in Dęmonē commotus, eiuſdē imbecillitati pluribus inſultauit; ſed cũ videret B. Pater, eũ in his plus nimio defatigari, ſuſpicatus ne exitũ ſibi ipſe his motibus accelleraret: Iam ſatis (inquit) eſt fili; mendacē, impiumq. Dæmonem miſſum facias velim; totã ſpem tuam in Deo, inq. ſanguine eius pretioſiſsimo, quē pro te fudit colloces, moneo; ipſe enim tibi victoriam largitus eſt: Is ipſe in te, ac pro te Dæmonē vicit iniquiſsimum. Quibus verbis auditis Gabriel pauliſper interim acquieuit. Interea aſtantes credere cœperunt eum ad ſequentem vſque diem vitam producturũ, vtpotè qui expedita lingua loqueretur, & viribus valens appareret. Idq. cum à Medico quoque ad PHILIPPVM deferretur: haud ita erit (reſpondit ille) vbi ſitum mutabit, illicò morietur: nec in caſſum verba; ſiquidem vix medietas horæ abierat, cum ille ſe ad eam partem componens, vbi PHILIPPVS erat, Chriſti nomen, eius opera inclamans, in manu Ieſu ſpiritum exhalauit. anno 1558.

Simile ferè contigit SEBASTIANO cuidam ex ſpiritualibus PHILIPPI filijs; qui cum in morbum incidiſſet, vitæ fine iam inſtante, à communi humani generis hoſte grauiſſimis cœpit tentationibus impeti. Diabolus enim vt hominem in deſperationem induceret, aſpectu illi ſeſe terribilem ad videndum obiecit; cuius horibili viſu perterritus æger, magnis vndique afflictationibus oppreſſus in graue incidit animæ diſcrimen; de ſalute propemodum deſperans; & ſe æternis pœnis addictum pronuncians. Ad Parochum igitur deſcenditur, qui rectà ad ægrum contendens, nihil prorſus effecit: namq. vbi eum ille vidit, mox perinde ac ſi dirum aliquod vidiſſet monſtrum, obuerſus in aliam partem, ab eo refugit clamitans: nullam ſe (quod à Deo derelictus erat) ſalutis ſpē habere. Interim accerſitur PHILIPPVS, qui cubiculum ingreſſus, bis repetito: Quid hic rei eſt? Sebaſtianum manu leniter apprehendit; quo attactu illud confeſtim factum eſt, vt æger à ſumma deſperatione, atque triſtitia, ad magnam animi tranquillitatem (cunctis qui aderant admirantibus) traductus, alta voce dicere cœperit: PHILIPPVS Pater Dæmones fugat, &: abeunt Dæmones à PHILIPPO fugati: ò magnam PHILIPPI vim! Viuat Chriſtus; Viuat PHILIPPVS; cuius ope ab Inferni faucibus ereptus ſum.

sum. Lætitia ergò perfusus quammaxima, diuinas laudes concinere non desistebat; cantiunculam illam præsertim sæpius repetens. Iesu, Iesu, Iesu, inuocet quisque Iesum; cumq. frequenter dulcissimum hoc nomen inuocaret, in hæc tandem verba prorupit: En fratres, Angelorum aspectu fruor; Angelos intueor, qui me vt in cœlum perducant adsunt. & paulò post: Ecce Archangeli, Ecce Throni, Ecce Dominationes, ac reliquos aliorum ordinum Hierarchiaruinq. enumerans; & hæc cum diceret, exultans, diuinasq. laudes concinens; paulò post animam inter manus B. Patris reddidit Deo 4. Kal. Octobris, ipso S. Michaelis Archangeli peruigilio 1561.

Alios item commemorant Baccius, & idem Gallonius ibidem, quos B. Pater è desperationis Barathro, & Dæmonum insidijs sub mortem eripuit: quos etiam (Dei spiritu actus) ex insperato, in eodem mortis articulo inuisit, ac iuuit: sequentes præcipuè, cæteris omissis nempè.

Cum quodam die anni 1563. PHILIPPVS ad Xenodochiũ sancti Spiritus veniret, fusis precibus ante aram sacrosanctæ Eucharistiæ: in Vulneratorum Valetudinarium, repetè, diuino agitatus spiritu, digreditur, conuersusq. ad suos: Huc (inquit) vocat nos Deus; huc diuinitus impelli me sentio: & hæc dicens, confestim rectà ad vnius lectulum, qui animam agebat, aduolat; eumq. non viribus modò destitutum, sed voce etiam defectum (labente propè spiritu) offendit. Hunc ergo inclamans, id mirabiliter effecit, vt moribundum (stupentibus, qui aderant) ad loquendum primum; deinde ad Confessionem peragendam; tùm ad sacrum Viaticum recipiendum; & demum ad Vitæ cursum sanctè, pièq. conficiendum perduxerit. *Anon. obit.*

Mulier primaria in Vrbe, ad vltimum (summa vi morbi) adducta venerat. Hanc PHILIPPVS visit; fusisq. pro illa precibus, mox, vt alium ægrotum inuiseret, abijt. Inter eumdum autem, ita secũ ipse eloqui cœpit: Heu miseram illam! Heu miseram! quàm indiget auxilio! Inter hæc aliquantulum progressus: Atqui (inquit) illi omninò subueniendum est; ac ijs, qui secum erant: reuertamur (ait) ad moribundam. Mirantibus illis, & de mutato consilio sciscitantibus: Ad eam (inquit) diuinitus euocari me sentio: Diutius si vixerit, cum graui periculo fiet. Demum reuersus, ac iterũ cubiculum ingressus, eam egregiè adhuc robustam, & ad alterum saltem diem spiritum omninò traducturam reperit. Astantibus nihilominus recedere iussis (præter suos, ac fœminas nonnullas, *Anon. Obit.*

quæ

quæ rei exitum expectantes in proximum cubiculi angulum concesserant) ad ægram propius accedens, in eius faciem semel, atque iterum exsufflat; tùm preces pro ea ad Deum fundens; ipsamq. sermone de rebus diuinis perbreui confirmans; oculis in eam defixis, in hæc tandem verba prorupit dicens: Iubeo te anima, Dei nomine, ex hoc corpore excedere. Quibus dictis extemplò mulier (cunctis, qui aderāt stupentibus factumq. initio non credentibus) spiritum efflauit. Sic B. Viri imperio non minus iussæ abire, quàm reuocatæ ad corpus animæ parebant; & qui pluribus præsentem vitam oratione producere consueuerat, nouo commiserationis genere, huic temporariā mortem accelerauit, ne incurreret æternam.

Sed maximè omnium est admirabile, nec vllatenus prætereundum, quod in Pauli Maximi suscitatione contigit.

PAVLVS siquidē Maximus ętatis annorū quatuordecim, diutino plusquam duorū mensiū languore correptus; sacramentis ritè munitus obijt: cumq. accersitus (dum ille animā ageret) PHILIPPVS, qui eius morti velle se interesse dixerat, non ita subitò (sacro, quod interim faciebat, impeditus) ad eum venire potuisset, inuenit eum iam vita functum; cunctaq. ad funus necessaria iam parata. Vrget nihilominus PHILIPPVS, vt in cubiculum, in quo puer lectulo iacebat compositus, inducatur. Ingressus procumbit humi; orat breui; aqua sancta mortuum respergit; in eius faciem exsufflat. tùm manu fronti imposita, bis nominatim eum inclamat. Mira res! ad eius vocem reuocatur ad vitam PAVLVS, ac diutius inter se collato sermone, cum is iterum confiteri se velle diceret, confitentem PHILIPPVS audit: Quærit ab eo subindè, malitne viuere an mori; cumq. se libentius mori annuisset, benedictione impertita; Vade (inquit) felix; ora Deum pro me. & statim veluti potestate facta moriendi, iterum in eiusdem PHILIPPI complexu efflauit animam. Anno Christi 1583. die 16. Martij.

Plurimorum quoque absens Pius pater nouit diuinitus necessitates morientium; quibus si ipse, alijs præpeditus negocijs, eo tēpore succurrere non valebat, per suos statim subuenire mira solicitudine curabat. Quorum plura ex eius Vita, & ex dictis depositionibus testium recensentur exempla; sed hoc præcipuè notatu dignissimum, quod contigit anno Domini 1559.

Venerat Cæsar Baronius (de more) ad B. Patrem, vt confiteretur peccata sua quadam die Dominica; qui iussus est ab eodem Patre properare statim, nulla interposita mora, ad Xenodochium sancti Spiritus; cumq. responderet Baronius, horam ægris mini-

strandi

ſtrandi iam abijſſe; quin & capiendæ, tunc quietis tempus eſſe, ſubiecit mox PHILIPPVS: properè quod mandaui facias; percontari deſinas; nihil aliud dicas. Paruit mox ille, ne minimo quidē ſpatio temporis interiecto; inq. Noſocomium ingreſſus, ſecum ipſe animo agitans, non ſine cauſa eò ſe à PHILIPPO miſſum eſſe, circumſpicere cœpit, ſi quem cerneret ſua ope indigentem; eiq. ſeſe obijcit æger, extremum agens ſpiritum; candela (de more) ad eius caput accenſa: quamobrem arbitratus illum ipſum eſſe, ad quem mitteretur, ad lectulum accedit; ægrotum vitali ſpiritu penè defectum offendit; quærit ab eo peregerit ne peccatorum Confeſſionem; ſacramue Euchariſtiam ſuſceperit; cui cum ille intermortuis vocibus, ſine eiuſmodi ſacramentorū perceptione ſe mori reſpondiſſet; aduolat illicò Baronius ad Sacerdotem, qui accedens ad morientem, confeſſionem eius audit; ſacrum viaticū ei tribuit; eoq. ſuſcepto Vir ille (aſtante ſemper Baronio ſtupore attonito) expirauit. Venerat quippe pridie eius diei ad Noſocomium intempeſtiuè æger (à prandio ſcilicet) & in lectulo collocatus fuerat à miniſtris, confeſsione nondum expurgatus; eo quod tempore incōgruo acceſſerat. Interea eius rei oblitis miniſtris, ægrotus adeò morbo improuiſo opprimitur, vt repentè ad vltimum venerit vitæ articulum: id vbi comperit Sacerdos, ad eum accurrens, & viribus, ac loquela deſtitutum reperiens, animamq. iam agentem, ſacro tantummodo inunxerat oleo, cæteris ſacramentis non adminiſtratis; quorum etiam beneficio caruiſſet, ni Baronius PHILIPPO, de eiuſmodi neceſsitate diuinitus admonito, paruiſſet.

Simile huic accidit Franciſco Mariæ Tauruſio, cum ita PHILIPPVS ex improuiſo eum ad viſendam mulierem quamdam miſiſſet, quam in Noſocomio S. Iacobi Inſanabilium dedicauerat ægrotantium mulierum obſequio. Inuenit enim eam (etſi paucis ante diebus optimè valeret) tùm repentino morbo oppreſſam, iam cum morte luctantem; omnibusq. iam ſenſibus deſtitutam, ſpiritum efflantem; quem fœminæ ſtatum, diuinitus, nullo ſignificante, præſenſerat optimus Pater.

Hoc ipſum etiam de Duce quodam militū, eodem prorſus modo, idem Franciſcus Maria ſibi eueniſſe, narrauit.

Nec prætereundum (cæteris omiſsis) quod habetur de Nicolao Lilio noſtræ Congregationis Oratorij presbytero, qui dum ſupremis appropinquaret, & ab aduerſario varijs modis impugnaretur, adeòut ſtrepitus etiam quaſi tonitrui, ſeu lapidum prægrandium, qui ſuper Triclinij fornicem traherentur, à pluribus è Patribus au-

diti fuerint (erat quippe is locus cubiculo proximus vbi æger iacebat) S. PHILIPPVS, qui tunc in Sacello quodam, eidem cubiculo pariter proximo, Diuina peragebat,& pro ægro tunc precibus insistebat, aduocatis ministris, vni eorum, qui primus accessit, Petro scilicet Consolino, pergere iussit ad Nicolaum quantocyus, vt quid de eo esset certò sciret. Aduolat confestim Petrus,& moribundum Sacerdotem iunctis manibus, hilari, serenoq. vultu dicentem reperit: Gratias agamus Domino Deo nostro; accessit; recessit; victus est. Diabolus nempe, cum quo dimicauerat; & à cuius furore, & minis, PHILIPPI opera, liberatus fuerat. Meritò quidem vir obediens loquebatur Victoriam: sancto etenim Patri obedientiæ cultor ita obtemperauit semper, vt nemo magis; adeòut alter videretur Dositheus nouo Dorotheo factus obediens vsque ad mortem. Testantur id omnes, qui eum nouerunt. Affirmant nostræ Congregationis presbyteri adhuc superstites, qui simul cum eo sub eiusdem Patris regimine vitam ducentes, miratos certè se esse aiunt, in Deum pietatem; charitatem in proximos; humilitatem, suiq. ipsius despicientiam; orationis assiduitatem; laborum indefessam tolerantiã; cæterasq. huiusmodi Christiani hominis virtutes, quibus apprimè erat excultus; sed miris extollunt laudibus, atque præconijs, in tanto viro propriæ voluntatis perfectam abnegationem, omnibusq. absolutam numeris obedientiam; cuius argumenti plura quoque memorant eiusdem præclara facinora; & illud præcipuè, quod in hac eadem postrema infirmitate contigit, nempe quando sacrum de more suscepturus erat Viaticum. Ad eius enim aspectum cœpit pius sacerdos in hunc modum orare: Domine Iesu Christe fili Dei viui, qui pro me nasci, & mori dignatus es, Gratias tibi ago, & mox à B. PHILIPPO tacere iussus, feruorem illicò compescens & verba, conceptum sermonem tenere voluit, ac valuit. Qui tandem Ecclesiasticis munitus sacramentis maxima cum significatione pietatis obdormiuit in Domino. anno salutis 1591. die 14. Iunij. Cum verò noctu cadauer illius in Ecclesia seruaretur, suo tempore sepeliendum, visus est idẽ S. Pater, semotis arbitris, per rimulas tamen ostij obseruatus, illud circumire cum iubilo; eius faciem, & aures contrectare sæpius; aliaq. consuetæ familiaritatis, ac beneuolentiæ signa, ac si viueret iterare. Qui etiam eiusdem Nicolai puluinar, super quo decubuerat, & occubuerat, reliquiarum loco ducens, pia deuotione apud se recondere, atque seruare voluit.

Hæc de Nicolao nostro commemorare, ac S. PHILIPPI narrationi,

tioni, tanquam Coronidem attexere, libuit: Gloria etenim Patris est filius sapiens.

X L I.

PIVS V. Pont. Max. dum infirmitate vltima premeretur, doloribusq. maximis angeretur, suspiria quædam, in Christi de Cruce pendentis imaginem effundens, identidem dicebat: Domine adauge dolorem, dum adaugeas & patientiam. Septem Psalmos pœnitentiales prælegi sibi mandauit, legenti præcipiens, id faceret alta voce, ad singulos versus paululum subsistens, quò melius ipse posset Diuinos illos sensus meditando degustare. Itidemq. sibi sæpius Euangelicam Dominicæ Passionis historiam legi iussit; & vbi sanctum Iesu nomen audiret, ob reuerentiam, pileolo manum intendebat. *Maij 1.*

Quarto ante obitum die, rem diuinā facere, atque ita sese Diuinis præsidijs magis communire concupiuit; sed viribus destitutus, cum id non posset, interfuit sacrificanti; & cœlestē Eucharistiæ cibum summa pietate suscepit. Pridie autem quam obiret, sacram (quam sæpius efflagitauerat) sibi Vnctionem adhiberi iussit. Quinquaginta dies, & amplius acerbissimos dolores, toleranter passus, citra vllam seu vultus, seu animi perturbationem, identidem in genua procumbens, supplex Deum, tùm pro se, tùm pro Sancta eius Ecclesia enixè deprecabatur; ac de morte verba faciebat, quam sub ipsum ægrotationis initium imminere sibi præsenserat. Demū paulò antequam efflaret animam, intimam laneam subuculā, quam cuti proximam semper induere consueuerat, ad humeros retortam, brachiorumq. partem nudam se habere comperiens, modicis quæ supererant viribus, ipsemet nitens extendere, corporis nuda contexit, modestiæ suæ non immemor. Deinde, manibus in modum Crucis conformatis, intermortuis vocibus, hos versus pronuncians: Quæsumus Auctor omnium, in hoc Paschali gaudio, ab omni mortis impetu tuum defende populum, absque alio motu, placidissimè Deo reddidit spiritum. Kal. Maij 1572.

Io. Ant. Gabutius Cleric. Regul. in Vita ipsius.

XLII.

Dec.16. Apr.4. PLATO Confeſſor cum in exilio poſitus, morbo lethali corriperetur, in vrbem Conſtantinopolitanam ab Imperatore transferri iuſſus eſt. Vbi modò lectulo recumbens, modò in humili aliqua ſede requieſcens, Dauidis Pſalmos pronunciabat, & mente Deum ipſum precabatur; quæq. ad fratrũ Societatem iuuandam pertinebant, omnia conferebat ſalutaria monita, atque conſilia. Non tamen valebat opus facere, neque genuflectere, neque Lectionibus vacare, niſi quantum Miniſtri alicuius, propè ſe legentis, opera vtebatur; nihilominus dolebat, ac triſtis erat, quaſi animam perdidiſſet, eo quod ſacra, & diuina Myſteria non obiret, ſed à corpore, & laboribus vacaret. Si quem cibum ſumebat, morbo congruentem; vel lauacro (vt iuſſis pareret) vtebatur, Deo quidem ipſe gratias agebat, ſed ægrè ferebat tamen, quod remiſſius viueret. Cum igitur poſt decẽ & nouẽ annos, quos in infirmitate corporis tranſegerat, expectatę migrationis tempus adeſſe cõſpiceret, orationem à fratrum Societate circumfuſa poſtulauit; eoſdemq. ſingulos amplexatus, benedixit. Poſtea ad ſepulchrum, quod iam pridem videre concupierat, admodum lætus abijt; illudq. cum vidiſſet (valdè hilaris) Deo gratias agens, ait: Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: Voluntatem timentium ipſum faciet Dominus. Sub mortem funebre canticum, ipſe ſibi modulatus eſt. Cum enim Thoracis morbo teneretur, & aſſiduo laboraret anhelitu, labia ex conſueta meditatione commouens, ſubmiſſa voce illam præcipuè Cantici partem canebat: Reſurgent Mortui, & exurgent, qui ſunt in monumentis, & lætabuntur, qui ſunt in terra: quem verſum, vt ſecum canerent aſtantes, quoad loqui potuit, hortatus eſt; Canticumq. illud obitus eſt conſecutus. anno Domini 812. ætatis 79.

Sur. to. 6. Lippom. to. 7. ex Theodoro Studita, qui eius Acta luculenta ſcripſit oratione. Habetur eius officium in M.S. Bibl. Vall. De eo Baron. in Annal. to. 9.

AN

ANNOTATIO.

PLATO iste Monachus Constantinopolitanus (de quo Martyrol. Rom. 4. Aprilis) è carcere tractus fuit ad Conciliabulum, iussu Imperatoris congregatum, vt Iosephus quidam Oeconomus, antea damnatus, restitueretur. Miserabile autem spectaculum erat, Senem videre, propter imbecillitatem ingredi non valentem, sublatũ portari, catena vinctum, & ab alijs humeris in alios, indecora traiectione, transmitti. In hac autem pseudosynodo, exilio destinatus est in quandam Insulam; ad quam à duobus hominibus adductus, & huc, atque illuc protrusus (eo quod amplius progredi non posset) inhumaniter raptatus fuit in exilium.

Concluserunt autem eum in cella quadam (hominem scilicet senio confectum, & morbo vexatum) quem sub vnius cuiusdam Serui potestate reliquerunt, vt ab eo semel in die, vel bis viseretur. Quo tempore autem Senex eum rogabat, vt ad necessarium vsum corporis duceretur; iniquus ille Seruus id ei exprobrabat: Petebat aliquid imbecillitati suæ consentaneũ, & peruersus ille fores claudebat. Eius carceris causa incidit in lethalem morbum; quod cum audisset Cæsar, eum in Vrbem transferri iussit; quamuis quod proposuerat ad finem perducere ipse non valuit. Imperator enim (Dei iusto iudicio) interim exanimatus est.

XLIII.

POPPO Abbas Stabulensis sub mortem post Sacramentorum susceptionem Cilicium, quod sibi sterni fecerat, nudis pedibus adijt, terramq. deosculans in ea supinum se collocauit; tum Responsorium: Subuenite Sancti Dei, ipse inchoauit; quod circunstantium fratrum caterua (ipsius iussu) cum subiuncta Litania compleuit. Resedit deinde, & sermonem ad eosdem fratres habuit; quibus etiam criminum veniam, Sacerdotali auctoritate, & stola, impendit. Orauit demum, & postulauit à Domino id, quod semper fassus est exoptasse, & postulasse; nempè, vt in signum suæ conuersionis, in S. Pauli Conuersione ex hac vita migraret. Quod obtinuit: eadem enim nocte in Cilicio recollectus; manibus eleuatis, reddidit spiritum, anno Domini 1048. *Ian. 25.*

Sur. to. 1. Sigebertus in Chron. anno Domini 1048. *Tritbem.*

in Chron. Hirsaugien. & de Vir. Ill. lib.3.cap.242. Baron.in Annal. tom. 11.

De eodem vide infra in THIETMARO.

XLIV.

Iul. 21. PRAXEDES Virgo Romana, afflictione constricta ob tot Martyrum cædes, ingemuit, & orauit ad Dominum, vt ex hoc mundo transiret; cuius preces exaudiens Dominus, trigesimoquarto die à martyrio Sanctorum, qui in domo sua conuenerant, eam ad coronam vocauit, anno salutis 164.

Mombrit.to.2. M.S.Bibl.Vall. ex epistola Pastoris presbyteri ad Timotheum conpresbyterum. Ferrar. in Catal. Baron. in Annal.to.1.

XLV.

Mart. 15 PROBVS Episcopus Reatinus mortis instante tempore, Medicos, & alios astantes ad refectionem ire iussit, relicto tantum puerolo, qui lecto assisteret. Abeuntibus autem illis, aspexit puer intrantes ad virum Dei quosdam, stolis candidis amictos; qui eundem quoque candorem vestium, vultuum suorum luce vincebant; qua splendoris etiam claritate perculsus, quinam illi essent emissa cœpit voce clamare: qua voce etiam PROBVS Episcopus commotus; intrantes eos aspexit, & cognouit; atque eundem stridentem, vagientemq. puerum consolari cœpit, dicens: Noli timere, quia ad me Sancti Iuuenalis, & Eleutherius martyres venerunt. Ille autē tantæ visionis nouitatem non ferens, cursu concito extra fores fugit; atque eos, quos viderat, Patri S. Probi, ac Medicis nunciauit. Qui concitè descenderunt; sed ægrum, quem reliquerant, iam defunctum inuenerunt; quia illi eum secum tulerant.

Greg.Dial.lib.4.cap.12.

XLVI.

Iul. 4. PROCOPIVS Confessor Bohemus, mortem suam infra triduum, insuper, & ventura mala suis prædixit discipulis: pauperi autem cuidam stipem à se exigenti, respondit, vt paulisper præstolaretur, quò sibi vita functo, tunicam, eleemosinæ loco, aspor-

asportare liceret. Quod & factum est; Ipso in Domino, paulò post quiescente. anno Christi 1053.

Sur. to. 7. ex Annal. Bohemorum. De eo in Bohemia pia Georgij Bartholdi lib. 4.

ANNOTATIO.

Ter post mortem apparuit PROCOPIVS Cœnobij sui Præposito (nomine Blasio) mandans ei, vt Romano Pontifice adito, eum, quò se albo Diuorum ascriberet, excitaret. Paruit tandem iussis Blasius; sed iussa distulit, ac neglexit Pontifex. Sic ergo, attenuato sumptu annuo, salutatis Apostolorum liminibus, nocte abibat Legatus; cum PROCOPIVS, indignanti similis, Pontificem sopitum corripuit, quod segnius honori suo studens, preces sacerdotis sui ita repulisset, vt ieiunis loculis excedere Vrbe cogeretur; adiecitq. ni hominem, via D. Laurentij suburbani gradientem, reuocaret (tum verò pedum in sublime tollens) se illum perfossurum. Pontifex horribilis ostenti facie somno resolutus, semisopita voce, quis esset percontatur: PROCOPIVS (ait ille) & euanuit. Procopij igitur Sacerdotem Pontifex per expeditos cursores reductum, cum auidè, præsentibus tredecim purpuratis Patribus, de eiusdem Viri sancti gestis audisset, Diuina re facta, Sanctorum numero illum ascripsit; missoq. in Bohemiam Guidone, Sanctæ Mariæ In Transtiberim S. Calixti presbytero Cardinali (Legato à latere vulgo dicto) PROCOPIVM Sanctum, beatum, felicemq. credens, vocandum, colendum, pronunciauit; eiq. tanti nominis, & tituli apud omnes ferendi auctor fuit. Idq. anno Domini 1204. 4. Non. Iunij. Qui quidem Legatus non solum confirmator nobilium facinorum PROCOPII, sed reuertens Præco, ac Testis virtutum illius apud suos Romæ fuit. *Idem Sur. circa finem Vitæ ipsius* S. PROCOPII.

Plura, & mira recenset, ab eodem patrata miracula, Georgius in Bohemiæ piæ loc. cit.

XLVII.

PROSPER Aquitanus Episcopus Regiensis in ægritudine positus, suos ad se conuocatos filios, ad ferendum eius ex hoc mundo discessum, hortatus est; cum multò magis in posterum esset cum eis futurus: & si illucusque putarunt se eis po- *Iun. 25.*

tuiſſe prodeſſe, multò magis credere deberent, ſe profuturum, vbi inexhauſtum bonorum omnium theſaurum attigiſſet. Quibus dictis, & omnibus præſentibus, benedictione impertita, oculos, & manus in cœlum ſuſtulit: Tunc verò facies illius mirè exhilarata eſt, atquę reſplenduit, & ſtupentibus qui aderant; ac pſalmis, & hymnis egredientem animam comitantibus, feliciter migrauit ad Dominum, anno ſalutis 466.

Sur. tom. 3. Petr. in Catal. lib. 6. cap. 7. De eo Baron. in Annal. tom. 5. & 6.

PVCCINVS. Vide in Luca Abbate.



QVIRINVS *vide ſupra* in Andrea.

I.



QVISILINDA Monialis, corporis infirmitate correpta, cum diuerſis anxietatibus angeretur, cœpit lætos ad cœlum vultus referre, & ignotas ſibi dudum ſcripturas enarrare; exordiens à principio libros Moyſis, & eos per ordinem recitās; deinde Euangelica, atque ſimul Apoſtolica documenta. Monuit poſtea ſorores, ne ſe triſtitiæ ſubderent, certum habentes, quia citò de aduerſarijs ſuis Dominus vltionem eſſet daturus (erat enim tunc aduerſarius quidam Monaſterij, Egon nomine, qui mox poſt promiſſam vltionem interijt) Cœpit quoque Virgo Orationes, & deprecationes dulci modulamine canere: Vnde dum valde admirarentur aſtantes, vnam de ſororibus ſic allocuta eſt: Eia (inquit) ſoror, foras iacta quiſquilias. Cum igitur aliæ conquirerent, quid ſibi vellent verba iſta, rurſus adiecit: non aſpicitis quantis ſordibus mentem habeat occupatam? nec enim omninò per Confeſſionem, pectoris ſui arcam purgatam reſtituit: quam, in ſæculo poſita, priuſquam hìc clauderetur, omni ſpurcitia maculauit. Perculſa metu, verecundia correpta, & à lumine Spiritus ſancti comprehenſa, cui talia dicebantur, ſolo proſternitur illicò; celataq. vitia, matri humillimè fatetur. Cœpit poſt hæc QVISILINDA (quæ vitæ exitum expectabat) rogare, vt ſpacio facto, locum venientibus darent: obtemperantibus autem ſororibus, illa inclinato capite, hilari vultu dixit: Benedicite Dominæ meæ. Inquirentibus quæ aſtabant, quibus ſalutationis verbum exhiberet, reſpondit: Non agnoſcitis ſorores, quæ de Collegio veſtro ad cœlos migrarunt? Cumq. ſciſcitarentur, ſi ipſa cognoſceret eas? increpantis voce ad vnam earum loquitur, dicens: vel tu non cognoſcis ſororem tuam Anshildem, quæ dudum ad cœlos migrauit, candidatorum choris inſertam? Hæc ea dicente, anima è carne elapſa eſt; qua egreſſa, cantus Angelicus mox in aere auditus eſt. *Beda in vita S. Burgundoforæ tom.* 3.

RADBO-

I.

Nou. 29. ADBODVS Episcopus Traiectensis, dum in quodam pago consisteret, febri correptus, sciēs adesse migrationis suæ tempus (longè ante præuisum, & prænunciatum) voluit inde discedere, & ad locum vbi sepulturam delegerat, proficisci. Ibi cum extremas duceret horas, Psalmos assiduè recitabat. Lætus quoque & gaudens, quoad lingua moueri potuit, identidem repetebat Antiphonam illam: Ecce læti, &c. Quæ est prima in B. Martini Confessoris (ab ipso compositis) Responsorijs; quem etiam sanctum, eius patronum, crebrius salutare videbatur. Tandem inter hæc, diem clausit extremum; & lætus pariter in cœlum migrauit, anno 917.

Sur. tom. 6. Molanus in Natal. SS. Belg.

ANNOTATIO.

Cum aliquando grauiter decumberet RADBODVS, apparuit ei B. Virgo cum S. Agnete, & S. Tecla, totum habitaculum splendore perfundens. Timore autem perterritum, nec loqui valentē consolata est B. Virgo dicēs: Ne timeas RADBODE, certus eā intueri cui tu crebrò supplices offers preces: Non ego te mea dedignor consolari præsentia, qui in tuis ad Deum precibus, mei semper memoriam vsurpas. Dixit autem ei, nihil ex illo morbo periculi imminere, quamuis non diu postea in carne victurum fore; suasitque eum, vt vigilaret; nec operari cessaret; sed pergeret, vt cœperat.

II.

Iun. 24. RAINGARDA (mater B. Petri venerabilis) post viri obitum, Monialis effecta, cum de vocatione sua ad mortem, per visum esset edocta, & illicò morbo correpta, sororibus se defungi mandauit: colloquitur eisdem; confitetur peccata; expectatq. firma spe Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs. Inde sua postulatione, oleo sacro inuncta; Christi corpore ad æternitatem refecta; humilitate munita; confessione secura, Crucem cum Domini imagine sibi deferri rogauit. Qua allata, adhibet ori suo Dominicam effigiem; & pedes eius

lingua allambens, vultui suo tota virtute corporis imprimit: Adorat Saluatoris Passionem, & eius mortem, ac vulnera salutem conferre adiurat: Nullam sibi gloriam, nullam spem superesse salutis, nisi in Cruce Domini sui, omnibus audientibus profitetur. Cumque expleta oratione, circunstantes à vultu eius imaginem Domini amouere tentarent, accensa calore fidei, ait: Quid vultis auferre Dominum meum? Permittite eum mihi quamdiù viuo; ad quem statim sum moriens transitura. Ita ipsum Christum in Cruce illa se videre reputans, ab amplexu eius diuelli non poterat. Tandem infirmitate simul, & oratione fatigata, corporis viribus sensim deficientibus, tertia die, ex quo morbo correpta fuerat, ad extrema peruenit. Tunc visum est sororibus, vt eam à lecto leuatam, in cinere, & cilicio componerent; cumque manus ad hoc faciendum aptarent: finite (ait) & me paululum sustinete. Et cum eam dimisissent, conuersa ad Dominũ: Noui (inquit) pijssime Domine, quò corpus hoc deferatur; sed quò anima sit transferenda ignoro. Habet corpus (Redemptor) suum ad præsens in terra hospitium; anima autem (ò benigne Iesu, ò æterne Saluator) vbi hac nocte hospitabitur? Quis eam suscipiet? Quis occurret? Quis consolabitur? Quis à morte, mœrore, doloribus liberabit? Quis locum, vitam, quietem, post tot mundi labores prouidebit? Nullus nisi tu pie Iesu, Saluator meus; longe fient à me omnes proximi mei; nec potero inuenire refugium, nisi apud te Deus meus. Tibi ergo quod creasti committo; tibi me omnium malorũ ream confiteor; à te misericordiam, quam diù expectaui, nunc postulo; & in manus tuas corpus, & animam meam commendo. Iam nunc (inquit sororibus) me accipite, & quò portare volebatis deferte. Tunc in nouos fletus, & lachrymas vniuersis commotis, subleuata est, & in cinere, & cilicio reposita; vbi postmodum placido fine transiuit ad Dominum. Vultus autem luce clarior post mortem renitere visus est.

Petr. Venerab. eius fil. lib. 4. epist. 17. Habetur eius vita per eundem in M.S. Bibl. Vall.

ANNO-

ANNOTATIO.

De obitu Raingardæ ſcripſit etiam fratribus Cluniacenſibus epiſtolam Petrus, in hæc verba. Chariſſimis, & honorandis fratribus noſtris Prioribus, obedientiarijs, & alijs per diuerſas terrarum partes diffuſis, Fr. Petrus Humilis Cluniacenſium Abbas ſalutationem, & æternam à Domino benedictionem.

Si veſtræ charitatis affectus, ſi viſcera pietatis, ſi vbera miſericordiæ erga me qualemcumq. ſeruum veſtrum, & miniſtrum vigent, nunc precor experiar. Vnde abſens corpore, præſens ſpiritu, pedibus Sanctitatis veſtræ toto me cordis affectu proſterno, & vt à vobis audiri merear, quantis poſſum precibus imploro. Ancilla Dei, carnalis mater mea, ſpiritualis ſoror veſtra, Marcianenſis Monacha RAINGARDA, poſt diutinam, & optimam cum Sanctis ſororibus conuerſationem, ſecundum Domini voluntatem, 7. Kal. Iulij commune debitum mortis in ſancta confeſſione exoluit. Quæ quoniam, dimiſſis omnibus, ad vos ſpecialiter de ſæculi naufragio confugit; & in vobis totam ſpem ſalutis ſuæ repoſuit, non ſolum meis precibus, ſed & ipſius deuotioni debetis, vt animæ illius (ad æternum tranſlatæ iudicium) ſuccurratis. Orat ergo, & per filium Mater, & pro Matre filius, vt Tricenarius Miſſarum ei per loca, vbi poſsibile fuerit, perſoluatur, & duodecim pauperes reficiantur. Reliqui Sacerdotes duas pro eius requie Miſſas decantent, abſque Officio, & Miſſa generali, quæ iuxtà morem agitur; & exceptis his, quæ charitas Dei diffuderit in cordibus veſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt vobis.

III.

RANDISCIVS Monachus Caſſinenſis, cum expleto vitæ curſu, mortis debitum iam perſolueret, cœperunt fratres (de more) eius animam Deo commendare: Cumque extremum traheret halitũ, ad fratres conuerſus ait: Tacete, tacete; Nunquid non auditis quantæ in cœlo reſonant laudes? Nunquid pueros, qui mihi eas decantant non videtis? Nam veſtimenta, vultuſq. eorum eſt ſicut nix. Vnde per Deum obnixè vos rogo, vt ſileatis, mihique tam ſuauiſſimum cantum audire ſinatis. Hæc dum diceret, migrauit ad Dominum.

Leo Oſtien. Chron. Caſſinen. lib. 3. cap. 50. Petr. Diac. de obit. & vit. SS. Monach. Caſſinen. M.S. Bibl. Vall.

RANDI-

I V.

RANDISCIVS alter, Monachus, in articulo mortis constitutus, vidit Sanctum Prothomartyrem Stephanum ad se venientem, cum innumerabili turba. Quod cum fratribus, sibi astantibus, narrasset, inter loquendum emisit spiritum.

Petr. Diac. ibidem M. S. Bibl. Vall.

V.

RANIMIRVS Rex Hispan. cum Ouetum, orationis causa, adijsset, ibidem grauiter ægrotauit; & Legionem allatus, in vigilia Epiphaniæ (facta Confessione) deuotè suscepit sacrosanctum Corpus, & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Quo facto, à se Regnum, quod à Patre susceperat, abdicauit; proclamans cum lachrymis: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc: Dominus mihi adiutor non timebo quid faciat mihi homo. His ita peractis, vitam finiuit, & ad æterna Regna feliciter migrauit, æra 958. nempè anno Christi 950. *Ian. 5.*

Rodericus Toletanus de Reb. Hispan. lib. 5. cap. 8. in Chron. Hisp. tom. 1. Baron. in Annal. tom. 10.

V I.

REGINALDVS Monachus Cisterciensis, B. Virgini deuotissimus, sex dies ante eius obitum, audiuit pulsari signum, quo solent conuocari Monachi ad Agonizantem iuuandum; & accurrens illicò ad infirmorum locum, cum nullum ibi infirmum reperisset in huiusmodi versantem periculo, cogitauit hoc suæ mortis fuisse præsagium; & incipiens tremere, ac horrore vicinæ mortis commoueri, eadem die infirmitate correptus est; in qua non cessauit vsque ad obitum, salutationem recitare Angelicam; & in illis verbis: Sancta Maria Virgo Mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis, reddidit Deo animam, veste pretiosissima induendam, & ornandam, quam sibi eadem gloriosa Mater, ante quinquaginta dies, ostenderat, & promiserat.

Hist. S. Bernardi Hispanicè lib. 4. cap. 51.

ANNOTATIO.

Hoc idem signum audiuit(nullo pulsante) GERARDVS Monachus eiusdem ordinis, vide supra GERARDVS.

VII.

Febr.4. REMBERTVS Archiepiscopus Bremensis,morbo correptus, psalmodijs,& sacris lectionibus semper intentus,se ad futuram ex hac vita migrationem (quam ante annum præuiderat, ac prædixerat) præparauit: & quamuis languoris immanitas, corporis vires omni robore destitueret; animo tamen semper inuictus, Apostolicam præseferebat fortitudinem. Septimo ante obitum die,extremam Vnctionem sibi dari præcepit; sacram verò Eucharistiam, ad supremum vsque spiritum,quotidie percipere voluit. Cumque iam esset migraturus, conuocatis Presbyteris, & vniuersis fratribus, veniam sibi dari petijt eorum omnium,quibus fortassis illorum quemquam offendisset: ipse vicissim condonauit omnibus; eiusque veniam à Domino precatus est. Tandem cum, ex humilitatis studio, præcepisset, ne in templo corpus eius sepeliretur, percepto sacrosancto Viatico, migrauit ad Dominum, anno salutis 888.

*Sur. tom.*1. *De eo Albert.Crantz.hist. Saxon.lib.*2.*cap.*10. *& Baron. in Annal. tom.*10.

ANNOTATIO.

REMBERTO, dum adhuc esset in ministerio Anscharij Episcopi (de quo supra) apparuit presbyter quidam iampridem defunctus; qui ab eo de statu suo interrogatus ait, se dum viueret negligenter admodum animæ suæ curasse salutem; nec eam seruasse, quam decebat morum grauitatem; ocio sæpe vacasse; vetita in cibo, & potu frequenter vsurpasse; ob quas culpas hactenus indignum extitisse admitti ad conspectum Dei. Orauit autem REMBERTVM, vt quadraginta dierum ieiunium pro eo suscipere vellet. Qui visionem indicauit Anschario, & eius consilio, per dies quadraginta pane solo,& aqua vsus est. Quo tempore tam immani dentium dolore cruciabatur, vt panem edere non posset, nisi

(manibus

(manibus contritum, & comminutum) aquæ immitteret, & instar pultis prius emolliret. Expletis autem huius abstinentiæ diebus, apparuit presbyter cuidam piæ admodum fœminæ paraliticæ, & gratias REMBERTO agere iussit pro cibi, ac potus tolerantia tolerata; quam vsqueadeò sibi profuisse aiebat, vt prius negatum ipsi Dei conspectum, & cœlestis aulæ ingressum, propter eam iam permissum sibi gauderet.

Eidem Anschario morienti astitit REMBERTVS; & psalmorũ versus, quos ille dicere amplius non valebat, ipse suppleuit.

In redimendis Captiuis (factus Episcopus) studium adhibuit maximum; cumq. venisset aliquando ad partes Sclauorum, vbi nouellam recens ad Christum conuersorum Ecclesiam extruxerat, vidit multitudinem Christianorum in catenis captiuam teneri; inter quas Virgo quædam Deo sacrata, vt eminus illum conspexit, tùm genuflectendo, quàm caput crebrò inclinando, tùm honorem illi exhibere, tùm eius misericordiam pro sui liberatione implorare videbatur: atque vt intelligeret esse Christianam, sublata altius voce, cœpit cantare psalmos. Tum Episcopus miseratione commotus orauit pro ea cum lachrymis; & ad preces eius mox dirupta est catena, qua ad collum vincta tenebatur; non poterat tamẽ (detinentibus Paganis) effugere. Tunc Vir sanctus oblata redemptione, & renuentibus illis quamcunque conditionem, nisi eam solum, vt Equum suum ipsis daret, repentè de Equo desilijt, & eum pro captiua liberanda dedit.

VIII.

REMIGIVS Archiepiscopus Rhemensis, reuelatione acce pta de sui obitus die, lætus testamentum condidit, & omnia disposuit. Oculorum postea lumine priuatus fuit à Domino; quatenus mentis oculis intentius superna (ad quæ toto desiderio anhelabat, contemplari valeret. Studebat autem in suæ probationis tentatione semper gratias agere; Hymnis, ac Dei laudibus vacans diebus, & noctibus. Antequam decederet, visus ei fuit restitutus; & in die sui transitus, post Missæ celebrationem, & sacræ communionis largitionem, suis valefecit; eisq. pacem tribuens, animam Deo reddidit. anno Christi 541. ætat. 96. *Ian.* 13. *Oct.* 1.

Sur. to. 1. *ex Hincmaro Rhemensi. De eo plura Greg. Tur. de gest. Franc. lib.* 2. *c.* 31. *Baron. in Annal. to.* 6. *&* 7.

AN-

ANNOTATIO.

Vide apud Sur. de S. Albino Episcopo cæcitate pariter donato; *to.5.Oct.19.*

Franchorũ Apostolus dictus fuit (iure optimo) S. REMIGIVS, qui Franchorum gentem, eiusq. Regem Clodoueum, seu Ludouicũ prædicatione sua, è tenebris gentilitiæ superstitionis ad lucem Euangelicæ veritatis adduxit; Domino quidem cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Testatur id Hormisda Papa, in epistola ad eum data, his præcipuè verbis.

Vices itaque nostras per omne regnum dilecti, & spiritualis filij nostri Ludouici, quem nuper (adminiculante superna gratia) plurimis, & Apostolorum temporibus æquiparandis signorum miraculis, prædicationem salutiferam comitantibus, cum gente integra conuertisti, & sacri dono baptismatis consecrasti, præsenti auctoritate committimus &c.

Testatum hoc ipsum reliquit ipsemet S. REMIGIVS publica testificatione, nempè testamento suo, in quo ista leguntur apud Brissonium *de formulis lib.7.*

Villas, quas mihi dominus, illustrisq. memoriæ Ludouicus Rex (quẽ de sacro baptismatis fonte suscepi, cum adhuc Paganus Deũ ignoraret) ad proprium vsum tradidit, locis pauperibus deputaui; ne fortè cum esset infidelis, cupidum terrenarum rerum me arbitrari posset, & non potius suæ salutem animæ, quàm exteriora ab ipso requirere. Quod admiratus, intercedere me pro quibuscumque necessitatem patientibus, & fidelis, & ante fidem benignè, liberaliterq. concessit. Et quia ex omnibus Episcopis Galliarum pro fide, & conuocatione Franchorum potissimum me laborare cognouit; dedit mihi Deus tantam gratiam in conspectu eius, virtusq. diuina (quæ per Spiritum sanctum me peccatorem plurima signa ad salutem præfatæ gentis Franchorum operari fecit) vt non solum ablata, omnibus Ecclesijs Franchorum restitueret, sed etiam de proprio, gratuita lenitate, plurimas ditaret Ecclesias.

Hæc ex verbis ipsius S. REMIGII, aureis (vt inquit Baronius) planè exaranda notis, ex ijs etenim apparet quã meritò dictus fuerit illius gentis Apostolus, dum quod Apostolum decet, & Apostolus docet, non quæ sua quæsiuit, sed aliorũ; neque quod sibi vtile, sed multis, vt salui fiant: illud ore versans, & opere: Non quæro vestra, sed vos.

Quod verò de miraculis plurimis, Apostolicis temporibus æqui-

parandis tradit Hormisda editis ab eodem sancto, hæc summatim in eius vita apud Surium leguntur, nempè.

Videntes, *Francbi scilicet idololatræ*, miracula, quæ fiebant per beatum REMIGIVM, reuerebantur eum; & licet Pagani, diligebant eum, in quo lux cœlestis gratiæ omnibus resplendebat. Erat enim S. REMIGIVS vir sapiens, atque sanctissimus, egregius rethoricus, præclarus in virtutibus, cæcis visum restituens, mortuis vitam reparans, dæmonia eijciens, omniumq. infirmitatum languoribus medelam præbens. *Hac Sur.*

Quamuis satis fuerat dixisse: Fecit mirabilia in vita sua. Post aurum etenim non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris: vtique dignus qui laudetur ab omnibus.

I X.

RESTITVTA Virgo à Proculo Iudice in Africa variè torta, & in nauicula pice, & stupa referta, vt in mari combureretur, imposita; immisso igne, cum in incensores flamma conuerteretur; ipsa in oratione spiritum Deo reddidit: cuius corpus cum eadem nauicula (Dei nutu) ad Aenariam Insulam propè Neapolim deuectum, à Christianis magna veneratione susceptum est; & in eius honorem Constantinus Magnus Basilicam postea Neapoli erigendam curauit. *May 17.*

Martyrol. Rom. May 17.

X.

RICHARDVS Anglicus Episcopus Andriensis, cum vitæ finem sibi adesse, per reuelationem didicisset, accersito corā se Clero, & Populo vniuerso, eos admonuit, vt perseuerarent in fide; Dei præcepta seruarent; neve alter alteri noceret. Deinde versus ad Clerum, præcepit vt conseruarent illi Populo semen, quod ab eo sparsum fuerat; rebusq. Ecclesiæ, & Diuino cultui essent intenti. Tandem sumptis Ecclesiæ Sacramentis, humi procumbens, oculos ad cœlum leuauit dicens: In manus tuas Domine commendo spiritum meum; & hæc dicens expirauit. *Iun. 9.* *Aug. 21.*

Ferrar. in Catal. M. S. Bibl. Vall. Vbi eius Acta fusius habentur.

XIII.

ROBERTVS Nobilius Politianus, S. R. E. Cardinalis, Iulij iij. Sum. Pont. Pronepos, cum per sex menses, insigni patientiæ exemplo, febri mortifera correptus decubuisset; morti iam (immò vitæ æternæ) proximus, ad Dominum conuersus dixit: Adimpleui mandata tua; moxq. (ac si multum sibi his verbis assumpsisset) humili voce subiunxit: Humilitas, Humilitas Domine, sic ergo fiducia inuictus, & humilitate securus, Deo animam reddidit, anno Christi 1599. ætatis 18.

Hieronymus Garimbertus, & Alfonsus Ciacconus de Vit. Pontt. & Cardd.

ANNOTATIO.

Fuit hic, annorum tredecim natus, in Cardinalium collegio cooptatus. Purpura verò insignitus, vitæ sanctimoniam non solum retinuit, sed augere, nouo virtutum ornamento curauit. Dum enim ludis, & spectaculis vacabat populus, ipse exiguo, & honesto comitatu, martyrum cryptas, & vetusta extra Vrbem templa lustrabat. Vbi non rarò suggestum conscendens, coram familiaribus, in alicuius Sancti laudem prolocutus, eos, vt alterna dicendi vice contenderent, hortabatur.

Ieiunijs, verberibus, vigilijs, & asperæ corporis castigationi, cœlestisq. Patriæ amori addictus, fluxa hæc omnia ita respuebat, vt de relinquenda purpura, & Religioso Societatis Iesu induendo habitu cogitaret; sed ab eiusdem Societatis Patribus dissuasus, propositum distulit. Domi verò suæ, Diuinis rebus intentus, humi super leue tomentum cubans, & verberibus, abstinentia, & cilicio corpus affligens, pristinam vitæ conditionem seueriùs persequebatur; donec, febri correptus, ad extrema deuenit. *Iidem Alfonsus, & Garimbertus.*

XIV.

Iul. 18. ROBERTVS Salentinus Monachus Cœlestinus senio confectus, ad extrema deueniens, Ecclesiæ Sacramentis munitus, se erigi (ita vt sederet) præcepit; vno fratre ponè eum stante, atque sustentante, ne recideret. Igitur in hunc modum positus, eleuatis ad cœlum oculis, hilari admodum vultu, serenaq. & ridente facie, Altissimum magnificare cœpit Dominum;

& viua,

& viua, atque ſonora voce (profluuio madens lachrymarum) Apoſtolorum Symbolum tractim, & grauiter recitare: ſingulos ipſius diſtinguens articulos; & ſingillatim quibuſq. Apoſtolis ſuum attribuens. Poſt hoc, decem præcepta legis enumerauit; ſeptemq. Eccleſiæ ſacramenta, atque adiecit: Credo, & credidi; Teneo, & tenui; Confiteor, & confeſſus ſum fidem illam ſanctiſsimam, quam Chriſtus docuit; quam Apoſtoli prædicauerunt; quamq. Sancta Dei Romana Eccleſia (in qua nunc præſidet Domnus Benedictus Papa xij.) tenet, & docet. Et his dictis, adiunxit: Deo, & Beatæ Mariæ, ac B. Ioanni Baptiſtæ commendo ſpiritum meum; ac me Domino Abbati noſtro, & omnibus fratribus recommendo, vt pro me debeant Dominum ſuppliciter exorare. Hæc vt perorauit, iam ad mortem feſtinans, eleuata (vt potuit) voce, aſtantibus fratribus, de ſancta Obedientia; obſeruantia Religionis; vigilantia caſtitatis, amoreq. Paupertatis, feruentem ſermonem faciens, in fine, lætis oculis, in cœlumq. directis, rutilanti vultu, omnibus fratribus præſentibus, & abſentibus benedixit; ſignans eoſdem ſigno Sanctæ Crucis, & dicens: Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Tandem ad nouiſsimum agonis terminum accedens, Crucem ſæpiſsimè amplexus (in qua ſe pro Crucifixo ſæpè ſuſpenderat, ob cuius amorem etiam, ligneam Crucem ab initio ſuæ conuerſionis ſupra pectus nudum ſemper geſtauerat), & expanſis in lectulo ſuo, in modum Crucis, brachijs, coram fratribus pro eo pſallentibus, feliciter migrauit ad Dominum, anno ſalut. 1341.

Vita ipſius in Bibliotheca Floriacenſi cap. 10.

X V.

ROMANVS Abbas interrogatus à Lupicino fratre ſuo, in quo Monaſterio conſtitui deberet eorum ſepulchrum, vt ſimul quieſcerent, reſpondit: Non poſſe fieri, vt ipſe in monaſterio ſepulchrum haberet, à quo mulierum acceſſus prohibetur; Magnus enim (inquit) futurus eſt ad tumulum meũ concurſus, ob curationum gratiam mihi à Domino elargitam. *Febr.* 28. *Mart.* 21

Quod quidem rei probauit euentus. Post eius etenim mortē, cum in monte paruulo sepultus esset, eminus à monasterio; ibi magnum postea fuit ædificatum templum, & frequentia decoratum populorum.

Lippom. to. 8. Sur. to. 1. 28. Febr. & in Vita S. Eugendi 1. Ianuarij. Gregor. Turon. in Vit. SS. Patrum cap. 1.

ANNOTATIO.

Dum ROMANVS Abbas iter ageret ad visitandum fratres, diuertit ad Hospitium Leprosorum, in quo erant nouem viri leprosi: omnium pedes lauit; lectumq. spatiosum fieri curauit, vt omnes in vno stratu requiescerent. Obdormientibus autem leprosis, ROMANVS, inter decantationem psalmorum vigilans, extendit manum suam, & tetigit latus vnius infirmi, qui statim mundatus est: iterumq. tangens alium, & ipse quoque mundatus fuit. Cumque ambo se redditos sanitati sensissent, tetigit vnusquisque proximum sibi, vt expergefacti rogarent Sanctum pro emundatione sua; sed cum tacti ad inuicem fuissent, & ipsi mundati sunt.

X V I.

Febr. 7. Iun. 19. ROMVALDVS Abbas, cum iam finem suum imminere conspiceret, ad Monasterium, quod in Valle de Castro ædificauerat, rediit. In eo igitur appropinquantem mortem expectans, cellam sibi cum Oratorio construi mandauit; in qua recluderetur, & vsque ad mortem silentium seruaret. facto Reclusorio, corpus eius cœpit magis molestijs ingrauescere; à medio etenim ferè anno, nimia sibi phlegmatis abundantia; cum ipso læsi pulmonis marcore defluxerat; & graui eũ tussis anhelatione vexauerat; quamuis non idcirco vir Sanctus, vel lecto decumbere, vel (in quantum possibile erat) ieiunij rigorem relaxare acquieuerat. Quadam igitur die, cœpit paulatim corporis virtute destitui; & ingruente molestia, grauius fatigari. Sole itaque in occasum vergente, præcepit duobus fratribus, qui astabant, vt foras exirent, & cellulæ post se ianuam clauderent; celebraturi verò sibi Matutinos hymnos, ad eum diluculò remearent. Illis igitur exeuntibus, sed anxijs sæpè cellam latenter obseruantibus, anima, nullo præsente

(sicut

(ſicut concupierat, & prædixerat) feliciter migrauit ad Dominum, anno ſalutis 1027. ætatis annorum 120.

Sur.to.3. Petrus Damianus cap.69. Ferrarius in Catal. De eo Baron. in Annal.to.10. & 11.

A N N O T A T I O.

Sanctorum numero aſcriptus fuit S. ROMVALDVS quinquenniò poſt eius obitum, vt idem Petr.Damian. affirmat *cap.79.Vitæ eius, his verbis*:

Poſt quinquennium verò à Sancti viri obitu data monachis ab apoſtolica Sede licentia, vt ſuper venerabili corpus eius altare conſtrueretur &c.

Qui quidem ritus tunc temporis erat in vſu, nempè, vt petentibus concederet ſedes apoſtolica ſuper corpus, altare cōſtrui. Quod teſtatur Baron. *Annal. to.* 10. & factum eſſe de alijs Sanctis viris miraculis coruſcantibus, qui hoc eodem tempore vixere, teſtatur Idem Petr. *in epiſt. ad Henricum Archiepiſcopum Rauennatem cap.* 39. nempè Romaldo Camerinenſi, Amico Ratiſponenſi, Guidone Pompoſiano, Firmano Firmenſi, & alijs compluribus, ſupra quorum corpora, altaria fuere erecta; atque deſuper ſacroſancta ſacrificia immolata.

Dum ROMVALDVS in Galliæ partibus moraretur, indeq. diſcedere diſpoſuiſſet, vt Patrem ſuum, monachum iam effectum, ſed retrò aſpicientem, reduceret, Regionis illius incolæ, tractarunt (impia pietate ducti) ipſum interimere; cadauer ſaltem exanime pro terræ patrocinio retinere volentes, qui eum viuum retinere minimè valebant. Sed his cognitis Vir ſanctus, caput ſuum decaluauit; & comedere primo diluculo, quaſi per auiditatem, illis præſentibus cœpit; qui eum inſanum exiſtimantes, abire permiſerūt.

Lepidū fuit id, quod refert Petr. idē Dam. *ad Marinū Patruelē epiſt.*26. de ROMVALDO, nempè, quod aliquando rediens à Sibillæ Comitiſſæ colloquio, callidè dixit diſcipulo: Quam elegātis, & venuſti vultus fœmina, niſi (proh dolor) vnius oculi diſpendio laboraret; Cui Diſcipulus: Abſit Magiſter (inquit) ſicut decora certè facies, ita quoque oculi (prout ſagaciter deprehendi) incolumes vigent. Quem Magiſter, acerrima protinus animaduerſione corripiens: Et quis te (inquit) in faciem fœminarum reſpicere docuit? Simile habetur de S. Saba, qui corripuit Diſcipulum, affirmantem duos oculos habere mulierem, quam, vt eum tentaret, ipſe dicebat eſſe monoculam.

Anon. obit. ROMVALDI eiusdem quidam alius Discipulus, cum esset morti proximus, videre se dixit quasi Æthiopes cubiculum ingredientes. Quod cum audisset S. ROMVALDVS, monuit eum, vt peccata sua confiteretur. Confessus est autem hoc solummodò peccatum, quo grauatum se sentiebat, nempè, nondum paruisse Priori, qui ei iniunxerat, vt quasdam scopas acciperet; hocq. maximè dolere. Confessione igitur peracta, in pace quieuit. Ad eius autem sepulchrum veniens postmodum cæcus quidam, lumen recepit, alijq. infirmi ab ægritudine sunt liberati. Obijt 1061. *Idem B. Petrus ibidem, et Siluanus Razz. de Vitis Camaldulens.*

XVII.

ROMVOLDVS Abbas, languore diuturno ad extrema perductus, illa ipsa die erigens se de lectulo, tunica amictus; orario accepto; & agmine fratrum collecto, resedit in medio ac potenti sermone eos est adhortatus. Tum summa humilitate inter eum, & fratres, alterna facta Confessione, nec non precata peccatorum Indulgentia, intimis suspirijs primū summo Pastori commendauit gregem sibi commissum; deinde fratribus valedicens, ait: Abite, fratres charissimi, & præparate vos ad celebrandum diuinum officium; atque summa festinantia concurrite ad complendum ex more ordinē sacrum; & hoc vltimum senis memoriale pro benedictione habetote: In nomine Domini, salus omnium nostri. Cumq. omnes cōmuniter dicerent, Amen, atque exirent mœsti, vir Dei præsentiens animam de corpore celeriter dissolui, iussit se ab his qui aderant in Oratorium, cellæ suæ proximum, deportari, & inter duo altaria deponi. Conuersus quidem caput ad aram S. Patris Benedicti, pedes verò ad altare S. Kiliani martyris; præcepitq. ibi Missam celebrari. Qua peracta, cum ventum esset ad Communionem, ipse Vir Dei, vt accepit sacri Corporis, & sanguinis Dominici Eucharistiam, mox ad æternam Patriam, è carnis ergastulo, emisit centenarius animam, anno Domini 1008. Cuius feretro Henricus (qui postea creatus est Imperator) supposuit humerum ad portandum.

Canis. Antiq. lect. to. 2. de S. Eimerammi mirac. lib. 2. ex Arnolpho. Baron. in Annal. to. 11.

XVIII.

ROMVLA Ancilla Dei, Paralysis morbo percussa, cum annis multis in lecto decubuisset, nocte quadam, Redemptam Magistram suam vocauit dicens: Mater veni; Mater veni. Quæ mox, cum alia eius condiscipula surrexit: Cumq. lectulo iacentis assisterent, subitò cœlitus lux emissa omne illius cellulæ spatium impleuit; & splendor tantæ claritatis emicuit, vt corda assistentium inæstimabili pauore perstringeret, atque omne in eis corpus obrigesceret, vt & in subito stupore manerent. Cœpit namq. quasi cuiusdam multitudinis ingredientis sonitus audiri; Ostium cellæ concuti, ac si ingredientium turba premeretur: atque intrantium multitudinem sentiebāt, sed nimietate timoris, & luminis videre non poterant. Quam lucem protinus est miri odoris fragrantia subsecuta; sed cum vim claritatis illius ferre non possent, cœpit eadem ROMVLA assistentem, & trementem Redemptam blanda voce consolari dicens: Noli timere Mater, non moriar modo: cumque hoc crebrò diceret, paulatim lux, quæ fuerat emissa, subtracta est; sed odor remansit: sicq. secundus & tertius dies transijt. Nocte igitur quarta Magistram suam iterum vocauit, qua veniente, Viaticum petijt & accepit. Nec dum eadem Magistra Redempta, vel illa alia eius Discipula à lectulo iacentis abscesserant, & ecce subitò in platea, ante eiusdem cellulæ ostium, duo Chori psallentium constiterunt, & (sicut se dicebant, sexus ex vocibus discreuisse) Psalmodiæ cantus dicebant viri, & fœminæ respondebant. Cumq. ante fores cellulæ exhiberentur cœlestes exequiæ, sancta illa anima carne soluta est. *Iul. 23.*

Greg. Dial. lib. 4. cap. 15. & Hom. 40. in Euang.

XIX.

RVPERTVS Episcopus Salisburgensis, cum agerentur dies Quadragesimalis obseruantiæ, febrium ardore agitari cœpit; cumque sacratissimus Resurrectionis dies illuxisset, Missarum solemnia celebrauit; &, sacrosancto Corporis & sanguinis Christi Viatico munitus; post dulces paternæ pie- *Mart. 27*

tatis

tatis admonitiones ; & post extrema charitatis verba, vocante Deo, sua sponte ad sepulchrum (à se dum viueret conditum) decucurrit; & illo Saluatoris verbo prolato: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, inter lachrymantium voces, & Angelorum concentus (qui à quibusdam Religiosis auditi fuere) sancta anima in cœlum abijt, anno Domini 623. vj. Kal. Aprilis.

Canis. Antiq. Lect. tom. 6. Sur. tom. 2. Baron. in Annal. tom. 8.



I.


ABBAS morbo correptus, in cella iacens, rerum omnium egenus, à Patriarcha rogatus, exportari se permisit ad sibi subiectam Ecclesiam, vt ibi curaretur. Per visionem autem edoctus de proximè futuro excessu, ad eandem se fecit statim reportari cellam: & cum vltima dixisset verba fratribus, eisque postremum dedisset osculum, delecto successore, à terrenis ad cœlestia migrauit, anno Christi 531. ætatis 92. *Dec. 5.*

Lippom. tom. 5. Sur. tom. 6. cap. 99. Baron. in Annal. tom. 7. M.S. Bibl. Vall.

ANNOTATIO.

Plura essent de tanto Viro recensenda, quæ fusius descripta habentur à Baron. in Annal. tom. 6. & 7. Illud autem non reticendum, quod Ecclesia catholica (diuino semper lumine illustrata) quem ex certis signis nouit receptum in cœlis Sanctum SABBAM, eundem in terris colere, ab ipso transitus eius die, repetito ipsius anniuersario cultu, tàm in Oriente, quàm in Occidente nunquam destitit celebrare, vt perpendit Baronius *Ibidem*.

Est vetus Romæ memoria S. SABBÆ, eiusdemq. nomine Monasterium, cuius meminit Io. Diac. in vita S. Greg. lib. 1. cap. 9. his verbis.

In huius sacri Monasterij (S. Andreæ scilicet) penetrabilibus, idem Vir omnipotentis Dei Gregorius à matre Siluia, tunc temporis iuxta portam S. Pauli Apostoli, loco, qui dicitur Cella noua, quo hactenus Oratorium nomini eius dedicatum, & famosum S. SABBÆ Confessoris Christi Monasterium, cuius laus est in 6. & 7. Synodo, constitutum videtur, degente, crudis leguminibus pascebatur, &c.

De eodem supra in ELIA & FLAVIANO.

II.

SABINA, quæ & SAVINA, matrona Religiosissima Mediolanensis, ad sepulchra SS. Naboris, & Felicis orans, obdormiuit in Domino. *Ian. 30.*

Martyrol. Rom. ex tabul. Ecclesiæ Mediolanen.

SABINA

I I I.

Aug. 29. SABINA S. Sabiniani Martyris ſoror, cum Angeli monitu, vnà cum famula, ſuum fratrem quæreret; veniens Trecas, audiuit à quodam, illum paulò ante pro Chriſto decollatum, & ibi in quadam domo ſepultum. Quibus auditis proſtrauit ſeſe ante tumulum fratris, & orauit Dominum dicens: Domine Deus, qui me ſemper in caſtitate ſeruaſti, non me permittas amplius duris itineribus fatigari; ſed iube, corpus meũ à loco iſto vlterius non moueri: Commendo tibi famulam meam, quæ propter me tanta ſuſtinuit; & fratrem, quem hìc videre non potui, da vt in Regno tuo videam. Quibus dictis, ſtatim migrauit ad Dominum, anno ætatis 49.

Petr. in Catal. lib. 7. cap. 134. Vinc. ſpec. hiſtoriali lib. 11. cap. 107. Mombrit. tom. 2. De S. Sabiniano *in Martyrol. Rom. ian. 29. Sur. edit. poſtr. hac die.*

I V.

Sept. 10. SALVIVS Epiſcopus Albrigenſis, cum (reuelante Deo) tempus ſuæ vocationis agnoſceret; ipſe ſibi ſarcogaphum compoſuit; corpus abluit, veſtes induit, & ſic (intentum ſemper cœlo) ſpiritum exhalauit, anno Domini 587.

Lippom. tom. 8. Greg. Turon. hiſt. lib. 7. cap. 1. lib. 5. cap. 50. & lib. 6. cap. 29. Sur. tom. 5. Baron. in Annal. tom. 7.

A N N O T A T I O.

Fuerat hic Monachus incluſus; & aliquando, nimia febre exhauſtus, anhelus iacens in lectulo, cellula magno clarificata lumine, extenſis ad cœlum manibus, cum gratiarum actione ſpiritum exhalauerat. Abluto autem corpore, veſtimentis induto, & in feretro ſuppoſito, exacta in Pſalmis nocte, cum, facto mane, funeris officium præpararetur, moueri cœpit; & (quaſi de graui ſomno excuſſus) apertis oculis, & eleuatis manibus, queri, quod in hunc tenebroſum habitationis mundanæ locum redire Deus permiſerit. Surrexit itaque nihil incommodi de præterita ſentiens valetudine, & poſt triduum aſtantibus reuelauit quæ viderat. Odor verò, quo per illud triduum, ſine vllo cibo ſuſtentabatur, ſtatim receſsit ab eo: factus deinde Epiſcopus, decem egit in Epiſcopatu annos.

.V.

SAMARITANA Monialis, B. Catharinæ Bononiensis alumna deuotissima, quamuis toto tempore vitæ suæ virtutem obedientiæ coluisset, nec illam vnquam (vel in minimo) subterfugisset, ante exitum tamen, voluit Deus eam per viam artam admodum, & difficilem ad ipsum peruenire; adeò vt extrinsecus etiam appareret; & in infirmitate sua vltima, plurimum terroris immitteret in eas, quæ eius vultum, gestus, & pœnam (quam biduò passa est) aspiciebant: Mater autem Catharina nunquam eam deserebat, sed Psalmis, Orationibus, & sermonibus dulcissimis animam eius consolabatur; quin & cibum apud ipsam sumebat, ne inde discedere cogeretur: Cumque à cœteris filiabus suis rogaretur, vt cubitum iret, & quiesceret, renuebat dicens: Ne cogatis me; sinite me hìc esse, ne inimicus aliquid noui faciat; video enim eius nequitiam, & prauam voluntatem, hanc vehementius cruciandi. Tandem precibus importunis coacta recedere, vix egressa, cum sacrarij Præfecta, vnam è duabus candelis benedictis (quas Catharina illucusq. accensas ibi haberi voluerat) extinxisset, Dæmon extinxit alteram, & Samaritana adeò territa, & timore concussa apparuit, vt statim ab astantibus Catharinam accersiri necesse fuerit. Quæ veniens exprobrauit inimico dicens: Nonne cognoui te hòc facturum, si ipsa discederem? Sed non tantum prævalebis, vt animam huius famulæ Dei perturbare possis; salua est enim; cum fidelis fuerit Christi Sponsa; & accepta aqua benedicta, aspersit cubile totum, & infirmam confortauit, animum ei addens, & de Dei potentia confidere suadens. Pręcipiens postea omnibus vt orarēt, ipsa centies circiter sanctissimum Iesu nomen inuocauit, & rediens ad infirmā dixit ei: filia mea quiesce iā; vade in pace: Præcipio tibi in virtute sanctę obediētiæ, vt statim ad vitā proficiscaris ęternā. Quibus auditis obediēs infirma, lęta respiciens sorores omnes astātes, migrauit ad Dñum.

In vit. B. Catharinæ Bononien. cap. 24. auctore Christophoro Mansueto, impressa Romæ 1597.

SCHO-

V I.

SCHOLASTICA Virgo, ante mortem cupiens cum S. Benedicto fratre suo, sacra protrahere colloquia, & renuente fratre, orans, insertas digitis manus super mensam posuit, & pluuiam impetrauit, ac tempestatem. Conquerenti verò fratri, & contristanti, eo quod ad Monasterium remeare non posset, ac dicenti: Parcat tibi omnipotens Deus soror, quid est quod fecisti? Respondit: Ecce, te rogaui, & audire me noluisti; rogaui Dominum meum, & audiuit me: Modò ergo si potes, egredere. Totam igitur noctem peruigilem duxerunt, & tertia deinde die, visa est à S. Benedicto anima S. Scholasticæ, in Columbæ specie cœlos penetrare. *Febr. 10.*

Greg. Dial. lib. 2. cap. 33. 34.

Sebastianus *vide* in Philippo.

V I I.

SEBBI Rex Saxonum, cum annos triginta in Regno exegisset, correptus est corporis infirmitate permaxima; & quia priuatam vitam, & monasticam, cunctis Regnis prætulerat semper, ac diuitijs, quam etiam (si non obstinatus coniugis animus diuortium negasset) olim relicto Regno subijsset. Admonuit, infirmitate correptus, coniugem vt vel tunc, diuino se seruitio pariter manciparent, cum amplius pariter mundum amplecti, vel potius mundo seruire non possent. Quod cum (ægrè licet) ab ea impetrasset, venit ad Londoniæ Ciuitatis Antistitem, & per eius benedictionem, Religionis habitum, quem diu desiderauerat, accepit. Ingrauescente verò ægritudine, cum diem sibi mortis imminere sensisset, timere cœpit, ne ad mortem veniens, tanto affectus dolore, indignum aliquid suæ personæ, vel ore proferret, vel aliorum gereret motu membrorum. Vnde accito ad se præfato Episcopo, rogauit ne plures (eo moriente) quàm ipse Episcopus, & duo sui ministri adessent. Quod dum Episcopus libentissime se facturum promisisset, non multò post idē Vir Dei, cum membra sopori dedisset, vidit visionem consolatoriam, quæ omnem ei anxietatem abstulit; insuper, & qua die esset hanc vitam

tam

tam terminaturus ostendit. Vidit enim (vt ipse postea referebat) tres ad se venisse viros, claro indutos habitu, quorum vnus ante lectum eius residens, dixit comitibus, de statu eius interrogantibus, quod anima eius, & sine vllo dolore, & cum magno lucis splendore esset de corpore egressura, tertia exinde die. Triduò igitur transacto, hora nona, subitò, quasi leniter obdormiscens, sine vllo doloris sensu emisit spiritum.

Beda hist. Angl. lib. 4. cap. 11.

ANNOTATIO.

Illud de tanto Rege non est reticendum, quod idem Beda miratur, nempe: Sepulchrum lapideum, quod ad ipsum tumulandum breuius, & incapax aptari contigerat, excreuisse mirabiliter ad sui corporis mensuram, adeò vt ceruical etiam à parte capitis posuerit imponi.

VII.

SERAPION Aegyptius Senex, lapsus, sed poenitens, (quamuis enim magnam vitae partem integrè, & incorruptè transegisset, tempore tamen persecutionis, prae imbecillitate animi, Idolis sacrificauerat) in grauem morbum delabens, triduò deinceps mutus, & absque sensu vixit: quartò autem die paululum releuatus, Nepotē ad se accersiuit dicens: Quousq. filij me detinetis? Properate obsecro, & me ocyus dimittite: Aliquem ex presbyteris adducite ad me.. Quae cum dixisset, iterum fuit mutus. Puer autem cucurrit ad presbyterum; & quia nox erat; & ille fortè morbo vexatus ad eum accedere non poterat, dedit Puero exiguam quandam Eucharistiae partem; praecipiens vt eam madefactam in os senis infunderet: Quam puer secum afferens, rediijt. Cui iam appropinquanti, priusquam aedes intraret; SERAPION denuò (voce recuperata) dixit: Venisti fili? tametsi presbyter non potest venire. Tu tamen praesta, quod tibi in mandatis dedit; & dimitte me abire. Particulam igitur puer, quam attulerat, madefactam, in os senis infudit; atque ille (simul ac eam paulatim per fauces dimisit) illicò extremum spiritum edidit, anno Domini 255.

Dionis.

Dionis. Episc. Alexandr. in epist. ad Fabianum Episcopum Antiochenum, habetur apud Euseb. hist. lib. 6. cap. 36. & Baron. in Annal. tom. 2. Niceph. hist. lib. 6. cap. 6.

ANNOTATIO.

Hic sæpenumero in Ecclesiam recipi postulauerat, sed nemo vnquam (quia Idolis sacrificauerat) eius postulationem auscultauerat. Leges enim eędem seruabantur in Ægypto de lapsis, quæ Romæ antea, atque etiam in Africa fuerant constitutæ; nimirum lapsos probandos prius in pœnitentia nec (nisi ea absoluta) recipiendos. Illo tamen excepto casu, cum pœnitens, grauiter laborans infirmitate, ex hac vita migraturus videretur: Tunc quippe illi pacem dandam, & Eucharistiam esse impertiendam.

I X.

Maij 13. SERVATIVS Tungrensis, seu Leodiensis Episcopus, cum Romam perrexisset, si quomodo orationibus valeret Gallias ab Hunnis liberare, orans ante sepulchrum S. Petri, per visum de euersione Galliarum, & de suo obitu est edoctus. Dixit enim ei S. Petrus (postquam de subuersione Ciuitatum illarum eum edocuit) tu autem in breui es transferendus, ne videant oculi tui mala, quæ superuentura sunt in terra: Nec habebis in vrbe scelerata, & ideò peritura, sepulchrum, sed placuit Altissimo oppidum tibi seruare Traiectum, vt illic sepeliatur corpus tuum. Rediens igitur, cum recensuisset Clero, & populo, quæ Romæ didicerat; & ad pœnitentiam eos hortatus esset, ostendens eis clauem argenteam, à S. Petro sibi datam, qua significabatur, se correctis cœlum aperire, incorrectis claudere, Sanctorum Reliquias transferri Traiectum imperauit; simulque Cruces, & diuini mysterij Vasa; necnon sepulturæ suæ necessaria. Curauit plurimos infirmos: deinde valedicens omnibus, discessit ab eis flentibus, & eum retinere conantibus, ac etiam insequentibus; quos tamen (data eis benedictione) redire coegit. Veniens postea Traiectum, Sarcophagum suum curauit; diem sui obitus præcognouit; & per triduum lenta febre correptus est. Angelus enim Domini cum Missarũ mysteria celebraret, à dextris altaris apparuit, &

certum ei finem, ac requiem oſtendit. Vnde confortatus angelica viſione, & diuinis participans Sacramentis, commonefecit plebem vſque ad horam diei nonam. Qua adueniente conuertit faciem in Orientem, & oculis in cœlum eleuatis, commendauit in vltima hora oues Domino, quibus timebat. Tunc ſplendor nimius de cœlo ſuperilluxit, & tertio Idus Maij cum ipſo ſplendore ad luminis patriam aſcendit. Spectante autem omni populo & admirante, velamen quoddam ſericum, Angelicis manibus allatum eſt ſuper venerabile corpus; & auditæ ſunt etiam voces in excelſo Deum laudantium.

Sur. tom. 3. Gesta Pontif. Tungren. tom. 1. De eo Molan. in Indic. Greg. Turon. de glor. Conf. cap. 72. & de geſt. Franc. lib. 2. cap. 4. 5. & 6. Baron. in Annal. tom. 3.

ANNOTATIO.

Illud de tanto Viro non eſt omittendum, quod habetur in Martyrol. Rom. his verbis.

Ad cuius (S. SERVATII ſcilicet) meritum omnibus demonſtrandum, cum tempore hiemis omnia in circuitu nix repleret, ſepulchrum eius nunquam operuit, donec induſtria ciuium, Baſilica ſuper illud ædificata eſt.

X.

SERVVLVS Paralyticus, cum ſe iam morti proximum agnouiſſet, peregrinos Viros, atque in Hoſpitalitatem ſuſceptos admonuit, vt ſurgerent, & cum eo Pſalmos pro expectatione ſui exitus decantarent: Cumque cum eis, & ipſe moriens pſalleret, voces pſallentium repentè compeſcuit, cum terrore magni clamoris dicens: Tacete, nunquid non auditis, quantæ reſonant laudes in cœlo? & dum ad eaſdem laudes, quas intus audierat, aurem cordis intenderet, ſancta illa anima carne ſoluta eſt: Sed exeunte illa, tanta illic fragrantia odoris aſperſa eſt; vt, qui aderant, per hoc patenter agnoſcerent, quod eã, laudes, quas audierat in cœlo, ſuſcepiſſent. *Dec. 23.*

Greg. Dial. lib. 4. cap. 14. & Hom. 15. in Euang. ex Greg. Sur. tom. 6.

ANNOTATIO.

SERVVLVS hic à prima ætate, vſque ad finem vitæ, Paralyticus iacuit; ſtare non potuit: nunquam in lecto ſuo ſurgere (vel ad ſedendum) valuit: nunquam manum ſuam ad os ducere: nunquam ſe potuit in latus aliud declinare. Huic igitur ad ſeruiendum mater cum fratre aderat,& quidquid ex eleemoſyna potuiſſet accipere, pauperibus erogabat: Nequaquam literas nouerat, ſed Scripturæ ſacræ ſibimet codices emerat,& Religioſos quoſq in Hoſpitalitatem ſuſcipiens, hos coram ſe legere,ſine intermiſſione faciebat. Studebat,in dolore ſemper gratias agere; Hymniſque, & Dei laudibus, diebus, ac noctibus vacare. *Idem Greg. ibidem.*

X I.

Febr. 11. SEVERINVS Abbas Agaunenſis,ſentiens aduentare ſuæ migrationis tempus, Regi Francorum, & Pariſienſibus valedixit, & ad Caſtrum Nantonienſe properauit;vbi erat Oratorium ex lignis conſtructum, in quo presbyteri duo (Paſchaſius nempè, & Vrſicinus) Deo miniſtrabant. Ad illos igitur accedens, & comiter eos alloquens indicauit ſe propterea illuc adueniſſe,vt illic functus vita, ab illis ſepeliretur. Commendauit porrò eis Fauſtum presbyterum, ſuæ neceſſitatis miniſtrum fidelem;ac Vitalem Monachum Diſcipulum ſuum. Cumque ſe multis lachrymis, aſſiduiſque precibus ad imminentem huius vitæ ſupremam horam præparaſſet, vndecimo Februarij die (cum totus ille locus,in quo decumbebat,multo lumine circundatus appareret) feliciter occubuit.

*Sur. tom.*1.*Trith. de Vir. Illuſtr. lib.*3. *cap.*257. *& Petr. in Catal. lib.*3. *cap.*115. *De eo Baron. Annal. tom.*6.

ANNOTATIO.

Dum SEVERINVS iter aliquando ageret,perueniens ad oppidum Niuernenſe; ibique orandi cauſa templum ingreſſus, ſciſcitatus eſt vbi eſſet Epiſcopus, & dictum eſt ei, iamdiu illum grauiter decumbentem, loquendi, & audiendi beneficio priuatum,toto anno è lecto ſurgere non potuiſſe,& nec ſacrificaſſe interim,neque populo bene precatũ eſſe. Miſericordia igitur motus, ad Epiſcopum

pum (Eulalium nomine) lecto iacentem festinus accessit; visoque illo, se prostrauit, & cum diù orasset, è terra surgens dixit ei: Surde & muite Episcope, loquere (oro) mecum, Sacerdos Domini. Tum ille. Sit (inquit) nomen Domini benedictum in sæcula, qui per te mei misertus est: SEVERINVS autem porrigens ei manum: Surge, ait serue Dei, in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui propterea castigauit, vt saluum faceret; flagellauit, vt coronaret. Hodie mecum in altari sacrificabis, & pro more, populo benedictionem largieris. Sub his verbis surrexit Eulalius, eademq. die Missam celebrauit, & populo benedixit.

X I I.

SEVERINVS Boetius Romanus, cum à regio spiculatore, in carcere apud Ticinum (vbi detinebatur) lethale vulnus accepisset, vtraque manu diuulsum caput sustinuit; atque ita in vicinum templum venit; & flexis genibus ante altare, sacra percepit, ac post paululum expirauit anno Christi 526. *Oct.23.*

In vit. ipsius operibus præfixa. De eo Baron. in Annal. tom.7. fusius, Ferrar. hac die.

ANNOTATIO.

Dionysius quoque Areopagita suum abscissum caput in manibus sustulit, & progressus ad duo millia passuum, gestauit. *Breuiar. Rom.*

Vrsus pariter, & Victor cum socijs 66. è legione Thebea, Diocletiano, & Maximiano imperantibus, cum è ponte in præceps dati fuissent in flumen, vnà cum eorum capitibus abscisis, mirabiliter eisdem in manus assumptis, ex alueo emergentes processerunt ad locum quendam, in quo genua flectentes, quasi horæ spatium precati sunt Deum, & mox ad terram se submittentes, acquieuerunt.

Gulielmus Badesanus in hist. Martyrum Thebeorum relata à Thoma Bozio de signis Ecclesiæ Dei tom.2. sig.65. lib.15. cap.9.

Lambertus Martyr Hispanus ab Hæro suo, cui in agriculturæ seruiebat officio, capite truncatus, eòquod fidem abnegare nollet, mox capite in manus resumpto, vltra quatuor passuum millia, profectus est ad locum vbi multi iacebant sancti Martyres occisi. Quò cum peruenisset, elata voce, dixit: Exultabunt Sancti in gloria: responderuntq. Sancti Martyres: Et lætabuntur in cubilibus suis, atque illicò acclinauit se, iunxitq; illis.

Io.Vasæus in Chron.sub anno Domini 306.Lucius Marineus Siculus de rebus Hispaniæ lib.5.

Caput itē abſciſsū ſuſtulit Dominus Martyr de quo *Sur.9.Oct. tom.5. Mombrit.& alij.* Eliphius Martyr pariter *de quo idem Sur. to.5. 16.Oct.* Iuſtus itidē puer *apud eundem Sur.*18.*Oct.* Lucianus quoque Martyr *apud Mombrit. to.2.* de quo *in Martyrol.26.Oct.*

XIII.

Ian.8. SEVERINVS Abbas (dictus Noricorum Epiſcopus) de ſua proximè futura migratione fratres alloquens, prædixit loca illa, in quibus habitabant, cultoribus tunc frequentata, in tam vaſtam ſolitudinem eſſe redigenda, vt hoſtes, exiſtimantes auri ſe copiam reperturos, etiam mortuorum ſepulchra effoſſuros eſſe. Vnde iuſſit oſſa eius, in tranſmigratione, quam facturi erant, ſecum aſportari, dicens: Mementote præcepti S.Ioſeph Patriarchæ, cuius vos, ego indignus, & infirmus, atteſtatione conuenio. Viſitatione viſitabit vos Dominus, tollite oſſa mea hinc vobiſcum; quod non mihi, ſed vobis erit profuturum. Diem etiam, quo tranſiturus eſſet, ante duos, ſeu amplius annos, hac ſignificatione demonſtrauit. Epiphaniorum die, cum Lucillus presbyter, ad B.Valentini Rhetiarum quondam Epiſcopi, diem depoſitionis annua ſolemnitate in craſtinum celebrandam, ſolicitus ſe præparaſſet, & hoc Seuerino indicaſſet, ille reſpondit: Si Beatus Valentinus hæc tibi ſolemnia delegauit celebranda; ego quoque tibi in eodē die, Vigiliarum mearum ſtudia derelinquo. His ille ſermonibus tremefactus, cum ſe magis (vtpotè homo decrepitus) enixius ei commendaret, quaſi primitus tranſiturus: Hoc erit (inquit) ſancte presbyter quod audiſti. Nonis itaque Ianuarij cœpit lateris dolore pulſari; quo durante per triduum, medio noctis tempore fratres adeſſe præcepit; quos paterna informatione corroborans, cunctos poſtea ad oſculum iuſſit accedere: & ſacro munitus Viatico, flere ſe penitus prohibuit. Totum deinde corpus ſigno Crucis, extenta manu, conſignans, vt pſallerent imperauit: Sed illis mœroris ſuffuſione cunctantibus, ipſe Pſalmum protulit ad cantandum, dicens: Laudate Dominum in ſanctis eius, &c. & in verſiculo: Om-

nis ſpiritus laudet Dominum, fratribus vix præ fletu reſpondentibus, quieuit in Domino anno 482.

Sur.to.1. M.S. Biblioth. Vall. vbi Acta vberiora, Baron. in Annal.to.6. pluribus.

ANNOTATIO.

Habuit diſcipulum SEVERINVS nomine Bononem, ſeu Bonoſum, Barbarum genere; qui oculorum imbecillitate plurimũ prægrauatus, medelam ſibi præſtari eius orationibus poſcebat, dicẽs: aduentitios, & externos ſalutaris gratiæ ſentire præſidia, ſibi verò nullam remediorum opem aliquatenus exhiberi. Cui Sanctus: Nõ tibi (inquit) expedit (fili) corporeis luminibus aciem habere perſpicuam, & exterioris oculi præferre conſpectum; ora magis, vt obtutus vegetetur interior. Talibus igitur monitis informatus Bonos, dedit operam corde magis videre, quàm corpore; meruitq. abſque vllo faſtidio orationi iugiter inſtare, ac demum quadraginta ferè annis in Monaſterij excubijs perſeuerans, eodem, quo conuerſus eſt fidei calore, tranſiuit ad Dominum. *Idem Sur. ibidem*, vbi alia quoque notatu digna.

XIV.

SEVERVS Epiſcopus Neapolitanus, ante triduum quàm de hoc ſæculo vocaretur, conuocari iuſſit Clerum ſuum, & ante lectum ſacra Myſteria ſibi exhiberi fecit; vt (ſcilicet) vnà cum Clericis oblato ſacrificio, animam ſuam Domino commendaret; ſimul etiam, & eos, quos per diſciplinam Eccleſiaſticam à communione ſacri Myſterij extorres eſſe præceperat, ad pacem priſtinam reuocaret. Et cum hæc omnia cum dictis Clericis celebraſſet, clara voce interrogare cœpit, vbi eſſent fratres ſui: tunc Vrſus Diaconus, cogitans, quod fratres ſuos ideſt Diaconos quæreret, ait illi: Ecce hìc ſunt fratres tui. Cui ille reſpondit dicens: ſcio, ſcio, quia hìc ſunt fratres mei; ſed ego nunc fratres meos Ianuarium, atque Agrippinum dico, qui modò mecum loquuti ſunt, & continuò ad me venturos eſſe dixerunt. His dictis, extenſis ad cœlum manibus, hunc pſalmum Domino decantauit dicens: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi; Auxilium *Apr.30.*

meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Deinde colle-
cta oratione filuit, & quieuit. Facta autem die, Presbyteris,
& Diaconibus, atque omnibus Clericis, exemplo Domini,
Pacis hæreditatem prædicauit; & poftea tacitus vfque ad Ve-
fperam perdurauit. Tunc quafi de graui fomno euigilans, ex-
tenfis manibus in cœlum, lenta voce orauit ad Dominum di-
cens: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis: Paraui
lucernam Chrifto meo; & facto deinde filentio, circa quartã
noctis horam (omnibus qui aderant folicitè vigilantibus) fu-
bitò ingenti terræmotu cubiculum eius concuffum eft; &
ipfe orans, & pfallens, Deo fpiritũ reddidit, anno falutis 381.

Paulus Regius de Sanctis Reg. Neap. p. 2. c. 2. Ferrar. in Catal. M. S. Bibl. Vall. ex Tabul. Eccl. Neap.

ANNOTATIO.

Homo quidam cum balneum ingreffus effet; & poft ablutionem recordatus effet, fe non adduxiffe pretium, quod cuftodi folueret, rogauit eundem vt fuftineret, donec domũ reuerteretur, & id quod debebat (minimum quidem) afferret. Sed hoc quoque oblitus, non poft multum temporis mortuus eft. Balneator autem interpellauit iudicem fuper Vxorem defuncti, quod Vir eius dare debuiffet folidos centum aureos. Cumque mulier quid refponderet nefciret; iuffit iudex, vt aut debitum redderet, aut ipfe creditor haberet eam, vnà cum filijs fuis in fuo famulatu. Quæ venit ad S. SEVERVM, & prouoluta pedibus eius, deprecata eft eum, vt fibi fuccurreret, quia inimicus homo fallacia fua opprimeret eam. SEVERVS autem ait; Viuit Dominus, quia non habeo folidos, nec quidquam, vnde te redimere poffim; fed fuftine me in craftinum, quia facturus eft Dominus mirabilia fua. Manè igitur facto (vt mos erat fuæ Ciuitatis) dedit Clerico Tintinnabulum, vt circuiret Ciuitatem, & conuocaret Populum ad Ecclefiam. Quo conuocato, Epifcopus cum eodem Populo in Pfalmis & Canticis, Proceffionaliter ab eadem Ecclefia vfque ad Cryptam, vbi ille humatus fuerat extra portam Ciuitatis, peruenit. Ibi Vir fanctus orauit, iuffit aperiri fepulchrũ, & cum omnes vidiffent cadauer, quod iam multo tempore iacebat exanime, ait defuncto: In nomine Domini noftri Iefu Chrifti filij Dei viui, furge, fede in tumulo tuo, &

dic

dic nobis, si debuisti dare solidos huic homini, an non? Qui statim surrexit, & cœpit loqui dicens: Per Iesum Christum Dominũ nostrum, in cuius conspectu astas, & exoras die, ac nocte, non debeo solidos dare, nec quidquam aliud, nisi tantummodo paruum precium pro ipso balneo. Tunc exurgentes omnes in balneatorem, voluerunt eum lapidibus obruere, sed Beatissimus SEVERVS prohibuit: conuersus autem ad Defunctum, sic ait: ò Homo vis viuere adhuc in isto præsenti sæculo, aut deprecabor Deum omnipotentem pro te, vt faciat te inter Sanctos suos æternis gaudijs perfrui? Cui ille respondit: si tibi placet, inter Sanctos consortem me esse gaudij concede; Cui Pontifex ait: Requiesce in pace securus; nam & ego rogabo Dominum Iesum Christũ, vt quidquid postulas merearis adipisci. & illicò requieuit iterum in pace. *Iidem ibidem*.

Habetur in Vitis Patrum *libri 6. libello 2. §. 9.* De Emilo Abbate, qui videns quendam Monachum à quibusdam, tanquam homicidam, detentum, accessit ad sepulchrum occisi; orare iussit astantes; ipsoq. manus ad Deum expandente, surrexit Defunctus, aperuit veritatem, Monachiq. innocentiam detexit. Quibus peractis, ait ad eum Abbas: Vade dormi donec veniat Dominus, & resuscitet te, & confestim obdormiuit in Domino.

Idem præstiterunt Sanctorum Stanislaus, Spiridion, Philippus, & alij.

XV.

SEVERVS Rauennæ Episcopus, cum de certa die, qua esset migraturus è corpore, diuinitus certior factus fuisset, eadem ipsa die, sacris (ex more) peractis; & sermone habito apud omnes qui aderant de rebus diuinis; impertitaq. illis pace, & benedictione; ita vt erat vestibus sacris, ac Pontificalibus indutus, ad sepulchrum proficiscitur (in quo antea vxorẽ, & filiam ipse posuerat) ibiq., eisdem vxori, & filiæ medium se collocans, clara voce, & vultu viuido, Vale vltimum dixit filijs suis, marmorq. imponi monumento iussit: sicq. post fusas aliquandiu preces obdormiuit in Domino, anno sal. 348. *Febr. 1.*

Sur. to. 1. M.S. Bibl. Vall. Ferrar. in Catal. Hieron. Rubeus Hist. Rauen. lib. 2. de eo Baron. in Annal. to. 3.

ANNOTATIO.

SEVERVS hic, cum filiam suam Innocentiam (quam ante Epi-

ſcopatū ex matrimonio habuerat, in monumento matris ſuæ Vincentiæ iam demortuæ, ſepulturæ tradere vellet, eiuſdem autem matris cadauer, per illud ſparſum, non relinqueret filiæ locum, ad vxorem verſus: Quid (inquit) moleſta eſſe pergis? Onus tuum ſuſcipe, neque velis eſſe pertinax. Ad cuius vocem, Vincentiæ cadauer ſeſe colligens, filiæ locum fecit. *Idem ibidem*. Simile habetur infra in Anonimo ix.

X V I.

Febr.15. SEVERVS Presbyter Prouinciæ Valeriæ (quæ nunc S. Seueri Vallis nominatur) dum in vinea laboraret, accerſitus fuit, vt quantocyus veniret ad quendam ægrotum, qui ad extrema deuenerat, vt ſuis orationibus pro peccatis eius intercederet; & acta de malis ſuis pænitentia, ſolutus culpa ex corpore exiret. Qui Sacerdos, cum ad ſe venientibus dixiſſet: Antecedite; Ecce ego vos ſubſequor, opus quod reſtabat explere voluit, & deinde ad ægrum perrexit. Eunti verò in itinere occurrentes hi, qui prius venerant, obuiam facti ſunt dicentes: Pater, quare tardaſti? noli fatigari, quia iam defunctus eſt. Quo audito ille contremuit, magniſq. vocibus ſe interfectorē illius clamare cœpit. Flens itaq. peruenit ad corpus defuncti; ſeq. coram lecto illius cum lachrymis in terram dedit. Cumque iam vehementer fleret; in terram caput tunderet; ſeq. reum mortis illius clamaret, repentè is, qui defunctus fuerat, animam recepit. Quod dum multi, qui circunſtabant aſpicerent, admirationis vocibus emiſſis, cœperunt amplius flere præ gaudio. Cumque eum requirerent, vbi fuerit, vel quomodo rediſſet, ait: tetri valde erant homines, qui me ducebant; ex quorum ore, & naribus ignis exibat, quem tolerare non poteram: Cumq. per obſcura loca me deducerēt, ſubitò pulchræ viſionis iuuenis, cum alijs, nobis euntibus obuiam factus eſt; Qui, me trahentibus, dixit: reducite illum, quia Seuerus Presbyter plangit: eius enim lachrymis Dominus eum donauit. Qui S. Seuerus protinus de terra ſurrexit; eiq. pœnitentiam agenti, opem ſuæ interceſſionis præbuit; & dum per ſeptem dies de perpetratis culpis pœnitentiam æger rediuiuus

uiuus ageret, octaua die, lætus de corpore exiuit. Ipse verò Seuerus senio confectus migrauit ad Dominum.

Greg. Dial. lib. 1. cap. 12. Ferrar. in Catal.

ANNOTATIO.

Perpendit loc. cit. Gregorius quàm dilectum SEVERVM Dominus attendit, quem contristari, nec ad modicum pertulit.

XVII.

SIDONIVS Appollinaris Episcopus Aruernensis, febri correptus, cum se mortis indicijs vrgeri sentiret, in Ecclesiam se, suorum manibus, deferri curauit: vbi inter eorum lachrymas animam Deo reddidit, anno salutis 484. *Aug. 23.*

Sur. to. 4. Baron. in Annal. to. 6. Greg. Turon. de gest. Franc. lib. 2. cap. 22. 23. 24. Molan. in addit. ad Vsuard.

ANNOTATIO.

A duobus Presbyteris, Disciplinam odientibus, & auersantibus, iniurijs multis lacessitus, & contumelijs affectus fuit SIDONIVS; Vnus autem ex istis, cum minatus esset insuper eum de Ecclesia velle extrahere, signum ad Matutinum audiens, voluit contra Sanctum explere, quod tractauerat; sed ingressus in secessum suum, dum ventrem purgaret, fætidum spiritum (sicut Arius) emisit.

Migrante SIDONIO Presbyter ille nequam, alter ex duobus, qui remanserat, protinus omnem facultatem Ecclesiæ, tanquam si iam Episcopus esset, inhians cupiditate, præoccupat dicens: tandē respexit in me Deus, cognoscens me iustiorem esse SIDONIO; largitusq. est mihi hanc potestatem. Cumq. per totam Vrbem superbus efferretur, adueniente die Dominico, qui imminebat post transitum sancti Viri, præparato epulo, iussit cunctos Ciues in domo Ecclesiæ inuitari, despectisq. senioribus, primus recumbit in toro. Cui oblato Pincerna poculo, ait: Domine mi, vidi somnium, quod si permiseris edicam. Videbam hac nocte Dominica, & ecce erat domus magna; & in domo erat thronus positus, in quo quasi Iudex residebat, cunctis potestate præstantior: cui assistebāt multi sacerdotum in albis vestibus; sed & promiscuæ Populorum turbæ valde innumerabiles. Verum cum hæc trepidus contemplarer, conspicio eminus inter eos Beatum astare SIDONIVM, &

cum

cum Presbytero illo tibi chariſſimo (qui ante hos paucos annos de hoc mundo migrauit), attentè litigantem; quo deuicto, iubet Rex, vt in imis carceris anguſtijs retrudatur: ablatoq. iſto, contra te iterum ſuggerit, dicens: te in eo ſcelere, propter quod ille prior damnatus fuerat, fuiſſe participem. Verum ubi Iudex, quem ad te tranſmitteret ſolicitè cœpit inquirere, Ego me inter reliquos occulere cœpi, & à tergo ſteti; tractans apud memetipſum, ne forte Ego, qui notus ſum homini, mittar. Dum hæc tacitus voluerem, amotis omnibus remanſi ſolus in publico; vocatusq. à Iudice propius acceſſi. Et ille: ne timeas (inquit) ſed vade, dic Presbytero illi; Veni ad reſpondendam cauſam, quia SIDONIVS te accerſiri deprecatus eſt. Tu verò ne moram facias ad eundum, quia ſub grandi teſtificatione mihi præcepit Rex ille, tibi hæc loqui, dicens: ſi tacueris, morte peſſima morieris. Hæc eo loquente, exterritus Presbyter, elapſo de manu calice, reddidit ſpiritum. *Hæc Greg. vbi ſupra.*

XVIII.

Iun. 1. SIMEON Monachus Treuirenſis reſolutionem ſui corporis ſibi imminere prænoſcens, rogauit Epiſcopum Treuirenſem, vt expenſas, & operarios mitteret, qui ſibi lectum componerent; ipſe autem in parte ſui diuerſorij locum ſepulturæ parauit dicens: Hæc requies mea in ſæculum ſæculi. Rogauit pariter diſcipulum ſuum, vt corpuſculum, ſuis veſtibus exuẽs, alijs quas ad hoc parauerat, indueret; & in eodem loco ſepeliret. Deinde voluit ſibi requiem per aliquot dari dies, quò plus ſolito contemplationi vacare poſſet. In qua quidem requie ſibi conceſſa, vltima die (celebrantibus duobus fratribus exequijs, quæ pro abſolutione animæ celebrari ſolent) ſpiritum Deo reddidit, anno ſalutis 1037. quo etiam anno in Sanctorum numerum relatus eſt.

Baron. in Annal. to. 11. Sur. to. 3. Thritem. de Vir. Ill. lib. 3. c. 238. & in Chron. Monaſt. Hirſaugien. eod. anno.

XIX.

Iul. 21. SIMEON Salus (duobus diebus antequam è vita excederet) Io. Diacono, vitæ ſuæ inſtitutum aperuit; & cum plurima ei dediſſet monita, hæc tandem ſubdidit: Totis viribus curam geras animæ tuæ, vt poſſis tranſmittere abſque vlla tempeſta-

te

te Principes tenebrarum huius aeris. Scit enim Dominus, me magno vexari metu, & ſolicitudine, donec ab eorum ſæuitia fuero liberatus. Hic eſt enim dies malus, de quo dicebat Apoſtolus, & Dauid. Quamobrem rogo te fili & frater Ioannes, omni (ſi fieri poteſt) ſtudio, eſto miſericors: Miſericordia enim nos tunc iuuat pluſquam omnes virtutes; Dicit enim: Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Cumq. hæc, & plura his, ei dixiſſet, abiens ſe recepit in tugurium ſuum. Quando autem communem ſenſit ſibi horam adeſſe, nolens (ne poſt mortem quidẽ) humanum ferre honorem, ingreſſus ſubter ſarmentorum faſcem, in eodem ſacro tugurio, illic dormiens in pace, Domino tradidit ſpiritum.

Sur. to. 4. Lippom. to. 6. ex Leontio Epiſcopo Cypri. De eo Euagrius hiſtor. lib. 4. c. 33.

ANNOTATIO.

1 Dictus eſt Salus, quaſi ſtultus; ſtultum etenim ſe ſimulauit, vt mundi ſapientiam ludificaret.

2 Huius ſancti Viri funus, Angeli ſunt comitati: Cum enim corpus eius ſubter ſarmentorum faſcem fuiſſet repertnm, duo quidam portauerunt illud (abſque eo quod lauiſſent) ſine pſalmodia, ſine cereis, ſine ſuffumigationibus, vt ſepelirent in ſepulchro Peregrinorum; ſed dum tranſirent iuxta domum Hebræi, vitreorum poculorum opificis, quem SIMEON Chriſtianum fecerat, audiuit ille pſalmodiam, cuius ea erat harmonia, vt nulla vox humana eam poſſet pſallere; & tantam vidit multitudinem, quantam humanũ genus congregare non poteſt. Vnde ſtupefactus exijt foras, & vidit Sanctum ab illis duobus tantum elatum, dixitq.. Beatus es Sale, quod cum non habeas homines tibi canentes, habes cœleſtes Poteſtates, quæ te Hymnis honorant. Et ſtatim deſcendens, ſuis manibus eum ſepeliuit. *Sur. in Vita eiuſdem c. 45.*

X X.

SIMEON Stylites ſenior (magnum Orbis miraculum nuncupatus) cum diù vixiſſet, & laboribus; ardore ſolis; hibernà glacie; vehementibus ventorum inſultibus; & humanæ naturæ imbecillitate inexpugnabilis manſiſſet, ad inmenſorum *Ian. 5.*

certa-

certaminum coronas accipiendas migraturus, inclinauit se ad orationem, tres dies sustinens; post quos anima in cœlum euolauit: corpus verò, ne sic quidem cadere sustinuit, sed rectum stetit in loco certaminum, tanquam inuictus Athleta. Obijt circa annum Domini 460. Centenario maior.

Vit. Patrum Heribert. lib. 1. & lib. 9. cap. 26. ex Philotheo Theodoreti Cypri. Baron. in Annal. to. 5. & 6.

ANNOTATIO.

SIMEONIS Discipulus nesciens an migrasset, posuit aurem suā ad auscultandū; & sensit odorem quasi multorū aromatum ascendere de corpore eius; & sic intellexit, quia requieuit in Domino; Vnde consternatus fleuit amarissimè, & tandem præ multa tristitia obdormiuit. Sed statim apparuit ei Vir sanctus dicens: Ego requieui, sicut Dominus voluit; tu verò descende; satisfac Populo; & annuncia de me Antiochiæ secretè, ne tumultus fiat in Populo. Exurgens autem à somno Discipulus, procidit ad pedes eius, osculatusq. est illius vestigia; & tenens manus eius posuit super oculos suos, dicens; Benedic obsecro mi Domine. Cumq. diceret ei quales Reliquias tollam à te in memoriam? motum est illicò corpus eius: Vnde tremefactus timuit eum tangere. Descendit autem, & pergens Antiochiam, fecit, quod sibi per visum iussum fuerat.

Solemni admodum ritu ac pompa delatum est funus, quod ibidem latè describitur. In eo autem aliud contigit mirabile. Cum enim Episcopus Antiochiæ vellet de barba sancti Viri pro benedictione aliquid accipere, extendit manum, statimq. arefacta est. Non solum homines (vt par erat) solemnes illius celebrarunt exequias, sed cœlites quoque easdem cœlestibus honoribus sunt prosecuti. Idem enim Discipulus, vidit Angelum, funus (dum Antiochiam deferretur) comitantem, & seniores septem cum eodem Angelo colloquentes.

Daniel Stylita pariter, longè lateq. absens, solemnem pompam exhibitam à cœlitibus ipsa die, qua triumphans cœlum conscendit SIMEON, agnouit, vt habetur in eius Vita *apud Sur. to. 6.*

Eadem Visio de Triumpho oblata fuit S. Auxentio, cum esset in Bithinia, vt habetur *apud eundem Sur. to. 2.*

Eiusdē quidem SIMEONIS Acta vniuersa essent hic describēda, cum nihil in eis reperiatur, quod non sit notatu dignum. Illud tamen

men ex eisdem non reticendum quod habetur in *Vit. Patr. cap. 7. lib.* 1. his verbis, nempè.

Multitudo vermium scatebat de vulnere putrefacto super femur eius, dum in columna maneret; descendensq. de corpore decurrebat in columnam, & de columna in terram. Antonius autem eius Discipulus, iuxta præceptum illius, colligebat vermes, qui cadebãt ad terram, porrigebatq. illi sursum: At ille ponebat eos sibi in ipso vulnere ad similitudinem iusti Iob, dicens: Manducate, quod vobis Dominus dedit. *& cap.* 8. *eiusdem lib.* 1.

Audiens autem Basilicus Rex Saracenorum famam eius, venit ad eum; videns autem illum stantem sursum, & orantem, subitò cecidit vermis de corpore eius. At ille currens apprehendit eum in fide, & posuit super oculos suos, & videns SIMEON ait; Quare hoc fecisti, Vir illustris, & me grauasti? Vermis enim est de corpore meo putrido; Et cum hæc dixisset, Rex Basilicus aperiens manum suam, inuenit margaritam pretiosissimam, & dixit ad B. SIMEONEM: Non est vermis putridus, sed margarita pretiosissima; Cui ille respondit: Homo, secundum fidem tuam data est tibi, & benedicetur in manibus tuis omnibus diebus vitæ tuæ. Vide simile in Annot. S. Dominici.

Tres fuere Simeones Stylitæ in Orbe clarissimi. Hic nempè, dictus Senior; Iunior alter, de quo in Martyrol. 3. Sept., Seniori notissimus, ambo in Syria; tertius in Cilicia, qui percussus fulmine interijt; anima verò eius visa est ab Abbate Iuliano Stylita, cum tripudio, & exultatione in cœlum ferri. Vnde eadem hora iussit Discipulis suis mittere thimiama in thuribulum. Quod olim incendi solitum in honorem Sanctorum satis insinuat Io. Chrysost. *hom.* 41. *de S. Pelagia Antiochena*. De hoc *in Prat. spir. c.* 57. *& Vit. Pat. lib.* 10. *ex eod. Prati Auctore*.

Illud etiam non omittendum de tanto Viro, quod habetur in Notis Martyrol. Rom. Non. Ian. ex Theodoreto his verbis. Huius egregia sanctitas admirandumq. vitæ genus, quod excoluit, non tantum in Syria (vbi agebat) sed toto innotuit Orbi. Romæ etenim, vt præsens, adeò notus fuit, vt Opifices in omnium officinarum vestibulis; Alij in porticubus, imaginem eius affigerent; hinc vnusquisque sibi auxilium ac tutelam parantes.

De Matre eius vide infra in Anon. xxiv.

X X I.

SISINIVS Anachoreta infirmatus vsque ad mortem orauit Dominum, ne de hoc sæculo migraret, donec audiret

Gregorium Archimandritam venisse in illam Regionem: Adueniens autem Gregorius qui Constantinopolim ad Imperatorem iuerat accessit ad SISINIVM, & cum diu pulsasset, post multam horam aperuit discipulus eius; qui cum annunciasset Seni illum aduenisse, post prolixam horam descendit, dicens ei: Ascende, pater. Ascendentes verò simul, inuenerunt eum obdormisse in pace. Cognouerunt ergo, quia mox vt didicit Gregorium esse, qui pulsauerat, migrauit ad Dominum. Cumq. illum amplexaretur Gregorius, ait illi defunctus, leni voce: Benè veniat Abbas meus, rursumq. obdormiuit.

Anon. Obit. Discipulus autem istius defuncti, dum effoderetur sepulchrum, dixit fodientibus: facite charitatem, & aliquantulum latius fodite, vt duos capiat: Illisq. fodientibus, posuit se ipsum in [a] Psiathio, & requiescens in pace, simul cum Sene sepultus est.

Prat. spirit. cap. 93. in Vit. Patrum Hereb. lib. 10. c. 93.

ANNOTATIO.

[a] *Psiathium* idem est Græcis, quod Storea ex Iunco, & Papyro confecta.

Reliquerat SISINIVS Episcopatum propter Christum, & veniens propè Iordanem ibi vitam solitariam agebat.

XXII.

SISOIS Abbas, in die dormitionis suæ, cum sederent circa eum Patres, & resplenderet tanquam Sol facies eius; dixit ad eos: Ecce Abbas Antonius venit ad nos. Et post pusillũ, rursus dicit eis: Ecce, & chorus Prophetarum. Et iterum amplius refulsit facies eius, & dixit: Beati quoque Apostoli adsunt; visusq. est cum quibusdam loqui. Deprecati sunt autem illum Senes dicentes: cum quo loqueris Abba? Qui dixit eis: Ecce venerunt Angeli accipere me, & supplico illis, vt paululum me pro pœnitentia agenda sustineant. Dicunt ei Seniores: Tu non indiges pœnitentia Pater. Dixit autem illis: verè fratres, nescio, me ipsum, vel initium fecisse pœnitentiæ.

tentiæ. Et rurſum facta eſt facies eius ſicut Sol, & timuerunt omnes. Dixit autem illis: Ecce Dominus venit; & continuò reddidit ſpiritum. factus eſt autem ibi ſplendor magnus, & repletus eſt totus locus ille odore ſuauitatis.

Vit. Patrum par. 2. lib. de Conuerſatione optima diuerſorum Sanctorum, & in collectis per Heribertum lib. 3. n. 162. & lib. 6. libell. 3. n. 6.

ANNOTATIO.

Venit aliquando ad Abbatem SISOIVM ſæcularis quidam cum paruo filio, percipiendæ Benedictionis gratia. Contigit autem vt infans moreretur in via. Quem Pater (ſine vlla perturbatione mentis) ſublatum cum fide portauit ad Senem: Ingreſſusq. cellulam tàm ſe, quàm infantem proiecit in terram, vt moris eſt poſtulantium benedictionem. Oratione autem expleta, exurgens Pater egreſſus eſt foras, filij corpuſculo derelicto ante pedes Abbatis; quem cum adhuc Senex (orandi cauſa) iacere crederet. Surge (inquit) fili, & egredere (Defunctum enim eſſe neſciebat) confeſtimq. puer exurgens, egreſſus eſt, *Vit. Patrum lib. 3. nu.* 120. & *lib. 6. libell. 2. nu.* 13.

Simile habetur *eodem lib. 3. nu.* 121. de Abbate Beſarione. Qui veniens ad Eccleſiam, & inueniens ibi ſæcularem quendam ab immundo ſpiritu vexatum (quem fratres de induſtria illic ſedere fecerant, quaſi dormientem) cum ſibi ab eiſdem fratribus diceretur, vt illum ſuſcitaret, accedens excitauit eum, dicens: Surge, & egredere foras; & mox ab eo egreſſus eſt ſpiritus immundus, & ſanus factus eſt ex illa hora.

Paralyticum etiam eodem ſtratagemate ſanari contigit ab ipſomet Beſarione: Quidam enim habens filium Paralyticum in Ægypto attulit eum in cellam B. Beſarionis, & reliquit eum ſuper oſtium plorantem, atque receſsit. Cum autem Senex per feneſtrã vidiſſet eum, dixit: Quis te huc detulit fili? Cui infans reſpondit: Pater meus detulit me, & ipſe diſceſsit; Cui ſenex dixit: Surge, & adiungere illi; & mox ſanus effectus, ſurrexit, & peruenit ad Patrem ſuum. *eod. lib. 3. n.* 122.

Renuebat quidem SISOIVS ex humilitate maxima, qua præditus erat, huiuſmodi ſigna, rogatus, facere; nec quiſquam audebat fratrum, eius opem, aut preces implorare. Ipſe tamen, qui charitate etiam flagrabat maxima, aliorum videns neceſsitatem, au-

xilio non deerat opportuno ; eisq. (etiam non requisitus) præstò erat. Quod præcipuè apparuit in eo quod habetur in eisdem *Vit. Patrum lib.6.libell.2.n.14.* his verbis:

Tentatus est aliquando Abraham Discipulus eius à Dæmonio, & videns eum Senex quia cecidit, surrexit, & expandit manus suas ad Deum dicens: Deus, vis non vis, non dimitto, nisi curaueris eum & curatus est frater ille.

Innumera sunt huius sancti Viri documēta, quæ sparsim in dictis Vitis Patrum leguntur, & ex rerum indice colligi possent. hoc tamen non prætermittendum quod habetur *lib.5. libell.4.n.39.* his verbis:

Dixit aliquando cum fiducia Abbas SISOI, Crede, quia ecce triginta annos habeo, quod non deprecor Deum propter peccatū, sed orās hæc dico: Domine Iesu Christe protege me à lingua mea; & vsque nunc per singulos dies corruo per ipsam, & delinquo. nec illud omittendum quod habetur libri eiusdēm *libell.11.n.27.* nēpè;

Frater inrertogauit Abbatem SISOIVM dicens: Desidero custodire cor meum. Dicit ei Senex: & quomodo possumus custodire cor nostrum, si lingua nostra ianuam apertam habuerit? Illud quoque non prætereundum quod legitur *lib.7.c.37.n.1.* his verbis nempè.

Abbas SISOIVS dixit, cum fuissem aliquando in Mercato, & sportellas meas fratri venderem, videns, quia iracundia approximabat mihi, dimisi vascula mea fugiens.

SOPHIA Clementis Ancyrani Mater, Vide supra in CLEMENTE.

XXIII.

SOPHRONIA Romana, cum audiret, pro foribus stare Maxentij Tyranni ministros, qui eam ad turpitudinem admittere vellent, & Virum suum (Romanorum Præfectum) metus causà, eos permisisse ipsam arreptam perducere, paululum temporis poposcit, vt corpus suum decenter exornaret. Itaq. cubiculum ingreditur, & cum sola esset, ense se ipsam transfixit, & mortua statim concidit, cadauere perductoribus Imperatoris relicto.

Baronius in Annal. Eccl. to.3. anno Christi 309. ex Eusebio lib.8.cap.26.

AN NO-

ANNOTATIO.

Excusat eam Baronius, quod contra leges gentiles, ac Christianas violentas manus sibi intulerit; cum hoc ei latenter Spiritus sanctus iusserit; sicut de Sampsone ait Aug. *lib.1. de Ciuitate Dei cap.11.* & aliarum fœminarum similia affert exempla, nempè Pelagiæ Antiochenæ, & eiusdem Pelagiæ Matris, & Sororum, de quibus supra.

XXIV.

SPES Abbas, cũ iam quadraginta annis cæcus fuisset, lumẽ recepit à Domino, & notitiam pariter sui vicini obitus. Monasterijs igitur (circunquaque constructis) verbum vitæ prædicauit; & quintodecimo die ad Monasterium suum (peracta prædicatione) reuersus est. Vbi fratribus conuocatis, astans in medio, sacramentum Dominici Corporis, & sanguinis sumpsit; moxq. cum eis, mysticos psalmorum cantus exorsus est; & illis psallentibus, ipse orationi intentus, animam emisit, in columbæ visam specie, cœlos penetrare. *Mart.28*

Greg.Dial.lib.4.cap.10. ex quo Ferrarius in Catal.

XXV.

SPIRIDION Archiepiscopus Trimituntis, dum segetes meteret, suum astantibus prædixit obitum; quem insuper magna gloria à Domino fore circundandum, & ab vtriusque sexus hominibus splendidè, & magnificè suum peragendum festum asseruit. Quibus dictis, facta admonitione, & oratione, non multò post spiritum Deo reddidit. *Dec.14.*

Sur.to.6.Dec.12.Lippom.to.5.Baron.in Annal.to.3.

ANNOTATIO.

Tempus erat æstatis, & ipse Spiridion, qui suis manibus plurimum vtebatur in opere, accepit falcem, & incœpit metere: repentè verò admodũ tenues guttæ roris (Deo tunc minime pluente) solum sacrum illius caput petierunt. Hanc rem admirabilem, alia quoque consecuta fuit admirabilior. Cum enim ille suũ caput dextera tenens, ijs, qui aderant ostenderet roscidum, continuò capilli effloruerunt simul flaui, nigri, & albi: Ille autem cognouit tunc proximum sibi adesse exitum, quem prædixit gloriosum, vt dictum est.

Ante Episcopatum obierat vxor, quam habuerat, relicta filia nomine Irene, quæ ipso absente, pariter mortua est. Reuersus autem, cum quædam mulier tristis admodum, & deflens accessisset ad eum, dicens, se apud filiam, ornamentum quoddam aureum deposuisse; & (illa celeri morte præerepta) quod eius fidei creditum fuerat, apud eam mansisse, nec inueniri, totam domum suam SPIRIDION diligenter scrutatus, nec id quod quærebatur reperiens, accessit ad loculum filiæ, multis præsentibus; eaque suo nomine vocata, cunctis audientibus: filia Irene (inquit) vbi est ornamentum, quod apud te fuit depositum? Illa tanquam ex molli somno expergefacta: Domine mi (inquit) in hac parte domus fuit à me repositum: Quo audito: Dormi de cætero (inquit) filia, donec communis Dominus te cum omnibus excitauerit. Deinde accessit ad locum, inuenit ornamentum, & mulieri tradidit.
Idem Sur. cap.16.

Simile habetur apud Mombritium, S. Anton. & alios de S. Donato Episcopo Aretino, qui suscitauit pariter mulierem nomine Euphrosinam in sepulchro iacentem, vt pecuniam fisci, quam ipsa absconderat, & ob quam Vir eius Eustasius ad supplicium trahebatur, reuelaret. Suscitauit etiam idem Donatus (ad horam) quendam defunctum, qui à creditore suo, ob non sibi solutum debitum (quemadmodum ille falsò asserebat) sepeliri non permittebatur; accedens etenim Donatus ad feretrum defuncti, eum illicò surgere, & causam cum creditore suam agere iussit; qui in lectulo statim rediuiuus residens, eundem creditorem falsitatis arguit: Chirographum, sua incuria non deletum, sibi reddi facit; eoque conscisso, conuersus ad Virum sanctum: iube me (ait) iterum dormire; respondens autem Donatus: vade fili in pace; in pace denuò requieuit.

Suscitauit etiam SPIRIDION puerum mortuũ, quem ad pedes eius deposuerat Mater, sed cũ excitatus esset precibus sancti Viri, Mater (nimiam non ferens lætitiã) in terra cadens expirauit. In cœlum ergo intuens SPIRIDION, & Dominum precatus, dixit ei, quæ iacebat: Surge, & sta supra pedes tuos. Illa autem repentè surrexit, & ei astitit, atque infantem in vlnis accepit.
Idem Sur. cap.25.

Cum venisset SPIRIDION ad Constantium Imperatorem morbo laborantem, videns Triphilium, eius celsitudinem admirantem, dixit ei: sed mihi Triphili illum ipsum ostende Imperatorem; neque enim possum scire, quisnam sit. Is autem manu eum ostendens:

Quid

Quid est ergo (inquit Vir sanctus) hic alijs admirabilior, nisi eum etiam dixeris iustiorem ob fastum, & splendorem? Non æque ac quiuis pauper ignotus morietur? Similiter verò sepulturæ mandabitur, & interibit! Similiter quoque sistetur ante incorruptum Iudicem? Cur quæ fluũt, tanquam quæ sunt stabilia, honoras; & quæ nihil sunt habes in admiratione? cum liceat potius ea, quæ sunt materiæ expertia, & æterna quærere, & gloriam amare cœlestem, in quam non cadit interitus.

XXVI.

STANISLAVS Hosius S.R.E. Cardinalis Vermiẽsis post longos pro Ecclesia exantlatos labores, mortẽ vicinam cogitans, suum condidit in scriptis testamentum. Menses igitur aliquot ante eius obitum cæpit valdè languidè valere, & alui fluxu paulò vehementiori laborare. Nunquam tamen adduci potuit, vt de studio, lectione, scriptione, cæterisq. pietatis exercitijs quidquam remitteret. Rogatus, vt antequàm cœlum Romanum ignibus vehementioribus, quibus solebat vim penè totam languidi corporis exhaurire, inflammaretur, ab Vrbe secederet; valetudini operam daret; seque Christianæ Reipublicæ conseruaret, nullatenus voluit Roma pedem efferre, nisi post festum Beatissimorum Petri, & Pauli, quos ille in summo semper cultu, & veneratione habuit; maluitq. subire suæ valetudinis periculum, quàm honori tantorum Apostolorum in ipso loco deesse, in quo profuso pro Christi fide sanguine, Deo suum spiritum reddiderunt. Sic igitur quinto idus Iulij, Capranicã versus, ex Vrbe discessit; vbi magis ac magis cœpit ventris profluuio laborare. Quæ res illi, & cibi appetentiam ademit, & somni cursum impediuit; omnesq. in vniuersũ corporis vires vehemẽter exhausit. A veteri nihilominus suo instituto (in Ecclesijs nempè, Missæ sacrificiũ offerendi, vel aspiciendi) ne in illa quidem tanta corporis debilitate, & languore, sibi putauit esse recedendum. Quamobrem, etsi vix pedibus posset consistere, ad Ecclesiam tamen singulis diebus accedebat; sed hanc illi facultatem morbi vehementia paulòpost abstulit, ita vt non posset nec extra priuatos parietes pedem efferre. Obtenta idcircò facultate celebrandi *Aug. 5.*

lebrandi in priuato cubiculo, adduci non potuit, vt languens corpusculum in lectulo contineret; sed in aliud nihilominus cubiculum, offerendo sacrificio destinatum, ita vt poterat, se-cedebat; in quo, genibus flexis, & manibus in cœlum eleuatis, vim lachrymarum profundens, Dei misericordiam tota mentis, animique contentione implorabat. Cum ad cibum sumendum illi accedendum erat, ad pœnam se vocari dicebat; ac sæpè coram medicis de suo Patre familias (stomachum autem intelligebat) questus est, quod perperam suo munere fungeretur: alimenta enim, quæ reliquorum membrorum sustentandorum gratia recipiebat, non in corporis membra diuidebat; sed sine vllo fructu, non autem sine maximo cruciatu, subinde foras emitteret. Quoties à suis rogabatur, vt cibo reficeretur, suam ille vicissim infelicitatem deplorabat, quod in sua, inque tam numerosa familia, nemo inueniretur, qui ad recitandas preces; vel ad Missæ sacrificium audiendũ adhortaretur; aut ad debitas Deo laudes tribuendas inuitaret; sed omnes (quasi conspiratione facta) cibum istum corporalem obtruderent; seque vellent facere Helluonem, & in eo summam recuperandæ valetudinis esse constitutam existimarent.

A Gregorio XIII. summo Pontifice, pluribusue S. R. E. Cardinalibus grati animi diuersa sibi exhibita fuere officia. Plures etiam eum visitarunt; quorum vni, cum illum ad sustinendam morbi molestiam esset adhortatus, dixit Stanislaus (ex alto suspiria ducens, & oculorum acie in cœlum conuersa) paratus sum, & non sum turbatus; fiat voluntas Domini; fiat voluntas Domini.

Accidit autem, vt pedem eius dexterum grauissimus quidam, & acerbissimus dolor inuaderet; qui nullo momento temporis intermisso, quod vnum adhuc illi remanebat, omnium laborum, & solicitudinum perfugium, somni quoque facultatem perturbabat; nec vllum prorsus ocij, & quietis beneficium concedebat. In summis autem illis angustijs (facta Pij Papæ V. honorificentissima mentione) frequentius in-

clamabat ipse quoque: Auges Domine dolorem; auge & patientiam. Tum & illa Psalmistæ verba, sæpius iterata, proferebat: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit iram tuam; & flagella quis sustinebit? Tum & illud: Non secundum iniquitates nostras retribuas nobis. Cumq. (adhibitis remedijs) vis doloris nequaquam remitteret, significauit medicis, vtrum forte expediret, afflictum, & dolentem, vel etiam vtrumque pedem potius abscindere, & reliquum vniuersum corpus seruare. Sperare namque se in Dei misericordia, quod etiam claudus ad Regni cœlestis possessionem perueniret. Interim preces suas ad Dominum effundere non cessabat. Illud autem decantabat sæpissimè: O Crux aue spes vnica. Et intentis in cœlum oculis, signo sanctissimæ Trinitatis (pro veteri more suo) tribus coniunctis digitis, ad significandum sanctissimæ Trinitatis mysterium, subindè se muniebat. Medicis meliorem valetudinem promittentibus, dicebat: Non est, quod deinceps tanto studio de valetudine mea laboretis: iam enim tempus resolutionis meæ instat. Immò verò, quantas maximas animus meus capere potest, Deo meo ago gratias, quod ad eum ætatis annum peruenire me voluit, ad quem peruenit sanctissimus & doctissimus Doctor ille Ecclesiæ (quem ego præ cæteris omnibus in vita mea colui, & imitari quantum potui conatus sum) diuus Augustinus, qui, & ipse in septuagesimosexto ætatis suæ anno sanctissimam suam animam Deo Saluatori suo reddidit. Quis scit, an hanc mihi præterea gratiam impetrabit, vt ego quoque animam meam non solum eodem quo ille ætatis anno, sed etiam eodem quo ille die, Iesu Christo Deo, & Saluatori meo restituam? Sed nihil aliud volo, quàm quod tu vis Domine: Fiat voluntas tua; fiat voluntas tua: Paratus sum, & non sum turbatus; paratus sum, & non sum turbatus. Spero certè quod mihi sanctus ille doctor in occursum veniet, & animam discipuli sui, Deo meo (cui semper seruire conatus sum in veritate) repræsentabit. His dictis, cum quidam familiaris bono animo esse iuberet, multos ei promittens an-

nos: Rogo te (inquit) noli mihi adulari. Et quoniam instabat festum sanctæ Marthæ, ego (inquit) cum Martha Deum meum sub tectum meum excipere hoc ipso die decreui. Itaq. die sanctæ Marthæ sacro, cum horas canonicas deuotissimè genibus flexis absoluisset, Missam attentissimè audiuit, iunctis semper, & in cœlum eleuatis manibus; cumque tempus Eucharistiæ sumendæ aduenisset, in nudam humum ante altare se proiecit; Confessionem dixit, lachrymis & singultibus interruptam; & tandem sacratissimam Eucharistiam suscepit.

Ingrauescente in dies morbo, & omni prorsus cibi appetentia deperdita, quando vt cibi aliquid amplius sumeret admonebatur, respondebat: Cum olim pro continentiæ virtute Dominum deprecaretur D. Augustinus, dicebat ille, Domine da quod iubes, & iube quod vis; sic & ego vobis omnibus possum respondere; date vt possim facere quod iubetis, & iubete quod vultis.

Pridie eius diei, quo sanctissimam suam animam Deo reddidit, totius anteactæ vitæ generalem confessionem præmittendam esse existimauit. Noctem verò totam, ex alto subinde suspiria ducens, dicebat: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Domine quis sustinebit? Nec vllo momento temporis animum à futuræ vitæ contemplatione, atque à fundendis orationibus auertit. Horam septimam, quæ fuerat ad celebrandam Missam designata, solicitè, & cupidissimè expectabat; qua imminente, oris siccitatem abluere cupiēs, & ieiunij obseruationem violare timens, quia sanctissimum Christi corpus sumere decreuerat, ab eius Confessario certiorari voluit, id licere. Maxima nihilominus cautione hoc egit, vt ne vel guttam quidem vnicam passus sit paulò profundius descendere. Quod vbi factum est, cæpit cum assistente Matutinas horas de B. Maria virgine ad Niues, cum lachrymis, & suspirijs deuotissimè recitare. Vbi verò ad Hymnum, Te Deum laudamus ventum est, languentia membra in terram voluit prosternere, & genibus flexis totam illam gratiarum actionem recitare.

Hora

Hora tandem septima Confessarius ad celebrandum Missę sacrificium accessit; ipse verò (suis reluctantibus) conabatur ante ipsum altare in medio cubiculo genuflectere; & quamuis id obtinere non valuerit, cum aduenisset tempus Eucharistiæ sumendæ, nullis precibus, nulloque conatu retineri potuit, quominus è lectulo in terram se demitteret; & quantum poterat demissè, humiliterq. Dominum reciperet. Absolutę Missæ sacrificio, Sacramentum sacræ Extremæ vnctionis impertiri sibi petiuit: illudq. deuotissimè, & inuicto quodam animi robore suscepit. Deinde cum paululum à labore respirasset, oculos ad vniuersam familiam conuertit, in terra prostratam, orantem, & plorantem; cumque omni humilitate ab omnibus in vniuersum, condonari sibi petiuit, si quemquam offendisset; seque vicissim omniũ erroribus veniam ex animo impertiri professus est, à quocunque læsus aliquando esset. Ad extremum sacra sua manu altius, vt poterat, eleuata, ternis vicibus eiulanti familiæ benedixit, dicens: Dominus vos benedicat; Dominus vos custodiat; Dominus vos ab omni malo conseruet, Amen: Ite in pace. Tunc accepta benedictione, sacram eius manum omnes ex ordine, sunt deosculati. His omnibus peractis, ad orationem se conuertit, & Primam, Tertiam, Sextam, cum assistente deuotissimè recitauit; subinde Virginis gloriosæ intercessionem implorans; vt sibi viam ad perpetuas Niues, & sempiterni temporis refrigerium, orationibus suis patefaceret. Cum autem ad Nonam ventum esset: sufficit (inquit) iam non dicemus Nonam; nisi fortè cum Angelis in cœlo.

Quoniam autem Episcopus Nepesinus triduanas per omnem Diœcesim suam supplicationes, pro salute tanti Viri indixerat, accidit, vt hoc ipso temporis momento, penès Palatium transirent ad Ecclesiam B. Virginis, puellæ quædam Virgines non paucæ, cantantes Litanias, & valetudinem Cardinalis Domino commendantes; quarum voces cum audisset, quæsiuit, quænam essent ista Cantica? Audiens autem quod Episcopus publicas supplicationes instituisset, & quod voces,

quas audiret, erant virginū pro incolumitate sua Deum suppli-
cantium, ille vehemēter exhilaratus, eleuatis in cœlum manibus: magnas (ait) ago gratias Epicopo, & istis Virginibus, & omnibus, qui pro me miserrimo peccatore solicitudinē istam capiunt: Scio quod magnum pondus habere apud Dominum castissimarum Virginum, & innocentium puerorum orationes consueuere: Sed nihil aliud ego volo, quàm quod tu vis Domine; fiat voluntas tua: Ne momento quidem temporis viuere cupio, vltra quod constituit mihi Dominus: Paratum cor meum, paratum cor meum. Iussit deinde Dominicæ passionis historiam legi: quoties autem fiebat nominis Iesu commemoratio, toties languentem, atque deficientem dexteram ad caput attollens, pileum deponebat. Cum alapæ mentio facta est, os ipse quoque suum, eleuata manu verberauit. Vbi verò flagella, & spinea corona commemorarentur, & Confessarius acerbitatem illius doloris, quem Saluator noster pertulit, ob oculos poneret; atque ad fortiter perferendam mortem adhortaretur; Cardinalis respondit: fortiter, & constanter. Cum autem ad illa verba ventum esset, vbi Dominus emisisse spiritum legitur, ad parietem capite paululum conuerso, alta voce (ita vt ab omnibus audiretur) Dominicam orationem, & Angelicam salutationem articulatim, & distinctè recitauit; item: O Crux Aue spes vnica, ò Crux aue spes vnica; tum & illud: Per passionem tuam Christe salua nos; tum & illud quoque: Iesu Christe fili Dei viui miserere mei. & (quod in omni vita sua, in ore, & animo perpetuò habuit) Mane nobiscum Domine, Mane nobiscum Domine.

Crucifixi præterea imaginem quam in manibus habebat, sic amplexabatur, clauorumq. vestigia osculabatur, vt planè ostenderet, quàm ardentibus fuerit erga Deum charitatis ignibus inflammatus.

Tandem orationibus, quæ legebantur intentus, & signo sanctissimæ Crucis pectus suum frequenter muniens, cum aliquoties illa Saluatoris verba iterasset: In manus tuas Domine commendo spiritum meum: Iesu quoque salutare nomen

inuocasset; postquam prorsus omnia, quæ pro animæ commendatione præcipit Ecclesia, lecta, perfectaq. fuere, illo ipso B. Virginis Mariæ festo, nonis Augusti, hora nona obdormiuit in Domino, anno 1579.

Stanislaus Rescius in vita ipsius, Romæ impressa 1587.

Vide infra testamentũ ipsius pijssimum, & lectu dignissimũ.

XXVII.

STEPHANVS Papa X. apud Florentiã decumbens, dum Hugo Abbas Cluniacensis eum visitaturus accederet, eumq. Sanctis consolationibus, & orationibus releuaret, vidit Dæmonem (qui sibi morituro manifestus aduenerat) territum exire, & Viro sancto recedente, iterum redire. Vnde sæpius ad se Pontifex Hugonem reuocauit, sæpiusq. Vir sanctus Dæmonem (reuocatus) abegit; sicut ipsemet Pontifex astantibus reuelauit; qui postmodum eiusdem Sancti se precibus commendans, coram eo spiritum Deo reddidit, anno salutis 1058. *Apr. 29.*

Baron. in Annal. tom. 11. De eodem Sur. tom. 4. in vit. Io. Gualberti.

XXVIII. *Sept. 7.*

STEPHANVS Episcopus Diensis, cum in morbum incidisset, & multi circa eius ministerium essent soliciti, ægrè ferebat, sciens adesse iam migrationis tempus. Vrgentibus Ecclesiæ suæ filijs, vt testamentum faceret: Non est (inquit) necesse, cum omnia sint sponsæ meæ, quam gubernandam suscepi. Porrò quædam ægrota mulier, quæ nulla medicorum arte poterat curari, vt audiuit virum Dei decumbere, pro recuperanda salute, benedictionem eius summoperè expetijt; & ad illum intromissa, benedicitur, ac sana recedit. Ita ille dum corporis aduersa valetudine contabescit, alijs sanitatem impetrat. Videns autem adesse supremum vitæ diem, confessus est peccata sua, petijt Ecclesiæ Sacramenta; cunctisq. ritè confectis, inter verba orationis migrauit ad Dominum, anno salutis 1213.

Sur. tom. 5.

ANNO-

ANNOTATIO.

Cum aliquando concionaretur STEPHANVS ad populum duræ ceruicis, qui diem Dominicum præcipuè, non solum non honorabant, immò contra Dei præceptum, Diabolo dedicabant (illo nempè solo die exercentes nundinas, tabernas, choreas. ludos, luxus, & perniciosa spectacula) nec admitterent sermones eius, quibus eos arguebat; præcepit Dæmonibus (qui ad illa facinora eos incitabant, & quorum voluntati parebant) vt sine vlla cuiusquam læsione palàm se eis visendos exhiberent. Mox parent STEPHANO Dæmones, quem homines peruicaces audire nolebant; & huiusmodi horrendo, ac terribili spectaculo, cæpit obcæcata gens aperire oculos, & vitam ac mores corrigere. *Idem Sur. in vita ipsius cap. 9.*

Anon. obit. Quidam ex subditis eius ægrotans, diabolo illum possidente, vultu, voce, alijsque signis se desperare significans, & peccata sua confiteri renuens, à nemine voluit audire verbũ Dei. Vbi id cognouit STEPHANVS, ad eum accedit, hortatur ad faciendam confessionem, Dei misericordiam, & clementiam pollicetur: Sed emollire eum non poterat. Ad solitas igitur preces cum lachrymis se conuertit. Et ecce æger homo, ad virum Dei se vertens, peccata sua integrè confitetur, absolutionem impetrat, expetit sacrosanctam Vnctionem: & vtraque percepta, mox spiritum reddidit. *Idem Sur, cap. 11.*

XXIX.

Febr. 13. STEPHANVS Ordinis Grandimontensis institutor, obitum suum, per Spiritum sanctum appropinquare prænoscens, ab exteriori cæpit vacare colloquio; seque totum doctrinæ discipulorum, & orationi commendare. Cum autem eos commoneret, illique de suo decessu dolentes, absque eo viuere non posse dicerent (pro cuius amore necessaria sibi Deũ præbuisse nouerant) subdidit Vir sanctus: Deum solum vobis relinquo, cuius sunt vniuersa: Si amando paupertatẽ ei constanter adhæseritis, ipse prouidentia (qua gubernat omnia) largietur vobis quod nouerit expedire: Si verò (quod absit) amando temporalia ab eius amore recesseritis, nolo vobis, vnde ad ipsum impugnandum pascamini, relinquere. Tandem lethali morbo correptus, & Sacramentis Ecclesiæ munitus

migrauit

migrauit ad Dominum in illis verbis: In manus tuas Domine commendo ſpiritũ meum, anno Chriſti 1126. ætatis ſuæ 80.

Vinc. Belluac. ſpec. hiſt. lib.25. cap.46. & ſeqq. Antonin. Chron. par.2. tit.15. cap.21. Baron. in Annal. tom.12.

ANNOTATIO.

Huius ſancti Viri obitus (quem fratres celare ſtatuerant, vt eius exequias ſine tumultu celebrarent) Deo reuelante innotuit. Puer enim quidam in extremis poſitus, cùm à Matre ſua (exitum præſtolante) ſeruaretur, ſubitò in hæc verba prorupit: Video (inquit) ſcalam lucidiſſimam; cuius altera pars tangit Muretum (locum ſcilicet vbi ſanctus manebat) & Angeli multi deſcendunt per eam, vt animam D. Stephani perducat ad gloriam: Quod & Sacerdoti illius vici, ac monachis quibuſdam (ad rei nouitatem vocatis) enarrauit, ſubdens: Hoc erit vobis indicium, quod veritatem dixi, quod iam moriar, nec vltra vobiſcum loquar; ſed aſcendam cum ſanctiſſimo Patre, & Angelorum multitudine. Quibus dictis expirauit. Sacerdos autem cum monachis eiuſdem, ac populi multitudine ad ſancti Viri Monaſterium properans, eundem obijſſe eodem temporis momento, didicit; ac ianitorem (id pateſacere detrectantem) fateri coegit. Tranſlatum deinde ſancti Viri corpus, & ſub altare (paucis ſcientibus) reconditum diuinitus pariter, vbi eſſet innotuit. Miles enim quidam infirmus illuc deportatus, vt in orationibus fratrum reciperetur, cum ante altare deferretur, mox vt lapidem ſepulchri, pedibus ſuis tetigit, exclamãs, ait: Sinite me, quia modò factus ſum ſanus: Iacet hìc aliquis Sanctus tumulatus, pro cuius meritis ſanitatem mihi contulit Dominus. Cumque Prior eum increparet vehementer, & ne hoc diceret, prohiberet, ille validius præ gaudio clamabat: Hic ſanus factus ſum. *Anon. obit.*

Hiſce, alijſque miraculis plurimis, mirificauit Dominus ſanctum ſuum. Idem autem Prior timens ſibi, ſuiſque quietem minui, ſi populorum turbæ locum, ob crebra miracula, frequentarẽt, venit ad ſepulchrum, & ita locutus eſt: ſerue Dei, tu oſtendiſti nobis paupertatis viam, & docuiſti nos incedere per eam: Nunc verò de arcta via ad latam, & ſpacioſam tuis nos vis miraculis reuocare? Et qui prædicaſti ſolitudinem, nunc in ſolitudine foros, ac nundinas vis congregare? Non curioſitate ducimur, vt miracula videre velimus; ſanctitati tuæ ſatis credimus: Caue igitur ne de

cætero

ANNOTATIO.

Cum aliquando concionaretur STEPHANVS ad populum duræ ceruicis, qui diem Dominicum præcipuè, non solum non honorabant, immò contra Dei præceptum, Diabolo dedicabant (illo nempè solo die exercentes nundinas, tabernas, choreas. ludos, luxus, & perniciosa spectacula) nec admitterent sermones eius, quibus eos arguebat; præcepit Dæmonibus (qui ad illa facinora eos incitabant, & quorum voluntati parebant) vt sine vlla cuiusquam læsione palàm se eis visendos exhiberent. Mox parent STEPHANO Dæmones, quem homines peruicaces audire nolebant; & huiusmodi horrendo, ac terribili spectaculo, cæpit obcæcata gens aperire oculos, & vitam ac mores corrigere. *Idem Sur. in vita ipsius cap.9.*

Anon. obit. Quidam ex subditis eius ægrotans, diabolo illum possidente, vultu, voce, alijsque signis se desperare significans, & peccata sua confiteri renuens, à nemine voluit audire verbū Dei. Vbi id cognouit STEPHANVS, ad eum accedit, hortatur ad faciendam confessionem, Dei misericordiam, & clementiam pollicetur: Sed emollire eum non poterat. Ad solitas igitur preces cum lachrymis se conuertit. Et ecce æger homo, ad virum Dei se vertens, peccata sua integrè confitetur, absolutionem impetrat, expetit sacrosanctam Vnctionem: & vtraque percepta, mox spiritum reddidit. *Idem Sur. cap. 11.*

XXIX.

Febr. 13. STEPHANVS Ordinis Grandimontensis institutor, obitum suum, per Spiritum sanctum appropinquare prænoscens, ab exteriori cæpit vacare colloquio; seque totum doctrinæ discipulorum, & orationi commendare. Cum autem eos commoneret, illique de suo decessu dolentes, absque eo viuere non posse dicerent (pro cuius amore necessaria sibi Deū præbuisse nouerant) subdidit Vir sanctus: Deum solum vobis relinquo, cuius sunt vniuersa: Si amando paupertatē ei constanter adhæseritis, ipse prouidentia (qua gubernat omnia) largietur vobis quod nouerit expedire: Si verò (quod absit) amando temporalia ab eius amore recesseritis, nolo vobis, vnde ad ipsum impugnandum pascamini, relinquere. Tandem lethali morbo correptus, & Sacramentis Ecclesiæ munitus

migrauit

migrauit ad Dominum in illis verbis: In manus tuas Domine commendo ſpiritũ meum, anno Chriſti 1126. ætatis ſuæ 80.

Vinc. Belluac. ſpec. hiſt. lib. 25. cap. 46. & ſeqq. Antonin. Chron. par. 2. tit. 15. cap. 21. Baron. in Annal. tom. 12.

ANNOTATIO.

Huius ſancti Viri obitus (quem fratres celare ſtatuerant, vt eius exequias ſine tumultu celebrarent) Deo reuelante innotuit. Puer enim quidam in extremis poſitus, cum à Matre ſua (exitum præſtolante) ſeruaretur, ſubitò in hæc verba prorupit: Video (inquit) ſcalam lucidiſſimam; cuius altera pars tangit Muretum (locum ſcilicet vbi ſanctus manebat) & Angeli multi deſcendunt per eam, vt animam D. Stephani perducat ad gloriam: Quod & Sacerdoti illius vici, ac monachis quibuſdam (ad rei nouitatem vocatis) enarrauit, ſubdens: Hoc erit vobis indicium, quod veritatem dixi, quod iam moriar, nec vltra vobiſcum loquar; ſed aſcendam cum ſanctiſſimo Patre, & Angelorum multitudine. Quibus dictis expirauit. Sacerdos autem cum monachis eiuſdem, ac populi multitudine ad ſancti Viri Monaſterium properans, eundem obijſſe eodem temporis momento, didicit; ac ianitorem (id patefacere detrectantem) fateri coegit. Tranſlatum deinde ſancti Viri corpus, & ſub altare (paucis ſcientibus) reconditum diuinitus pariter, vbi eſſet innotuit. Miles enim quidam infirmus illuc deportatus, vt in orationibus fratrum reciperetur, cum ante altare deferretur, mox vt lapidem ſepulchri, pedibus ſuis tetigit, exclamãs, ait: Sinite me, quia modò factus ſum ſanus: Iacet hic aliquis Sanctus tumulatus, pro cuius meritis ſanitatem mihi contulit Dominus. Cumque Prior eum increparet vehementer, & ne hoc diceret, prohiberet, ille validiùs præ gaudio clamabat: Hic ſanus factus ſum. *Anon. obit.*

Hiſce, alijſque miraculis plurimis, mirificauit Dominus ſanctum ſuum. Idem autem Prior timens ſibi, ſuiſque quietem minui, ſi populorum turbæ locum, ob crebra miracula, frequentarẽt, venit ad ſepulchrum, & ita locutus eſt: ſerue Dei, tu oſtendiſti nobis paupertatis viam, & docuiſti nos incedere per eam: Nunc verò de arcta via ad latam, & ſpacioſam tuis nos vis miraculis reuocare? Et qui prædicaſti ſolitudinem, nunc in ſolitudine foros, ac nundinas vis congregare? Non curioſitate ducimur, vt miracula videre velimus; ſanctitati tuæ ſatis credimus: Caue igitur ne de

cætero

cætero ea miracula facias, quæ tuam extollant sanctitatem, & nostram destruant humilitatem.

Sic S. Stephani alumnus (humilitatis, ac solitudinis studio, zeloq. permotus) virtutes, quas à Magistro didicerat, vel inuitus patefecit.

Plura quidem, ac præclara de tanto viro narrantur facinora, scitu, & imitatione dignissima; satis autem erit hic recensere flagrantissimum eius in Deum amorem, quo ab ipsa ineunte ætate æstuare cœpit; quando Diuino se mancipans famulatui, professionem suam in hæc verba descripsit:

Ego Stephanus abrenuntio diabolo, & omnibus pópis eius, & offero me, ac reddo Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Schedulamq. super caput suum imponens diuinæ lætus se subdidit, ac dicauit seruituti.

Animarum item zelum; precumq. eius efficaciam, quæ apparuit præcipuè in conuersione cuiusdam Militis, immensi criminis rei: Qui timens ne Vir sanctus pro eo oraret, rogauerat eum ne deprecaretur pro eius salute; eo quod peccatum quoddam intantum diligebat, vt nullatenus illud relinquere, vel odire vellet. Sed Vir sanctus illicò tristis ad Oratoriũ cum fratribus pergens, tamdiu lachrymis, ac precibus Diuinæ misericordiæ pulsauit ianuam, donec Miles idem compunctus rediit; & veniam de stultitia sua postulans, iniquitati de corde renunciauit.

X X X.

STEPHANVS B. Nili Iunioris Discipulus, cum lethali morbo laboraret, iamq. animam ageret, B. Nilo vocante: frater Stephane. resedit statim, manibusq. leuatis, mentem adhibebat, quid B. Nilus dicturus esset; qui dixit ei: Benedic fratribus tuis, frater Stephane, quoniam iam deficis: ille verò cum extendisset manus, oratione facta, eosdem circunstantes benedixit. Item, inquit illi B. Nilus: Nunc requiesce, quoniam non potes amplius; & peracta obedientia (vel in ipsa morte) reclinans requieuit.

M.S. Bibl. Vall. in Vita B. Nili Iunioris Abbatis.

ANNOTATIO.

Dormitabat sæpius, & vbique STEPHANVS: Vnde B. Nylus fecit ei scabellum, vnicum pedem habens, & dixit illi: tu quidem pedes habes duos, & scabellum, vnum; ecce tres pedes; & ita se-

dens meditationis non obliuiscaris. Ille verò ex eo tempore nullibi sedebat, nisi in illo scabello, & in meditatione, & in Ecclesia, & in sumendo cibo. frequenter autem, à dormitatione victus, cadebat in terram.

Quando autem in Ecclesia aliquis fratrum dormiens stertebat, dum legeret B. Nylus, vel interpretaretur aliquid, quamprimum Beatus, quasi ignorans quisnam ille esset, dicebat; nullus est, qui stertat, nisi STEPHANVS, eijcite ipsum foras, ne doceat vos malum hunc abusum: frequenter etiam illum ex mensa cum conuitijs, & contumelijs eiecit, vt inurbanè comedentem, corrigens hoc pacto alios, qui hoc faciebant: Et si quis error fiebat in vniuersa fraternitate STEPHANVS dabat pœnas, quasi omnium reus esset. Sicq. non desijt vsque ad senectam illum colaphis etiam percutere; sciens ipsum agonistam, & certatorem bonum esse. Ille verò hoc sibi satis esse non reputans, cum fratribus laborabat, licet Senex esset supra septuaginta annos, & multum incuruatus, non solû præ senio, verum etiam multis morbis, quibus premebatur; nec renuebat idcirco æstate, vel in messe, vel in aream, totam diem laborare; & vbi sordidius opus erat, vel laboriosius, ibi ipse reperiebatur; & omninò nesciuit requiem, vel relaxationem aliquam omnibus diebus vitæ suæ. *In eadem vita B. Nyli. ibid.*

XXXI.

STEPHANVS Monachus, pridie quam obiret, repentè obstupuit animo; apertisq. oculis ad dexteram, atque sinistrã partem lectuli circunspiciebat; & quasi rationem quidam à se exigerent, cunctis, qui astabant audientibus, aiebat aliquando quidem: ita sanè; sic reuera est; sed pro hoc tot annis ieiunaui. Aliquando verò: non certè; sed mentimini; hoc non feci. Deinde rursus: ita verè est; hoc ita est, sed fleui, sed ministraui. Ac rursus: verè me accusatis. In quibusdã etiam aliquando aiebat: ita sanè; & quidem, ad hæc quid dicam, non habeo; & quidem misericordia opus est.

Climacus gradu 7. cap. 1. Lippom. to. 8. ex eod. Climaco.

XXXII.

Ad STEPHANVM Abbatem Monasterij Reatini, suæ mortis tempore conuenerunt multi, vt tàm sanctæ animæ de hoc sæculo recedenti, suas animas commendarent: cumque *Feb. 13.*

lecto

lecto illius omnes assisterent, alij ingredientes Angelos viderunt; sed dicere aliquid nullo modo potuerunt; Alij omninò nihil viderunt; sed omnes qui aderant, ita vehementissimus timor perculit, vt nullus (egrediente illa sancta anima) illic stare potuisset. Hi ergo qui viderant, & hi qui omninò nihil viderant, vno omnes timore perculsi, territi fugerunt. Vt palàm daretur intelligi, quæ, & quanta vis esset, quæ illàm egredientem animam susciperet, cuius egressum nemo mortalium ferre potuisset.

Greg. Dial. lib. 4. cap. 19. & hom. in Euang. 35. Ferrar. in Catal. ex Greg.

XXXIII.

Aug. 20. STEPHANVS Vngarorum Rex suæ sentiens adesse migrationis tempus, accersitis Episcopis, & Primoribus Palatij, postquam tractauit de substituendo sibi Rege, monuit eos catholicam seruare fidem; amare iustitiam; fraternæ studere charitati. Hisq. dictis manus, & oculos in cœlum erigens, ait: Regina cœli, mundi inclyta Reparatrix, tuo Patrocinio sanctam Ecclesiam, cum Clero, & Episcopis; Regnumq. cum Primatibus, & Populo, tuis precibus commendo: Quibus ego nunc vltimum Vale dicens, animam quoque meam tuis manibus committo. Deinde cum percepisset sacram extremam Vnctionem, & Eucharistiam, in manus Domini tradidit beatum spiritum, anno Domini 1038.

Sur. to. 4. Leo Ostien. in Chron. Cassin. l. 2. c. 79. Anton. Bonfinius, Rerum Vngaricarum Decadis 2. lib. 1. Baron. in Annal. tom. 11.

ANNOTATIO.

Dum STEPHANVS lecto decumberet morbo grauatus, quatuor Viri primarij in eius necem conspirauerunt. Quorum vnus aduesperascente die, in cubiculum Regis, antequam lucerna accenderetur, cœlo obscuro ingressus est, nudum sub chlamide ferens ensem, quo erat Regem iugulaturus; sed cœlesti impulsu, gladio excidente, audito à Rege sonitu, agnouit quod futurum erat. Delinquenti tamen pepercit veniam postulanti.

SVGE-

XXXIV.

SVGERIVS Abbas, cum, valetudine (qua mortuus est) vexari cœpisset, fratrum manibus sustentatus, in Capitulum se duci voluit: vbi post verba ædificationis, cum lachrymis, omnium pedibus prouolutus, fratrum iudicio se exposuit; lachrymabiliter postulans, vt quod in eos deliquerat; vel negligentius egerat, ei pietatis respectu relaxarent. Adueniente autem hora, qua transiret ex hoc mundo ad Patrem, inter verba orationis Dominicæ, & Symboli apostolici lætus migrauit, anno salutis 1151. ætat. 70.

Chron. Dionys. de eo Baron. in Annal. to. 12.

ANNOTATIO.

Fuit SVGERIVS, amicitiæ fœdere, S. Bernardo coniunctissimus; qui ad eum, in extremis fermè laborantem, breuem quidē, sed tanto viro dignam dedit Epistolam: quam hic describere operæpretium duxi, mortem præcipuè detrectantibus profuturam.

S. Bernardi Epistola ad Sugerium.

Homo Dei ne trepides exuere hominem illum, qui de terra est, illum qui te deprimit vsque ad terram, & conatur deprimere vsque ad inferos. Iste est, qui vexat, qui onerat, qui oppugnat. Quid tibi, & terrenis exuuijs, qui ad cœlum iturus, stola gloriæ mox indui habes? Præstò est, sed vestito non dabitur. Vestire nouit illa, non superuestire. Sustine ergo patienter, immò libenter accipe nudus, & non vestitus inueniri. Denique, & Deus ipse vult vestiri, sed cum nudus est, non cum vestitus. Homo Dei non reuertetur ad Deum, nisi is, qui de terra est, & in terram ierit. Hi enim duo homines sibi inuicem aduersantur, nec erit pax, donec ab inuicem separentur. Et si pax fuerit, non erit pax Domini, non erit pax cū Domino. Non es tu de illis, qui dicunt Pax, & non est pax. Te expectat pax illa, quæ exuperat omnem sensum; te expectant iusti; donec retribuatur tibi; te expectat gaudium Domini tui. Et ego quidem (charissime) vehementer afficior ante videre te, vt benedictio morituri veniat super me. Et quoniam non est in homine via eius, non audeo vnde certus non sum pro certo polliceri: sed quod nondum video quomodo possum, satis ago vt possum. fortè veniam, fortè non veniam. Sed quodlibet horum sit; dilexi à principio, diligam te sine fine. Fidenter dico, non possum perdere sic dile-

dilectum vſque in finem. Non mihi perit, ſed præit: cuius animæ anima mea adhæſit glutino, quod nō diſsipabitur, & vinculo, quod non dirumpetur. Tantum memento noſtri cum perueneris quò nos præuenis, vt & nobis citò detur venire poſt te, & ad te peruenire. Interim tamen nullatenus putes, quia tua dulcis memoria recedat à noſtra, etſi præſentia dolentibus ſubtrahatur. Quanquam potēs eſt Deus te adhuc nobis donare rogantibus, ſeruare indigentibus; quod vtique non eſt diffidendum.

Hæc Bernard. epiſt. 266. ad Sugerium.

XXXV.

Mart. 1. SVITBERTVS Epiſcopus Vuerdenſis, cupiens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, cum in feſto Cathedræ Principis Apoſtolorum, in ſuo Monaſterio diuina celebraſſet, mox (languore eum inuadente) lecto decubuit; & languore ingraueſcente, conuocauit fratrum ſuorum collegium; & admonuit eos, vt Chriſti veſtigia ſequerentur; virtutem dilectionis, ac pacis, ad inuicem, & ad omnes domeſticos Dei ſeruarent; inſtitutaq. diſciplinæ Regularis, quæ ab eo didiciſſent, & in ipſo vidiſſent, indefeſſa fide cuſtodirent. Subiunxit deinde, obitus ſui diem in proximo inſtare; & flentibus ſubdidit: Nolite flere; iam enim laborum meorum glorioſiſſimum recipiam fructum, & præmium: Receſſui fragilitatis meæ debitum charitatis impendite, & illum orationibus protegite. Cumq. in Domino gaudens, plura eis dixiſſet de contemptu mundi, appetitu Regni cœleſtis, & mortis præparatione, illi accepta benedictione, ipſius iuſſu, triſtes ad Eccleſiam exierunt. Retinuit autem ſecum S. Vuillericum, cum quo diuina meditans, Deum corde deuotiſſimo inuocabat. Appropinquante denique die obitus, quem Angelico miniſterio præſciuit, conuocauit iterum fratrum ſuorum cateruam, & celebrari ſibi fecit Miſſarum ſolemnia. Deinde ſacroſancto, ac Diuino Viatico ſe muniens; ac ſanctæ Crucis vexillo, ſe cunctosq. circunſtantes conſignans, feliciter obdormiuit in Domino, anno ſalutis 717. ætatis 69.

Sur. to. 2. de eo Beda hiſt. Angl. lib. 5. cap. 12. Tritbem. de Vir. Ill. lib. 3. cap. 165. Baron. in Annal. to. 8. & 9.

TARA-

I.



ARASIVS Archiepiscopus Constantinopolitanus morbo graui, & senio laborans, nequaquam satiabatur sacrosancti Mysterij celebratione, adeò vt pectore innitens mensæ ligneæ (quæ ponebatur ante aram) sancta peragere vellet. Sub mortem visus est velut in extasi, & luctans cum aduersarijs: tanquam enim verba faciens cum aliquibus, qui eum examinarent, & anteactæ vitæ, ab eo rationem exigerent, ita causam suam agebat. Quamdiu autem linguæ vsum habuit, verbis resistebat, & prōpta dabat responsa ad ea, quæ obijciebantur; dicens, audientibus qui aderant, se nullius eorum esse sibi conscium, quorum eum accusabant. Quando autem linguæ obtorpuit instrumentum; nec se verbis poterat defendere, labro, manu, & nutu eos euertere, & expellere non cessabat. Videbatur enim, tanquam in inimicos, ferociter fremere, & eos cum ira repellere, donec sensus conniuere cœperunt. Tunc autem tranquillissimo habitu, Vespertinas laudes celebrante Ecclesia, & clamante: Inclina Domine, & exaudi me, Victor ascendit in cœlũ, anno Domini 806. *Febr.* 25.

*Lippom.to.*5.*Sur.to.*1.*Baron.in Annal.to.*9.

II.

TAVRINVS Episcopus Ebroicẽsis, suæ migrationis tempus aduenisse cognoscens, conuocari fecit Populum in Ecclesia; ipse verò inchoato officio & (ex more) peracto, consolatus est eundem Populum vehementer lugentem discessum suum; & post multa prædictionis verba, residens in Sede Episcopali, benedixit omnibus, dicens: Abite filioli mei in pace: Dominus autem erit vobiscum. Tunc apparuit subitò multitudo Candidatorum circa altare, eum ad cœlos inuitantium; & nubes odore fragrans, Ecclesiam impleuit. Quâ (post horam) recedente, inuentus est in eadem sede sua, manibus expansis, & oculis in cœlum erectis, ad Dominum conuolasse. *Aug.* 11.

*Petr.de Natal.lib.*7.*c.*50. *Vinc.Belluac.spec.histor. lib.*10. *c.*79.*de eo Molan.in addit. ad Vsuar.*

III.

Iul. 30. TERENTIVS Leuita, Forocorneliensis Ciuis, & Vrbis Fauentinæ Protector, de migrationis suæ vicino tempore certior factus, & hilaris; conuocatis propinquis illius loci Religiosis viris, diem sui obitus aduenisse dixit; Orationem habuit de Dei, proximiq. dilectione; veniam petijt; Dei auxilium sibi, & illis est deprecatus; & demum oculis, ac manibus in cœlum sublatis, cum magna veneratione astantium, inter Hymnos, & Psalmos animam reddidit.

M.S.Bibl.Vall. ex Monum. Eccl. Fauent. ex quibus Ferrar. in Catal.

IV.

Dec. 24. THARSILLAE Virgini, S. Gregorij Amitæ, quæ virtute continentiæ; orationis; afflictionis studio; abstinentia singulari; grauitate vitæ venerabilis, in honore, & culmine sanctitatis excreuerat, per visionem S. Felix Papa (S. Gregorij Atauus) apparuit (sicut eidem S. Gregorio illa narrauit) eiq. mansionem perpetuæ claritatis ostendit, dicens: Veni, quia in hac te lucis mansione recipiam. Quæ subsequenti nocte mox febre correpta, ad diem peruenit extremum; & sicut nobilibus fæminis, virisq. morientibus, multi conueniunt, qui eorum proximos consolentur, eadem hora eius exitus, multi viri, ac fæminæ eius lectulum circumsteterunt; inter quas Mater eiusdem S. Gregorij etiam affuit; cum subitò sursum illa respiciens, Iesum venientem vidit; & cum magna animaduersione cœpit circunstantibus clamare, dicens: Recedite, Recedite, Iesus venit: cumq. in eum intenderet, quem videbat, sancta illa anima à carne soluta est; tantaq. subitò fragrantia miri odoris aspersa est, vt ipsa quoque suauitas cunctis ostenderet, illic auctorem suauitatis venisse.

Greg. Dial. 4. cap. 16. & hom. 38. in Euang. ex quo Petr. in Catal. lib. 11. c. 110. & Ferrar. hac die. Baron. in Annal. to. 6. De eadem supra in AEMILIANA.

V.

THEOBALDVS Monachus, cum lætus in stratu suo decumbe-

cumberet, accersitis fratribus valedixit; & eadem hora se è corpore migraturum prædixit. Sacrum igitur viaticum accepit, & Antiphonam ipse imposuit dicens: Ibunt Sancti de virtute in virtutem; videbitur Deus Deorum in Sion. Qua absoluta, lætus, & summa hilaritate refertus, reddidit spiritū.

Sur. tom.4. in vit. S. Bertulphi Abb. Bobiensis cap.12.

V I.

THEOBALDVS Senonensis presbyter, & Eremita, biennio antequam ex hoc mundo migraret, ita corporis vlceribus obsitus fuit, vt neque gressum figere, neque manum ori suo admouere posset. Vigore autem corporis planè destitutus, accersiuit Petrum Abbatem, intima sibi familiaritate coniūctum; cui Matrem (quæ sibi adhæserat, Deo seruitura) suosq. spirituales filios, cum totius Eremi cura, illi commendauit. Ante verò diem tertium, quàm corporis vinculis solueretur, quinquies ingenti motu terra quassata fuit; cumque diu in agone desudasset, Epulo cœlesti refectus, cum sæpius iterasset: Domine miserere populi tui, tradidit spiritum. *Iun. 30.*

Sur. tom.3. M.S. Bibl. Vall.

V I I.

THEOCLIA S. Calliopij Martyris mater, cum audisset latam esse mortis sententiam in filium suum; vt scilicet in Crucem ageretur, quinque nummos ministris dedit, vt eum contraria ratione, qua Christus Dominus, crucifigerent. Cum esset igitur Martyr pronus in caput affixus Cruci; & die ipsa Parasceues animam emisisset, Mater sanctissimi Filij corpus complexa, & Christum laudans, in eius complexu spiritum reddidit. *Apr. 7.*

Sur. tom.2. in vit. S. Calliopij 7. Aprilis Lippom. tom. 7.

ANNOTATIO.

Cum primum audiuit THEOCLIA filium suum vinculis in Cilicia detineri, facto testamento, ducentos quinquaginta seruos libertate, peculioue donauit; & quidquid auri, argenti, aut vestimentorum habebat, pauperibus reliquit: Possessiones autem Ec-

clesiæ sanctæ largita est. Tum celeriter è Pamphilia in Ciliciam ad filium suum contendit; & in carcerem ingressa, procidit ante pedes eius,& vulnerum cruorem abstersit: Sanctus autem Calliopius catenis, & corporis tumore ex verberibus contracto, cohibebatur, quominus posset assurgere, & ad matrem accedere; sed ita locutus est: Opportune venisti mater, vt testis esses Christi cruciatuum. Mater autem, filij corpus aspiciens dilaniatum: Beata ego (inquit ad filium) & beatus fructus ventris mei, quoniam, vt Anna, dicaui te sacrum munus Domino Iesu Christo. Mansit autem totam noctem illam in carcere, ad ipsius pedes prostrata; simulque ambo precabantur, & laudabant Deum;& circa mediam noctem, magna lux carcerem illustrauit, & vox eos sic allocuta est: Vos estis Sancti Dei, & Christi Confessores, euersoresque Idolorum, qui patriam,& pecunias reliquistis, vt cum Christo pateremini. Cum autem illuxisset, in Martyrem sententia lata est. *Idem ibidem.*

V I I I.

Nou. 10. THEOCTISTES Virgo Lesbia, cum in Eremo Pari insulæ degeret, ab occurrente Venatore pio valde, petijt afferri, anno sequenti, [a] Corpus Christi. Quo allato, & ab ipsa (humi prostrata) percepto,dixit: Nunc dimittis Ancillam tuam Domine, quia viderunt oculi mei salutare tuum; quoniam remissionem peccatorum in manibus accepi. Nunc abibo, quò me tua iubet potentia. His dictis, & manibus diu in cœlum extensis, dimisit Venatorem. Qui cum paucos dies cum socijs venatus esset, volens cum eisdem reuerti, accessit ad eam denuò, vt illius beatæ preces, viæ comites acciperet, sed inuenit eam in eodem loco migrasse ad Dominum, anno 902.

Sur. tom. 6. Lippom. tom. 5. Baron. in Annal. tom. 10.

ANNOTATIO.

[a] Corpus Christi. Adhuc vigebat mos in Oriente vt deferendi Eucharistiam,laico licentia esset, quod iamdiu in Occidentali Ecclesia constat fuisse vetitum.

Vitam perquam similem ei,quam S.Maria Aegyptiaca in deserto duxit, quinque & triginta annis exegit THEOCTISTES ab hominum

minum conſortio prorſus ſeiuncta, lupinis, & herbis quæ in ſolitudine naſcuntur ſe ſuſtentans.

Vide eius vitam lectu dignam in eiſdem Annalibus Baronij tom. 10. vbi fuſius recenſetur.

IX.

THEODORA Alexandrina, quæ in Monaſterio (ſub Theodori nomine) latebat, ſciens adeſſe tempus vocationis ſuæ, infantem, quem ipſa nutrierat in Monaſterio tanquam ex ſe natum, tollens in conſpectu multorum (cum iam eſſet Veſpera) & ſeipſam includens, cœpit eum adhortari, non ſecus ac parens germanum filium: Quod cum reſciuiſſet Abbas, miſit quoſdam è fratribus audituros verba, quæ puero diceret. Audierunt itaque dicentem: Tempus vitæ meæ (fili mi chariſſime) iam ſpectat ad finem, & de cætero feſtino ire ad ſæculum, quod illic eſt: Ego autem te Patri orphanorum, & Deo commendo, ac Domino huius noſtri Monaſterij. Habebis autem Monachos quoque, qui in te ſeruabunt fratrum affectionem, & infra. Somnum odio habe: Duram & aſperam viuendi rationem amplectere: Renuncia mollibus veſtimentis: Conſuetas preces nunquam neglexeris; neque horas, quæ ſunt conſtitutæ fratribus ad conueniendum, Matutinæ inquam, Tertiæ, &c. Abſtine ab alienis: Accuſare fratres, ne tibi quidem veniat in mentem: Interrogatus reſponde reſpiciens in terram: Alterius caſum ne irriſeris: Luge, vt conſolationem conſequaris: Aliquos audiens male viuentes, ne negligas pro eis precari: Ire ad eos, qui ſunt infirmi non recuſes; & vt ſemel dicam: Omne malum declinans, vendica tibi virtutem: Serui fratribus tanquam Dominis, vt euadas Chriſti amicus; qui pro te ſerui formam induit: Aſſiduè precare ne incidas in tentationem; quod ſi incideris, ei fortiter reſiſte: & rurſus precare ne ſupereris, ſi ſic viuas (ò dilecte) non procul aberit, qui tibi opem ferat, & qui bello appetito tibi ſit porrecturus dexteram. Quibus dictis iucundè in Dei manus tradidit ſpiritum. Sept. 11.

Lippom. tom. 6. Sur. tom. 5.

ANNOTATIO.

Passa fuerat THEODORA crimen sibi imputari, quod non admiserat; sollicitata enim à quadam impudenti puella (quæ eum virum credebat) cum fugisset, illa filium ex alio susceptum, illius esse dixit, eidemq. transmisit educandum. Quod verum esse putantes Monachi, THEODORAM è Monasterio expulerunt, quę nihilominus in ipso Monasterij aditu septem transegit cum puero annos. Post quos misericordia moti Patres; & peccatum THEODORI iam expiatum arbitrantes, in eorum numerum denuò recipi à Monasterij Præfecto curarunt: Qui illum suscipiens, in intima cella manere iussit; & inde nunquam progredi; neque vllum ei committi ministerium voluit. Ibi igitur bienniò cum eodem puero mansit, donec idem Præfectus didicit eam miraculorum donum esse consecutam: sed paucis exinde transactis diebus, migrauit ad Dominum.

X.

THEODORVS Monachus in Monasterio S. Gregorij, iuxtà SS. Ioannis, & Pauli Ecclesiam sito, negligens admodum, & incorrigibilis viuens; in eodem Monasterio, necessitate potius, quàm voluntate; pestilentia (quæ tunc grassabatur) iam correptus, perductus est ad mortem: Cumq. extremum spiritum ageret, conuenerunt fratres, vt egressum illius orando protegerent. Iam corpus eius ab extrema fuerat parte præmortuum, in solo tantummodò pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem fratres tantò pro eo cœperunt enixius orare, quantò eum iam videbant sub celeritate discedere. Tunc repentè cœpit (eisdem fratribus assistentibus) adnisu, quo poterat, clamare, & orationes eorum interrumpere, dicens: Recedite; ecce draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam deuorare me non potest: caput meum iam in suo ore absorbuit; date locum, vt me amplius non cruciet, sed faciat quod facturus est: Si ei ad deuorandum datus sum, quare propter vos moram patior? tunc fratres cœperunt ei dicere: Quid est, quod loqueris frater? Signum tibi sanctæ Crucis imprime. Respondebat

debat ille, vt poterat, dicens: Volo me signare, sed non possum, quia à dracone premor. Cumque hoc fratres audirent, prostrati in terram cum lachrymis, cæperunt pro ereptione illius vehementius orare. Et ecce subitò cœpit melioratus æger, quibus valebat vocibus exultare, dicens: Gratias Deo. Ecce draco, qui me ad deuorandum acceperat, fugit; orationibus vestris expulsus est, & stare non potuit: Pro peccatis meis modò intercedite, quia conuerti paratus sum; & sæcularem vitam funditus relinquere. Morti igitur tunc subtractus est, sed non plenius vitæ restitutus. Quia diuina dispensatione actum est, vt prolixiora vitia prolixior ægritudo exureret. Doloribus enim, & febribus diù fatigatus est; donec longis, & continuis flagellis eruditus, excrescente tandem corporis molestia, defunctus est.

Greg. hom. 19. & 38. in Euang. & Dial. lib. 4. cap. 37.

X I.

THEODORVS Studita morbo lethali correptus, nec extremis quidem diebus, otiari linguã voluit, aut ab officio cessare; sed ijs qui aduentabant (erat verò innumerabilis accurrentium multitudo) suis prodesse conabatur verbis: absentibus autem manu, & atramento, colloquij implebat vices. Laborabat præcipuè stomachi dolore vehemẽti, & quamuis mortuo similis esset, totus tamen in Discipulos ferebatur; cumque refocillari paululum videretur, dolorisque vis remitti, statim ex labris oratio, & doctrina perfluebat. Sed cum febris ardore adusta lingua officium negaret, accito Notario, dictans, quæ volebat, per illum ad alios verba transmisit. Hoc peracto, remisit continuò morbus: quare viribus confirmatus, suisque pedibus incedens, Ecclesiam perijt; sacra in ea celebrauit solemnia; & post orationem ad eos, qui conuenerant habitam; ac post communem cum illis mensæ participationem, lectulo iterum decubuit; atque Oeconomum vocauit, cui dixit: Num aliquid à nobis prætermissum est in officio? Num aliquid remissius, aut negligentius, quàm par fuit actum socordia nostra? Mihi enim æstuat animus, & angitur, recogitans Nou. 11.

gitans omnium ſubeundum eſſe iudicium:Et quænam ad tantum tribunal omnino ſufficient, cui ſiſti tantummodo, formidandum eſt, ac penitus intollerabile?

Poſtero die Eccleſiam rurſus petijt, ſacra operaturus, & ad fratres verba facturus. Veſperi autē cum ſolitos cū illis Hymnos perſoluiſſet,ſolus cellā oraturus ingreditur.Profūda verò nocte ingraueſcere ſentiens morbū,acrioreſq.dolores augeri, eorum laborem tacitus ferre amplius non valens, eum (qui pro cellæ foribus dormiebat) accerſiuit. Quo præ mæroris magnitudine flebiliter exclamante, accurrerunt illicò diſcipuli flentes, & eiulantes, Patrem iamiam extinctum fore arbitrantes. Biduò tamen his doloribus excruciatus, vt ſenſit inſtare obitum, perfuſus manantium lachrymarum riuulis, pulcherrima oratione ſuos eſt adhortatus dicens.

Iam adeſt fratres mei (vt videtis) vitæ meæ finis, quem ſemper expectaui: commune enim eſt omnibus hoc poculū, citius alij licet, tardius alij bibant: Ex quo enim in hanc vitā introducti ſumus, vitæ finem capiamus neceſſe eſt; optimo Domino ita ſtatuente, vt qui vita fruuntur, mortem quoque ſuſtineant. Mihi ergo eadem cum alijs ineunda eſt; eòque obeundum, quò Patres mei anteceſſerunt; vbi vita ſempiterna, immò vbi Deus, ac Dominus meus, quem dilexit anima mea; quem cor concupiuit; cuius famulus dictus fui, quamuis obſequium neglexerim; cui totam vitam meam concredidi. Vos verò filij, manete in ſermonibus meis, ſeruantes quæ accepiſtis; vitamq. ſimul & fidem veſtram illibatam cuſtodientes. Spondeo autem vobis (ſi quam in die Domini fiduciam humilis nanciſcar) me pro vobis poſtulaturum, ac precaturum inceſſanter, vt & ipſi ad meliora proueheramini; & cœnobium hoc veſtrum maiora ſemper incrementa capiat: Singulos ex vobis, ordine vnumquemque Deo viuenti oblaturus aſſumam. His & alijs diſcipulos affatus,adiecit poſtremò. Abſentes Patres meis verbis ſalutate. Epiſcopos,presbyteroſque,quo par eſt alloquio,impertite. Omnibus vbiq. fratribus, alijſque omnibus, qui in eadem confeſſione perſeuerant,

seuerant, supremam ex me allocutionem reddite.

Duos alios dies in hunc modum exegit; accedentibus benedicens; Crucisq. signum imprimens: frequentes autem in horas aduentabant hinc inde plurimi; adeò vt digredientes, alij semper interuenientes occuparent. Tandem cum supremum aduenisse tempus animaduerteret, consuetas laudum preces inchoari iussit; Deinde sacro se Viatico communiuit; & mox lumina succendi, & exodios, seu exitus Hymnos cani innuit. Discipulorum igitur corona circunstante, ac psalmum Beati immaculati decantante, in illis verbis: In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me, animam Deo reddidit, anno salutis 826. ætatis 67.

Michael Studita gracè in M. S. Bibl. Vall. (vbi & latinè reddit. à P. Sermundo Societ. Iesu) Baron. in Annal. tom. 9. fusius.

ANNOTATIO.

Huius sancti Viri testamentum lectu dignissimum, quod sub vitæ finem ipse conscripsit, habetur infra.

Omissis autem innumeris dictis, & factis tanti Viri, quæ hic essent describenda, illud omninò non reticendum quod pro Christo exul pluries, & in carcere positus passus est, relatum à Michaele Studita in hæc verba.

Quas ærumnas, quas molestias in tenebricoso illo, & angustissimo Ergastulo pertulerit, sola dicere potest experientia, nec vlla ad declarandum satis esse potest oratio. Quis enim tum frigus describat, quo tenuissimum, & aranei instar corpusculum illud hieme vexabatur? Quis flagrantes æstus, quibus per æstatem suffocabatur, ardentem ducens spiritum, & cum alijs incommodis colluctans? Quis pediculorum, pulicumq. examina, & pusilla id genus animalia, quæ caliginosus hic recessus, puluere, ac sordibus obsitus parturiebat, & alebat? Quis (vt quod acerbissimum omnium erat, commemorem) plagarum inflammationes, omniumq. membrorum intumescentium dolores, & cruciatus explicet, & pro rei grauitate repræsentet? Mitto custodum ludibria, & subsannationes, famemq. ab illis irrogatam; omnia denique acerba adhibita, quibus naturam penitus prosternerent; sic enim illũ siti atque fame cruciarunt, vt vix frustulum panis, non quotidiè, sed alternis

diebus

diebus inijcerent per angustum foramen, quod vnicum & apertum reliquerant. Quo tempore fama est, Patrem summa illa inedia pressum, Discipulo hæc dixisse: Conantur (vt video) fili, homines isti ad cęteras acerbitates, quas in nos exercent, etiã fame nos extinguere, quam omnium miserrimam mortem esse norunt: sed collocemus etiam num spem nostram in solo Deo, qui non in solo pane alere potest, sed alio longe præstantiori cibo: quandoquidem spiritus omnis, eius solius nutu sustentatur. Et quoniam mihi præ cæteris, Dominici Corporis participatio, corporis simul & animæ alimentum esse solet (habebat enim vbique Pater secum partes aliquas viuifici Corporis; peragebatq. diuina mysteria quandocunque celebrandi facultas erat.) hunc ego solum cibum capiã, alium penitus nullum degustans: tibi verò vni ad victum cedant, quæ duobus præberi solent; quamquam id ægrè tibi suffecturum sit, vtpotè perexiguum: sed sic fortasse corpusculum sustentabis hoc leui solatio, & vitam produces; excessumq. meum Oeconomo, & fratribus nunciabis; siquidem ita statuet Dominus.

Ferre autem secum solitos sanctos Viros Eucharistiam in itinere, moris fuisse olim tam in occidentali, quàm in orientali Ecclesia, pluribus in locis docet Baronius, præcipuè *d. to. 9. Annal.*

Dum sanctus Vir in carcere detineretur, plures ducẽtis epistolis scripsit ad diuersos. Quæ quidem quanti sint faciendæ, Deus ipse insigni miraculo comprobauit; quod idem Michael Studita narrat his verbis:

Narrabat præterea Diuino Sophronio mulier quædam, genere nobilis, miraculum quod sibi acciderat, in hunc modum.

Inuaserat (inquit) domũ meam incendium nec iniecta vis aquæ, nec machinæ vllæ ad restinguendum aptè domare flammam poterant. In hoc rerum articulo subijt animum, Patris Epistolã, quam ad me nuper miserat, è pera tollere, atque in ignem inijcere; si fortè illam reueritus, vehementem illum impetum aliquo modo repelleret. Vt ergo ad rem veni, & venerandas litteras flammæ inieci, hoc simul clamans: S. THEODORE adiuua periclitantem famulam tuã: videre mox fuit atrocem illam vim ignis restinctam subitò languere, ac cinerem solum, fumumq. post se relinquere.

XII.

Ian. 11. THEODOSIVS Cænobiarcha, sciens nihil æquè conducere ad virtutem parandam, & partam conseruandã, ac mortis memoriam; sepulchrum construere suis iussit Discipulis.

Quo

Quo peracto, & parato, astantibus (lepidè) eisdem dixit Discipulis. Sepulchrum quidem paratum est; quisnam autem ex vobis, est eius Encenia celebraturus? quidam verò BASILIVS, dignitate Sacerdos, & magistri sui imitator præcipuus, sciens quæstionem non frustrà ab ipso propositam; mortemq. non repudiandam, sed vtilem valde, & conductibilem, genibus flexis, protinus, cum se humi proiecisset: Benedic mihi Pater (ait) Ego huius sepulchri primus celebrabo Encenia. Hic petijt, ille dedit. Iussit namq. Pater omnia ei fieri, quæ lex vult morituris,[a] Tertianas nempè, & Nouenas, & consequenter etiam Quadragenas. Cum autem iam finem acciperent Quadragenæ, BASILIVS, neque à febre arreptus, neque capitis dolore vexatus, aut vllum in aliqua corporis parte dolorem sentiens, tamquam suaui ac molli somno sopitus, excessit ad Dominum. Qui quadraginta deinceps dies visus, & auditus est à Theodosio in Canticis Vespertinis, inter Discipulorum chorum simul cantare. Ipse verò Theodosius triduò antequam ad cœlestem transmitteret Patrem, tres Episcopos accersiuit lætus, quasi de re aliqua communi cum eis tractaturus. (Turbam enim, & tumultum vitabat) eisq salutatis, tertia die, cum ad orandum sustulisset manus; & post orationem eas decorè pectori imposuisset, feliciter obdormiuit in Domino, circa annum sal. 536. annos natus 105.

Eius officium in M.S. Bibl. Vall.

ANNOTATIO.

[a] Tertianæ, Nouenæ, & Quadragenæ, quas THEODOSIVS Basilio fieri iussit, explicantur à Durando *in Ration. Diu.off. lib.7. c.* 35. his verbis.

Hoc officium initium habuit in veteri lege, nam sicut ait Ambr. 12. *q.* 11. Mortuo Iacob, Ioseph, & alij fratres fleuerunt eum quadraginta diebus in Ægypto, & postea fleuerunt cum septem diebus in Area Atad. *Gen.* 50.

Item legitur, quod mortuo Moyse fleuit Populus Israel triginta diebus, & similiter fecerunt de Aaron, & Maria.

Item dicit Salomon *Eccl.* 23. luctus filij sapientis mortui, septem diebus, luctus stulti filij, sempiternus.

Qui-

Quidam igitur faciunt memoriam pro Defunctis die tertia, seu tribus diebus repræsentantes triduanam Domini sepulturam; seu respectum habentes ad Resurrectionem Christi, qui die tertia resurrexit.

Alij septem diebus, primò vt Defunctus ad sabbatum æternæ quietis citius valeat peruenire. secundò vt remittantur ei omnia peccata, quæ commisit in vita, quæ per septem dies ducitur.

Alij Nouennale, idest officium nouem dierum, vt per hoc officiũ, Mortuorum animæ à pœnis liberatæ, nouem Angelorum ordinibus associentur. Hoc autem à multis non probatur, ne gentiles imitari videamur, qui nouem dies lugebant mortuos suos, & in die nona cineres eorum in Pyramidibus, seu alibi recondebant.

Alij triginta ad imitationem Patrum veteris testamenti, & vt, quod in obseruatione Decalogi, & contra Trinitatẽ peccauerunt, eis Dei misericordia condonetur.

Alij Quadragenarium faciunt, repræsentantes Dominicam sepulturam; & optantes mortuos gloriam habere cum Christo, qui quadraginta horis iacuit in sepulchro, secundum Augustinum.

Alij Quinquagenarium, significantes annum Iubilæum, in quo erat remissio, & plena libertas.

Alij sexagenarium, significantes mœrorem propter absentiam Defuncti, quemadmodum sexagesima significat mœrorem Ecclesiæ propter absentiam sponsi: In cuius Defuncti expiationem, offerunt Deo sacrificium, & Pauperibus eleemosynã. Hæc Durandus.

Spectatissimus fuit THEODOSIVS, non solum ob exactam vitæ Monasticæ exercitationem, sed etiam ob egregios labores aduersus Acephalos Hæreticos exantlatos. Tantaq. fuit huius Viri sanctitatis fama, vt Kericus Romani Dux exercitus, incursionem facturus contra Persas, ad eum accedere prius voluerit, auxilium petiturus: Cuius Cilicio, pro benedictione obtento, indutus, consueta aggressus est certamina, & paulò post Victor ad eundẽ rediit gratias acturus. Quod Cyrillus apud *Sur.* 11. *Ian. to.* 1. narrat his verbis.

Rursus venit ad sanctum cum vehementi cordis exultatione, & gratias agens, & ei vniuersam ascribens Victoriã, dicebat enim: Illo ipso tempore pugnæ, mihi quidẽ (cum pro thorace tuũ induissem cilicium) veniebat in mentem confidere, & in hostes irruere: Cum autem manus conseruissemus, magnæ exoriebãtur tenebræ, tanquam in densa caligine; & ab alijs quidem omnibus, ea etiam, quæ propè erant cerni non poterant; Ego autem te solum mihi videbar

videbar videre me præcedentem, & manu significantem, & admonentem, vt has quidem prælij partes dimitterem, in has autem pugnarem; & te duce Equum agere, donec conspectus terribilis, & intolerabilis inimicis, vehementi terrore omnibus iniecto, efficerem, vt se conijcerent in pedes, & turpem fugam lubenter eligerent.

Non ad Kericum autem solum; sed etiam ad alios Magnus THEODOSIVS, in corpore positus, apparuit: ad multos quidem inter nauigandum; ad multos in faciendo itinere; singulos à periculis eruens.

Illud verò non prætermittendum, duos fuisse THEODOSIOS Cænobiarchas, eodem sæculo, in Regione Palæstinæ; sed alter Hæreticus Eutichianus, Homo nequissimus. De vtrisque Baron. in *Annal. vbi supra, & Conc. to. 2. apud Binium.*

XIII.

THEOPHANIVS Comes Centumcellensis, operibus Misericordiæ deditus, appropinquante suæ mortis tempore, cum grauissima aeris tempestas obsisteret, ne ad sepeliendum duci posset; Vxori, cum fletu vehementissimo querenti, & interroganti, Quid faciam? Quomodo te ad sepeliendum eijcio, quæ ostium domus huius egredi præ nimia tempestate non possum? Respondit dicens: Noli mulier flere, quia mox vt Ego defunctus fuero, aeris serenitas redibit. Cuius protinus vocem mors, & mortem serenitas secuta est. *Ian. 26.*

Greg. Dial. lib. 4. cap. 27. & hom. 36. in Euang. ex quo Ferrar. in Catal.

XIV.

THEOPHILVS Pœnitens (qui ab Oeconomi officio depositus, vt restitueretur, Diaboli opem per Magiam implorauerat) post pœnitentiam quadraginta dierum peractam, ab Episcopo, qui eam sibi iniunxerat, suscepit Communionem; statimq. resplenduit facies eius sicut sol, & accurrens illicò ad Beatissimæ Virginis templum, vbi pœnitentiam egerat; cum parum in eo requieuisset, & corpore infirmus euasisset; in ipso loco (in quo antea Beatam viderat Visionem, vbi etiam fuit postea sepultus) cum se inclinasset, tanquam ibi affixus, tribus *Feb. 4.*

bus post diebus, salutatis omnibus qui aderant fratribus, animam Deo reddidit.

Sur. to. 1. Lippom. to. 5. Molan. in Notationibus ad Vsuard.

XV.

THIETMARVS Carpentariorum Magister, S. Popponi Abbati valde charus, cum audisset eundem Sanctum ex hac vita migrasse, venit admodum tristis ad Monasterium; & percontãtibus eum fratribus, quid causæ haberet? Respondit, se priuatum esse beneficio, quod sibi iure perpetuo concesserat Homo Dei Poppo. Tunc sancti Viri nepos dixit ei: non est mortuus Dominus tuus Poppo; sed verè viuit: perge quantocyus ad ipsum, & narra ei siquid habes. Credidit autem homo sermoni, & præpeti cursu ad sepulchrum Viri Dei peruenit; ibiq. amarissimè clamitando, super corpus Sanctum se prostrauit, dicens: Heu mi Pater, & Domine, vt quid me diutius sinis viuere in hac conualle plorationis? Contestor te per omnipotentem, cui in hac vita fideliter seruisti, ne me permittas in hac miserabili vita, octo diebus viuere. Vt ergo se exauditum credidit, surrexit; Domum rediјt; in lectum se proiecit; Viaticum petiјt, & accepit; & sicut à sancto Viro petierat, ante octauum diem de hac luce subtractus est.

Sur. to. 1. in Vita S. Popponis cap. 28.

XVI.

Mart. 7. THOMAS Aquinas cum ad Conc. Lugdunense proficisceretur, præteriens cænobium Fossæ nouæ Cisterciensis Ordinis; & apud Abbatem, & fratres diuertens, sensit ibidem ex diuina reuelatione, non longè abesse supremum vitæ suæ diē. Vnde fratri Reginaldo eius socio dixit: Hæc requies mea in sæculum sæculi; hìc habitabo, quoniam elegi eam. Interea morbo superueniente, & ingrauescente, in lecto decubuit; cumq. videret fratres Monasterij cum tanta reuerentia, & humilitate sibi ministrare, dixit: Quis ego sum, vt serui Christi mea causa tantos suscipiant labores? Morbus in dies capiebat augmentum; nec tamen Sanctus à salutari doctrina se potuit continere. Vnde illic exposuit (rogatus à fratribus) Can-

tica Canticorum, vſque ad illa verba: Veni dilecte mi, egrediamur in hortum. Cum autem ſentiret paulatim ſe viribus deſtitui, ſacram ſibi petijt Euchariſtiam exhiberi: Quam allatam, humi proſtratus adorare voluit; & interrogatus (vt habet conſuetudo) num crederet, in ſacra illa Hoſtia eſſe verum Dei filium? Reſpondit libera voce, & deuotione maxima, perfuſus lachrymis: Ego planè credo, immò pro certo noui, hunc eſſe verum Deum, & Hominem Ieſum Chriſtum æterni Patris, & Virginis filium; & quod puro corde credo, etiam labijs ſincerè confiteor. Deinde illud viuificum ſuſcepit ſacramentum, hæc verba præmittens,

Sumo te Pretium redemptionis animæ meæ; Viaticum peregrinationis meæ; pro cuius amore ſtudui, vigilaui, & laboraui. Te prædicaui; Te docui; Nihil vnquam (ſcienter) contra te dixi: ſi quid autem de hoc ſacramento, & de alijs minus benè dixi, aut ſcripſi, totũ relinquo correctioni Sanctæ Matris Eccleſię; in cuius obedientia nunc tranſeo ex hac vita. Suſcepto demum ſacroſancto Viatico, ſequenti die ſacramentum etiam extremæ Vnctionis petijt, & accepit, ad ſingulas verborum formas reſpondendo, Amen. & eo munitus, iunctis ad Deum manibus, reddidit ſpiritum, anno ſalutis 1274. ætatis 49.

Sur.to.2.Mõbrit.to.2.Leand.Albert.lib.4. ex Io.Garzonio. Chron.Ord.Præd.par.1.lib.3. Anton. Chron. par.3.tit.23.c.7. & ſeq.

ANNOTATIO.

In notis Martyrol. Rom. hoc habet Baron. de Thoma Elogium, nempè.

Vix quiſquam enarrare ſufficiat, quot Vir ſanctiſsimus atque eruditiſsimus Theologorũ præconijs celebretur; quantumq. eius illibatæ Doctrinæ à Sanctis Patribus in SS. Oecumenico Concil. conſedentibus, fuerit acclamatum: iureq. ob eam cauſam à Sanctiſsimæ me. Pio V. Rom.Pont. inter celebriores Doctores Eccleſiæ fuit adnumeratus anno Domini 1567.

Plura quidem hic eſſent Angelici eiuſmodi Viri dicta præclara recenſenda, quæ breuitatis ergo prætermittuntur: illud tamen

non

non omittendum quod interrogatus quid in hac Vita cuperet, sapientiſsimè protulit, nempè: BENE MORI.

XVII.

Apr.22. THOMAS Patriarcha Conſtantinopolitanus audiens à Theodoro Archimandrita plurimas Eccleſiæ imminere clades, & perſecutiones, non permiſit eum ab Vrbe diſcedere, dicens, ſe precibus eius apud Deum pro Populo indigere, vt ſaltem mala differat, quæ comminatur. In morbum autem incidens Patriarcha, ad B. Theodorum (qui ſe in manſione S. Stephani incluſerat) miſit, rogans eum, vt Deum precaretur ſibi dari vitæ finem. Renuit Theodorus, & ait, ſe potius oraturum, vt illi vitam, & ſanitatem largiretur pro populi ſalute: ſed nuncium rurſus ad Dei ſeruum miſit Patriarcha:Per Deum (inquiens) obteſtor te Pater, ſi diligis me, vt pro mutua, & fraterna inter nos beneuolentia,Deum obſecres,vt depoſitum pignus ſuum recipiat è corpore meo; meq. ab imminentibus periculis liberet; neque enim ſpectare poſſum, quæ tu prænunciaſti. Tunc Dei ſeruus, flexis genibus, & fuſis pro ipſo precibus, nunciauit ei, ſe iuſſis ipſius obtemperaſſe; & Deum illi, quæ cuperet conceſſurum: Quin & petitionē eius eadem die implendam fore. Quamobrem,ſi iubes (inquit) vt veniam ad te, id ſtatim faciam; ſin minus, nos viciſſim apud Chriſtum Dominum conſpiciemus. Hoc audito Patriarcha gauiſus eſt; noluitq. ſeruum Dei à quietis, & abſtinentiæ ſuæ diſcedere inſtituto; contentus eius promiſſo, nempè, quod ſe viciſſim apud Chriſtum eſſent conſpecturi. Benedixit itaque Imperatorem (qui eum inuiſerat) omnesq. aſtantes; & ante horam veſpertinam, eadem die migrauit ad Dominum.

Sur.to.2. in Vita S. Theodori Archimandritæ circa finem.

XVIII.

THORIDGID Sanctimonialis, cum per annos nouē grauiſſimo corporis morbo decocta eſſet, ita vt vix oſſibus hæreret: ad vltimum, cum iam tempus reſolutionis eius inſtaret, non ſolum cæterorum membrorum, ſed & linguæ motu, triduò caruit. Poſt triduum autem ſubitò, viſione ſpirituali re-

creata

creata, os, & oculos aperuit, aspiciensq. in cœlum, sic ad eã, quam intuebatur Visionem cœpit loqui: Gratus est mihi valde aduentus tuus; & benè venisti. Hoc dicto parumper reticuit, quasi responsum expectans; rursumq. quasi leuiter indignata subiunxit: Nequaquam hoc læta ferre queo. Rursumq. modicum silens, tertiò dixit: Si nullatenus hodie fieri potest, obsecro ne sit longum spatium in medio, & sicut antea, parum silens, ita sermonem conclusit: Si omnimodis ita definitũ est, neque hanc sententiam licet immutari, obsecro, ne amplius, quàm hæc solummodo nox intersit. Quibus dictis, interrogata à circumsedentibus, cum quo loqueretur? cum charissima (inquit) mea Matre Edilburga. Ex quo intellexere, quod ipsa ei tempus transmigrationis suæ proximum nunciare venisset. Nam & ita, vt rogabat, transacta illa die, ac nocte, soluta carnis simul & infirmitatis vinculis, ad æterna gaudia salutis intrauit.

Beda hist. Angl. lib. 4. cap. 9.

ANNOTATIO.

De eadem Edilburga hæc quoque narrat Beda loco cit. nempè.

Quædam Monialis cum multis iam annis omni corporis officio esset destituta, adeò vt ne vnum quidem membrum mouere ipsa valeret; vbi corpus Edilburgæ Abbatissæ in Ecclesiam delatũ esset, postulauit se illò afferri, & in modum orantium ad illud inclinari. Quod dum fieret, quasi viuentem allocuta, rogauit vt apud misericordiam pij Conditoris impetraret, se à tantis tamque diutinis cruciatibus absolui: nec multò tardius exaudita est. Nam post dies duodecim, & ipsa educta ex carne, temporales afflictiones æterna mercede mutauit. *Anon. Obit.*

TILLO. Vide supra HOLLONIVS.

XIX.

TRISTANVS de Penacoua ord. min. senio confectus, & infirmitate, Missam quotidie celebrare volebat; & interrogatur cur id faceret, cum tali grauaretur incommodo? Respondit: Ne moriar sine perceptione sanctissimi Sacramenti. Laborabat autem Asmate præcipuè, adeò vt in lecto recumbere

non valeret; sed sedere cogeretur: Nocte nihilominus extrema vitæ suæ, antequam ad Matutinum pulsaretur, inuènit eũ frater quidam, flagris se cædentem. Accessit postea suo tempore cum alijs ad chorum: sed morbo prægrauatus, ad cubile redire coactus est, antequam synaxis absolueretur. Tunc petijt sacramentum sibi extremæ Vnctionis ministrari;& eo munitus: Gratias (inquit) ago tibi Deo meo, quod me in hac hora, & in tuo seruitio vocasti. Quibus dictis, lætus migrauit ad Dominum octogenarius.

Chron. S. Franc. par. 3. lib. 9. cap. 35.

X X.

Nou. 30. TROIANO Episcopo Sanctonicensi, visitanti loca Sancta in Vrbis circuitu, apparuit ei globus magnus luminis, quasi de cœlo descendens; & cum rogaretur à Subdiacono (qui secũ erat, & viderat) vt aperiret, quid hoc esset, fassus est apparuisse sibi S. Martinum, & ei locutum fuisse; sed caueret, ne cui diceret, quia statim moreretur. Mortuo demum S. Troiano, cum ægre ferret Subdiaconus (dierum iam plenus) virtutem Sancti non manifestare; conuocato Episcopo, & Clero, ac quibusdam Senioribus, cuncta ex ordine referauit, adijciens: vt probetis vera esse, quæ loquor, finito sermone, finem facio vitæ. Quibus dictis, clausis oculis migrauit ad Dominum. anno 400. *Anon. obit.*

Sur. to. 6. ex Greg. Turon. de Glor. Confess. cap. 59. Petr. in Catal. lib. 1. c. 11.

X X I.

Nou. 23. TRVDO Presbyter, cupiens dissolui, & esse cum Christo sæpius ingeminabat illud psalmi 41. Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam Domine misericordiosissime? Præmonitus tandem de vicina sui obitus hora, mira exhilaratione perfusus, Discipulos conuocauit; iucunditatis causam aperuit; ac eos monitis instruxit salutaribus. Accessit subinde infirmitatis languor, & facta hora, sacramentis se muniuit; ac demũ, protensis manibus, & toto corpusculo in obuiam cœlestis exercitus erecto, ingeminato signaculo S. Crucis: Dirige (ait)

Domine viam famuli tui in conſpectu tuo. Quibus dictis, in manus Domini caput reclinauit, & obdormiuit, anno ſal. 701.

Sur. to. 6. de eod. Trith. de Vir. Ill. lib. 3. cap. 101. Molan. in Indic. Sanct. Belg. & in addit. ad Vſuardum 1 Baron. in Annal. tom. 8.

XXII.

TVRQVILLVS Monachus Cluniacenſis, morti proximus, cum in cinere, & cilicio poſitus illum fratres vndique circunſtarent, repentè ab eis ſpiritu raptus, obmutuit. Interrogatus autem poſtea, ſi aliquid ſpiritualium rerum vidiſſet, his verbis latinis reſpondit: Vidi Dominum, & dulce conſortium eius; & paruo deinde interueniente temporis ſpatio, defunctus eſt.

Petr. Venerab. lib. 1. de Mirac. cap. 21.

XXIII.

TVSCANA Iebeti (Pago Veronenſi) nata ad ſuperas Sedes euolatura, Angelica viſitatione, & locutione dignata eſt. *Iulij* 14.
Incidens itaq. in febrim, cum medici vinum, ne hydropiſim incurreret, illi conſtituiſſent, non ſolum vinum, ſed & medicinam omnem aſpernata eſt: Iamq. migratura, cum vocem cœlitus factam audiſſet: Veni ſponſa Chriſti Tuſcana; accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit in æternum, expirauit, anno Domini 1343.

Ferrarius in Catal. ex lib. de Sanctis Eccl. Veronen.

ANNOTATIO.

Fuit hæc TVSCANA Vidua, cuius pudicitiam tres iuuenes violare contendentes, eius domum ſunt aggreſſi, ſed vnus poſt alium expirauit. Quos tamen ſancta Vidua ad Parentum preces (Deo dante) ad vitam reuocauit. *Idem Ferrar. ibid.*

I.

Ian. 29. ALERIVS Treuirorum Episcopus, cum ad canos peruenisset, apparente sibi B. Euchario, vocationem suam imminere cognouit: Vnde (sicut ab eodem Sancto iussus fuerat) die sequenti venerabilem Maternum, in conspectu totius Ecclesiæ, ad Sacerdotalem gradum solemniter prouexit. Cumque fideles, qui ob eius depositionis famam aduenerant, admonuisset, quinta die Oratorium ingressus, Viaticum sumpsit, quod ipse consecrauerat; & post hæc, sacris extensis membris inter Discipulorum manus, Deo reddidit spiritum, anno Dominicæ incarnationis 54.

Sur. tom. 1. Gesta Pontif. Tungren. tom. 1.

De VALERIO vide supra in MATERNO, & in EVCHARIO.

II.

Maij 16. VBALDVS Episcopus Eugubinus, ante obitum suum, ferè bienniò, grauissimè laborauit aduersa corporis valetudine; in qua tamen cum Apostolo gloriabatur. Ante diem sanctum Paschæ (durissima licet pressus ægritudine) ita vt vix è lecto subrigere se posset, precibus à Domino obtinuit, vt per semetipsum surgeret, nullius adiutus ope; Missam celebraret; & ad populum sermonem haberet. Inde (cum esset ei benè precatus) ad lectum rediit. Pridie autem Pentecostes, ciues cum fœminis ad eum venerunt cereis accensis; eius exitum præstolantes; suisque precibus se commendantes: Idemque fecerunt toto illo sabbato, & sequenti die Dominico sacræ Pentecostes; illum nempè adeundo; & eius manus, & pedes exósculando. Demum, proxima nocte, Ecclesiasticis munitus Sacramentis, orans, & psallens migrauit ad Dominum, anno 1171. ætatis 81.

Sur. tom. 3. Petr. in Cal. lib. 5. cap. 6. Ferrar. in Catal. Baron. in Annal. tom. 12. Molan. in addit. ad Vsuard.

ANNOTATIO.

Cum in calcē aliquando iniuriosè proiectus fuisset VBALDVS Episcopus, & populus vlcisci vellet sibi illatam iniuriam, eum compescuit tumultuantem; & tanquam se de viro illo vindicaturum, suo eum iudicio reseruari voluit. Adductus igitur reus ille coram Episcopo, rogatur ab eo, num vellet iussis parère suis? Pollicetur ille omnia se facturum, etiamsi mortis sententiam in eum pronunciet. Episcopus contra asserit sibi verisimile non videri paratè illam excepturum sententiam, quam ipse in eum laturus esset. Perstat ille, & promittit se nihil recusaturum. Dum autem omnes admirantur, & quid Antistes in eum promulgaturus sit, suspensi expectant, ecce alacer ille surgit è sede sua, propiusq. ad hominem accedens: Præbe mihi (inquit) osculum fili: Deus autem, & hoc, & cætera peccata tibi condonet. *Idem Sur. ibidem.*

III.

VDALRICVS Episcopus Augustanus, moriturus, supellectilem, & omnia, quæ habebat, distribui fecit; nempè pauca camisilia; septem vel octo mensalia; duo sarcilia, & de argento decem solidos; ingemiscens, quod tam copiosa esset, & ingemiscēdo dicens: Ah, quid mihi hæc omnia? Ingemuit, & doluit præterea, quod Nepotem suum sibi successorem procurauerit, dicens: Heu, Heu, quod illum Adalberonem Nepotem meum vnquam vidi; quia pro eo, quod consentiebam secundum suum desiderium, nolunt me impunitum in suum recipere consortium: ad Tribunal enim Dei per visum raptus, didicit se ob id ad Purgatorium condemnatum. Instante autem solemnitate sancti Ioannis Baptistæ in eiusdem sancti Ecclesiam à se constructam, quamuis languore grauiter oppressus, sine alicuius ope venit; ibique bis (ª sicut ea die statutum erat) ª Missarum solemnia celebrauit. Quibus expletis resedit, & astantibus Clericis, dixit, illius celebrationem officij, non suarum virium possibilitate; sed ex diuinitate præsumpsisse Christi, atque iussione; retulitq. eis visionem, qua sibi hoc iniunctum fuerat. Ad cubiculum redijt his dictis; & ibi præstolabatur suæ vocationis diem, illud *Iul. 4.*

Psalm.41. sæpius repetens, nempè: Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei? Interrogatus quem Episcoporum vellet ad suum sepeliendum corpus vocari, respondit: Nostis terram, terræ commendare: Vos tantum (cum tempus fuerit) quod vestrum est facite: Dei est, mei corporis commendatorem prouidere.

In Vigilia porrò Apostolorum Petri, & Pauli, sperans certissimè se de hac vita migraturum, signis omnibus ad Vesperam circumquaq. sonantibus, ipse balneatus, & sacris vestibus (ad hos vsus paratis) indutus, humi se prostrauit, ac si eadem hora esset moriturus: Sed spe frustratus, finita Sinaxi vespertina, ab alijs adiutus, se leuauit; & quasi quodammodo mente consternatus, ait: ò Sancte Petre, modò non fecisti sicut existimaueram. Tandem, quinque transactis diebus, quod concupiuit tenuit; & Clericis canentibus, ac flentibus, petita ab omnibus Indulgentia, omnibusque benedictione impertita; in manus Domini tradidit spiritum, annò Christi 973. ætatis 83.

Sur.tom.4. Trith. de Vir. Ill. lib.3. cap.223. & lib.4. c.222. Baron. in Annal. tom.10.

ANNOTATIO.

[a] Missarum solemnia. legitur de hoc sancto Viro, quod Missas tres, vel duas, aut vnam quotidiè celebrare consueuerit, prout dabatur ei temporis spatium. In quo notandum, fuisse olim liberum Sacerdotibus quot vellent vna die Missas celebrare, quod ex Vualafrido colligitur cap.21. & fortasse ex S.Leonis Papæ Epistola 79. ad Dioscorum cap.2. donec Saleguestadiense Concilium anno 1022. constituit cap.5. Ne quis trium Missarum numerum excederet. Alexander verò Pontifex, qui obijt anno 1073. ad vnam reuocauit. Habetur in c. sufficit, de consecr. dist. 1. Vide Baron. Annal. to.10.

VDALRICI Nepos Adalbero, fuerat omni virtute præditus, ab ipsomet piè educatus, & dignissimus qui Episcopali ornaretur dignitate, quam etiam citò deposuit: obijt enim paulò post, subita morte, & ante ipsum VDALRICVM; nihilominus, ob affectum cognationis & carnis, quo in condescendendo eius petitioni, duci se passus est, Purgatorij pœnas fuit subire coactus.

Habetur simile de Paschasio Diacono in Dial.S.Greg.lib.4.c.40.

IV.

VENERIVS Monachus Solitarius apud Tibur, ex monitu S.Romualdi, sub Abbatis cuiusdam obediẽtia degens, cum per plurimos se exercuisset annos, inuentus est accliuis ante altare, in cubitis & genibus, quasi orans, mortuus iacens. *Sept. 13.*

Ferrar. in Catal. ex Chron. Camaldul. Petr. Dam. in vit. S. Romualdi cap. 24. Petr. in Catal. lib. 8. cap. 66.

V.

VERANVS Episcopus Cauillicensis, cum inter orandum frequentissimè vsurparet illud Psal. 38. Notum fac mihi Domine finem meum, voti sui compos fuit effectus; & in Arelatensi Prouinciali Concilio (quo à Metropolitano suo fuerat euocatus) collegis Episcopis, quo die ex hac vita migraturus esset, aperuit. Quibus sciscitantibus, vbi potissimum humari vellet? placido vultu respondit, se id prouidentiæ diuinæ totum, penitusq. committere. Cumque hæc dixisset, oculis in cœlum sublatis, & sereno vultu reddidit spiritum. *Oct. 19.*

M.S. Bibl. Vall. De eo in notis Martyrol. Rom. ad diem 19. Oct. in Verano Aurelianen.

VI.

VERDIANA Virgo Ordinis Vallis vmbrosæ, apud Castrum Florẽtinum, cum in Eremo triginta annos inclusa vixisset, diem extremum sibi instare cognoscens, dum Psalmos Pœnitentiales genuflexa recitaret, animam Deo reddidit: Sicque post mortem, genibus flexis, & manibus ad cœlum eleuatis remansit, anno salutis 1222. *Febr. 1.*

Ferrarius in Catal. ex Siluano Razzio de SS. Hetruriæ & Chron. Ord. Vallis vmbrosæ.

VII.

VINCENTIVS Episcopus Meuaniæ post multa tormenta à Capitolino Thusciæ Præfecto, & Porphyrio eius successore sibi inflicta, ad cellam suam rediens, subsequenti die Dominico, celebrata Missa, coram Populo spiritum emisit. *Iun. 6.*

Petr. de Natal. lib. 5. cap. 94. Ferrarius in Catal.

VIII.

Apr. 5. VINCENTIVS Ferrerius Ord. Præd. quamuis in vltima ægritudine totus defecisse videretur, non potuit tamen retardari quominus suo fungeretur officio. Sub mortem, indicato fratribus sui obitus die, Ecclesiasticis Sacramentis se communiuit. Triduò autem toto suscepit, & admonuit eos, qui visitandi causa ipsum adibant. Valefecit deinde omnibus; prohibuitque, ne tam frequentes ad eum inuisendum admitterentur, vt posset maiori quiete frui, & diuinarum rerum contemplationi vacare. Patientia eius in infirmitate apparuit eximia, & incredibilis: Vnde cum quidpiam facerent Medici, quo corpus læderetur, nullus in eius ore clamor, sed Iesu nomen, aut Mariæ, aut alicuius è Sanctis resonabat.

Dempto cibi ac somni tempore, semper Deo laudes offerebat.

Interrogatus quem vellet habere sepulturæ locum (nullum enim erat Venetjis (vbi decumbebat, Dominicanorum cœnobium) respondit: Ego sum professione Monachus, pauper, & seruus Iesu Christi; itaque non de meo sepeliendo corpore; sed de animæ potius cogito salute: Verum, vt pacem habeatis, rogo vos vt Priori cœnobij, quòd vrbi vicinus est, curam sepeliendi corporis huius relinquatis.

Tandem, quando dies aduenit vltima, petijt sibi legi Passionem Christi secundum quatuor Euangelistas. Deinde recitari voluit Psalmos Pœnitentiales; quos, atque etiam totum Psalterium, tandiù dixit, donec linguæ esset destitutus officio. Ad extremum lecta est litania; qua absoluta, mox totus quadam hilaritate perfusus, iunctis, sublatisq. manibus, & oculis in cœlum, lætus migrauit ad Dominum anno salutis 1419.

Sur. tom. 2. Petr. Rau. Ord. Præd. Anton. Chron. par. 3. tit. 23. cap. 8. Vinc. Iust. in vit. à se edita ex processu Canonizationis anno Domini 1575. Leand. Alber. Franc. Didac. in eius vita Hispanicè.

ANNO-

ANNOTATIO.

Frater quidam Augustinianus multa(cum alijs quibusdam maledicis& obtrectatoribus) in S. VINCENTIVM, eiusque doctrinam iactauerat. Cernens autem eius mansuetudinem, & in perferendis iniurijs constantiam, à se falsò eum criminatum doluit; ipsumque adijt, & veniā ab eo petijt, dicens, se vnum ex illis esse, qui contra ipsum, eiusque sanctam doctrinam conspirasset: sed sua humilitate, & mansuetudine certò sibi polliceri, non se repulsam apud eum passurum. Cui sic Vir sanctus respondit; Ego iam pridem tibi tuisque socijs ignoui; sed multò etiam magis tibi pepercit Deus, qui hanc tibi adspirauit mentem, vt hodie ad me venires. Festina igitur & consule animæ tuæ,certus te breui moriturum: quamprimum adito Sacerdotem; eique peccata omnia quorum potes meminisse,confitearis. Ille valdè perterritus,fecit vt iusserat sanctus,deinde accepta benedictione, & pacis osculo, à Viro Dei recessit. Necdum deuenerat ad locum, quò ire constituebat, & ecce subitò corruens expirauit. *Anon. obit.*

Porrò sanctus VINCENTIVS eodem momento ait ad illos,qui ipsum comitabantur: Oremus pro anima fratris illius, quem paulò ante hortatus sum, vt sua peccata confiteretur; iam enim mortuus est. Itaque eodem in loco eius exequiæ sunt celebratæ. Quibus peractis, nuncius adfuit, repentinum eius obitum indicans. *Sur.lib.3.vit.ipsius in principio.*

GILABERTVS Monachus, & Præfectus cœnobij S.Mariæ de Podio, quod est Valentiæ, abdicata cœnobij sui cura, constituerat cum cæteris sequi Virum Dei. Eius animi pietatem animaduertens Vir sanctus, libenter eum recepit. Paucissimis autem elapsis inde diebus, illi ad se accito ait: Hortor fili, vt protinus coram me confitearis, ac deinde ad tuum reuertaris Monasteriū; illic enim tibi sepulchri locus erit. Porrò dum iter facis nunquam cesses à laudibus Dei; & siquid vnquam veræ contritionis habuisti, id iam in te excitare coneris: Ad fores Monasterij fratres ferè omnes te cupidissimè præstolantur. Ille tametsi, non satis Viri sancti dicta assequeretur, tamen fecit libens omnia, factaque Confessione, & percepta sancti Viri benedictione, ad suum properauit cœnobium: mox verò vt eius limen attigit, spiritum exhalauit; eodemque momento ei quoque iussit sanctus absens exequias fieri *Idem ibidem*.

Quidam

Anon. obit. Quidam ex eius Socijs, dum in Britannijs cum Sancto moraretur, vexatus febri petijt ab eodem benedici, & consignari, vt posset eo morbo liberari: & manus quidem suas illi B. VINCENTIVS imposuit; sed mox eum intuens: Noueris (inquit) fili frustra te expetere sanitatem; namq. post dies octo, hora prima Dominicæ diei morieris. Consule igitur saluti animæ tuæ. Paruit ille B. Viro, & eadem hora, qua prædictum erat, vita functus est. Cumq. ad eius exequias multi conuenissent Sacerdotes, petijt ab eis Vir sanctus vt singuli pro illius anima ter missas celebrarent, dicens, reuelatione diuina se didicisse, triduò illam Purgatorij pœnas luituram. Offeruntur itaque ab illis Missarum sacrificia, & à VINCENTIO gratiæ eis aguntur, asserens missarum, & precem suffragijs animam illam à pœnis ereptam ad cœlos euolasse. *Idem ibidem.*

Muta interrogata à sancto Viro, quid vellet? loquuta est, & postulauit loquelam, & panem: Panem (inquit Vir sanctus) habebis, sed cum ob animæ tuæ salutem, linguæ officio careas, noli frustra illud petere, quod nunquam sis impetratura. si enim loqui potuisses, immodica mordacitate, & corporis, & animæ vitam perdidisses. Abi igitur, & mente Deum laudare non cesses. Respondit illa; faciam Sancte Pater quod hortaris, statimq. obmutuit; & post annos septem mortua est: *Idem ibidem.*

Mutæ etiam alteri loquelam reddidit Vir sanctus, qua sub mortē peccata confiteretur, Lepida quidem, & fortasse ridicula, erit eiusmodi narratio, non autem ociosa, neque inutilis; quam idcircò Leander in eiusdem Sancti vita, non duxit esse prætermittendam (vt ipse ait) his verbis.

Nec illud prætermittendum est, quod contigit in agro ciuitatis Darturiensis, quæ vrbs, Cathalonum lingua, Traiguerra dicitur. Erat in turba, quæ B. VINCENTIVM sequebatur ex Gallia Cisalpina, quidam iuuenis, Deum quidem, quo norat affectu & poterat, colens: sed rudis admodum, & plus æquo simplex, Is proximè audierat B. VINCENTIVM narrantem fuisse aliquando ab inclyta virgine Margarita diabolum sub humana specie superatum, & pedibus conculcatum. Optabat iuuenis, desiderio ingenti pellectus, talem sibi certaminis occasionem dari; ac eodem modo diabolum offerri. Cupiditate eiusmodi pugnæ accensus, & plenus minarum exit in prædium quoddam, vbi seges erat matura messi. Ibi solus, & latitans: ò si mihi hoc in loco (inquit) hostis ille generis humani teterrimus detur, & luctari cum eo possim, quibus eum afficiam

ciam modis, quot pugnis, quot calcibus onerem! Certè vincam & ego!, atque conculcem. An mihi sit minus virium, quàm illi femellæ virgunculæ olim, à quo victus, & prostratus ille dicitur? Et hæc dicens, flexis genibus orabat Deum, vt se voti compotem faceret. Totus in hoc erat; Ecce tum fortè venit in eundem agrum annosa mulier, non tam senio, quàm macie confecta; & plusquàm dici possit informis. Inerat ori macies ingens, rugæ, squallor, oculi introrsum reiecti, rara canicie caput inspersa; manu falcem tenens. Nam veniebat, vt meteret. Sed is vbi falcem vidit, in sententia confirmatus, auditam esse à Deo precationem suam, & optatum sibi palæstritam esse datum. Et heus tu (inquit) certissima pestis, venisti ne tandem ad exoptatum mihi certamen? Accede huc infande diabole. Illa autem, quæ Muta esset, nescio quid immurmurans nutibus, & falce, iuueni visa est minitari, tanquam certamen initura. At ille: In me etiam lacessis, & prouocas verbero? Et hæc dicens, impetu fertur in illam, & paruo negocio prostrauit. Et, age (inquit) maledicte diabole, age: Hic te habeo, hic te teneo, measq. non effugies manus. Tandem quod votis omnibus, ac precibus expetiui sum assecutus: & cum hæc diceret, pugnis, calcibusq. infelicem anum pulsabat. Neque his contentus, erepta illi falce, multis etiam vulneribus affecit. Clamabat quò poterat modo misera, & opem implorabat: sed ille non ante pulsandi, & feriendi finem fecit, quàm exciti clamore, ac strepitu, ex propinquis locis multi ex incolis accurrère. Seminecem anum, & illum adhuc in vulnera pronum inueniunt, comprehendunt, atque in vincula coniiciunt clamantem, & affirmantem, diabolum esse quem occiderit, non vetulam: precatum se Deum esse, vt talis sibi certaminis copia daretur; datam esse; mirari se quomodò indignè id ferant; quod necem diaboli parent vlcisci; præmia sibi, quod hostem generis humani peremerit, non supplicia deberi. Vbi rem B. VINCENTIVS cognouit, afferri ad se anum iussit: cuius vbi frontem, ac pectus signo Crucis tetigit, reuixit illa continuò: & quam omnes natam esse mutam nouerant, perfectè loqui illicò cœpit, & sacerdotem poscere, cui delicta confiteretur: quod quidem ita fecit, ac si nunquam muta fuisset. Cumq. peracta illi cætera essent, vt ipsa petierat, quæ circa morientes, ex ritu Christiano, fieri consueuerunt, post duas horas expirauit. Iuuenis autem, qui capitis supplicio puniendus erat, B. VINCENTII precibus liberatus, in Italiam (ab eo iussus) remeauit. *Leand. Alber. in Chron.* *Anon. obit.*

Habet

Habet hoc idem Franciscus Didac. vbi supra Hispanicè, qui id contigisse ait anno Domini 1413.

Supra vigintiquinque millia Iudæorum ad Christi fidem conuertit S. VINCENTIVS. Habeturq. apud eos adhuc memoria tantæ Conuersionis in libro quem appellant Gazareth, siue strages à fratre VINCENTE in Hispania editâ.

Saracenorum octomillia, eratq. numerus eum sequentium aliquando decem millium Virorum. Vnde in campestribus cogebatur concionari; ad cuius conciones aliquando octoginta millia hominum conuenisse visa sunt. Ducebat autem secum Sacerdotes multos ad audiendas confessiones pœnitentium, & ad missarū solemnia solemniter celebranda, nempè Subdiacono, & Diacono, & musico concentu; Quin & organa quoque ad hunc effectum deferri faciebat.

VINCENTII eiusdem Soror, quæ multis annis, reuerenter admodum, quandam fratris sui lineam tunicam apud se conseruarat, *Anon. obit.* cum esset morti proxima eandem tunicam suo corpusculo imponi voluit; sicq. iacens, inter alia crebrò hæc verba repetebat; Ora Deum pro me charissime frater VINCENTI. Tandem post duas horas, hæc illius suprema verba fuere: En frater meus VINCENTIVS me deducit ad tribunal Christi. Quibus dictis, mox expirauit. Hæc autem omnia idem S. VINCENTIVS, inter sacrificandum, per diuinam cognouit reuelationem; & peracto sacrificio, suggestum ascendens, omnibus indicauit. *Idem Sur. eod. lib. 3.*

I X.

Mart. 5. VIRGILIVS Episcopus Arelatensis, diem sui obitus vicinum esse cognoscens, eundem omnibus humiliter studuit indicare, & cum in stratu suo, tanquam soporem capiens, recubasset, diuinumq. impleret officium, hymnos, & cantica psallens, emisit spiritum, & ad cœlestia migrauit, anno Christi 640. ætatis anno 127.

Vinc. Barralis in Chronol. SS. Lirinen. De eo Greg. Turon. de gest. Franc. lib. 9. c. 23. Extant ad eum S. Gregorij Papæ plures Epistolæ in Registro.

X.

VLRICVS Frisacensis Ord. Præd. cum sæpius à Diuinarum rerum contemplatione, sensuum vsu, ac ministerio destitutus, extra se raperetur, quadam die feruentius orans, tanta

fuit

fuit suauitate perfusus, vt liquefieri videretur; nullaq. febri exustus, nulla correptus ægritudine, à solo Diuino amore in lectulum (morti iam proximus) prostratus fuit. Mirabantur fratres tam citam mortem Viro sancto imminere; Mox verò poscenti sacrosanctam Eucharistiam, & postremam Vnctionē ministrarunt; qua munitus in exstasim illicò raptus est; apparuitq. facies eius admirando splendore effulgens. Deinde ad se reuersus, vrgente Priore, vt quod sibi accidisset indicaret, narrauit se conspexisse S. Paulum Apostolum, vnà cum Diuo Patre Dominico, à quibus (ad eorum consortium inuitatus) dictum sibi fuisse, crastina luce, hora tertiarum à corpore se migraturum. Subsequenti igitur die vocauit VLRICVS fratrem, seruitio infirmorum deputatum; quem rogauit vt quamdiligentissimè cubiculum exornaret, pro aduentu (inquiens) quorundam magnæ auctoritatis hospitum. Obediuit ille, & fratribus, quæ audierat nunciauit; qui hora designata adfuerunt omnes; cum Vlricus: Date (inquit) locum Saluatori meo Iesu, nunc tecta hæc subintranti; Date (subdit) & sanctissimæ Virgini Deiparæ, S. Ioanni Præcursori, S. Paulo, & alijs Sanctis (quos singulos nominatim salutabat) me miserū inuisentibus: Date denique & S. Agneti, S. Catharinæ, S. Agathæ, huic, & alteri, quarum nomina recensebat. Hæc dum fratres in terram prostrati audirent, ad signum Tertiarum ab æditituo datum, felix illa anima migrauit in cœlum, anno Domini 1236.

Leand. Albertus lib.

X I.

VOLPERTVS Abbas Tuitiensis, cum quadam nocte Matutinos (de more) præuenisset Hymnos, illo diutius orante contremuit locus, in quo stabat; propè sepulchrum nempè S. Hereberti Coloniensis Archiepiscopi, & illius Monasterij fundatoris, pridem defuncti; quem viuentem ardenter dilexerat. Cum igitur locus intremuisset tàm validè, vt tota monasterij fabrica funditus quati videretur, inhorruit quidem, sed non modicam habens fidem, cœptam continuauit orationem, *Apr. 14.*

cornu

cornu altaris apprehendens. Iterum verò murus templi cum sonitu magno intremuit, & omnia circunstantia moueri visa sunt. Ecce autem, & sepulchrum B. Viri patefactum est; & Sanctus Dei egressus propè eum stetit; leniterq. tangens illũ, quid operaretur sciscitatus est: Cum igitur Herebertus alloqui inciperet, tangens prius latera eius baculo pastorali, cum quo fuerat tumulatus, vires ille resumpsit, & ad interrogata respondere præualuit. Confestim autem, qui apparuerat hæc intulit: Orationibus (frater mi) sedulus vigilanter insiste; & viuorum, atque mortuorum Parentum, vel familiarium tuorum salutem exorans, mei quoque memoriam abundantius habe: scito enim quia obitus mei die trigesimo mecum pransurus es. Hoc ille audito, penè exanimatus, resedit in eodem loco. Tandem spiritum paulatim attrahens respirauit, baculoq. innixus surrexit; mane facto in fratrum conuentum (de more) processit, & sermonem protulit ædificationis; inter cætera illud maximè exhortans, quod egregium decus est monachorum (videlicet) vt oris sui custodiam haberent ad silentium. Conuentu soluto, seniores tantum, & qui magis spirituales esse videbantur secretius aduocauit, & quæ viderat quæuè audierat cuncta eis per ordinem retulit; quamuis illi minus crederent. Obitus igitur B. Hereberti instabat dies trigesimus; & Volpertus ad eundem diem, copiosas pauperibus impensas præparabat. Oportebat autem illum, propter hoc ipsum, ad quandam suæ Ecclesiæ possessionis exire villã, quæ decem fermè milliaribus à monasterio procul aberat; vbi quæ necessaria erant futuro diei præparare, præsens ipse, properanter iussit. Hoc facto, nauem conscendens, velociter per alueum Rheni ad monasterium est reuersus. Iam autem hora sexta, rogabatur à comitibus, vt pranderet, quoniam, & ipsis ita iucundum erat, & hora satis opportuna commonebat. Ipse quoque non abnuens, immò & ex charitate iuuentuti famulanti condescendens, præmittere voluit Dei opus; Sextãq. horam cum duobus, qui obsequio eius aderant fratribus, canere incœpit. At vbi ventum est ad lectionem, quam nos Ca-

pitulum dicimus, hæc autem erat: Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur &c. respondentibus illis, Deo gratias, continuò spiritum exhalauit.

Sur. to. 2. in Vita S. Hereberti cap. 35. de quo supra.

XII.

VRSINVS Presbyter ad extrema deductus, cum eum * Presbytera sua conspiceret, solutis iam membris, quasi in morte distentum; si quod ei adhuc vitale spiramen inesset, naribus eius apposita curauit aure dignoscere: Quod ille sentiens, cui tenuissimus inerat flatus, quantulo adnisu valuit, vt loqui potuisset, inferuescente spiritu, collegit vocem, atque erupit, dicens: Recede à me mulier; adhuc igniculus viuit, paleam tolle. Illa igitur recedens, crescente virtute corporis, cum magna cœpit lætitia clamare: Benè veniant Domini mei; Benè veniant Domini mei. Quid ad tantillum seruum vestrũ estis dignati venire? Venio, Venio, Gratias ago, Gratias ago. Cumq. hoc iterata crebra voce repeteret, quibus hoc diceret, noti sui, qui illum circunsteterant, requirebant. Quibus ille admirando respondit dicens: Nunquid hic conuenisse Sanctos Apostolos non videtis? B. Petrum, & Paulum, primos Apostolorum non aspicitis? ad quos iterum conuersus dicebat: Ecce venio, ecce venio. atque inter hæc verba reddidit spiritum.

Greg. Dial. lib. 4. cap. 11.

ANNOTATIO.

* Ad *Presbyteræ* nominis intelligentiam sciendum ex *Baron. Annal. to.* 1. Post Diaconorum electionem, Viduas illas, quæ præerant ministerio quotidiano, ab eo desijsse, ac cessasse, alijsq. fuisse functionibus mancipatas. Munera autem quæ obibant, hæc erant præcipuè: Præesse Ecclesiæ portis, quibus ingrediebantur mulieres; sicut & Ostiarij, quibus ingrediebantur Viri; Vnde S. Ignatius eas, sacrorum Vestibulorum custodes, appellat (Erant enim in templo fœminarum portæ, & loca orationis, à viris seiuncta.) Alijs quoque muneribus Diaconissæ fungebantur, de quibus in *Clem. const. lib.* 3. *cap.* 13. & apud Epiphanium *hæresi* 79. vberius.

Diaco-

Diaconissæ igitur huiusmodi Viduæ, quæ Seniores erant, dicebantur etiam Presbyteræ, ob ætatem, vt declarat *Canon. xi. Conc. Laodicen.* posterioris translationis.

Aliquando verò, & frequentius, dictæ esse Presbyteræ reperiuntur, quarum Viris in Presbyteros electis, ipsæ interim vitam cœlibem agerent. Quo sensu & illæ habentur Episcopæ appellatæ, quarum Viri fuissent postea in Episcopos consecrati; sic Subdiaconissæ &c. Habentur hæc omnia nomina expressa in *Conc. Turonen. 2. cap. 13. 14. & 20.* sicq. accipiendum quod scribit Gregorius de VRSINI Presbytera.

X I I I.

Apr. 1. VVALERICVS Abbas apud Ambianum, adueniente suæ migrationis tempore, die quodam Dominico (cum ad suum Monasterium reuertisset) abijt ad verticem montis, vbi arbor erat, vepribus vndique cincta; quo in loco furtiuas Deo preces offerre consueuerat. Aderant autem illi quidam fratres, in quorum præsentia certum designauit locum, aitq. ad illos: Vbi de hac vita (Deo volente) tandem discessero, hoc in loco me sepeliatis. Proximò inde Dominico die, feliciter migrauit ad Dominum, circa annum salutis 620. atque iuxta illam arborem, sicut iusserat, sacrum eius corpus fuit humatũ.

Sur. to. 2. Vinc. lib. 23. c. 23. Petr. in Catal. lib. 4. c. 21. Trit. de Vir. Ill. lib. 3. c. 78. De eo Baron. in Annal. to. 8.

X I V.

Iul. 22. VVANDREGESILVS Abbas, in vltimo senio constitutus, Domino sæpissimè supplex aiebat: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, &: Iesu Benigne, Verbum Patris æternum, de hac plorationis conualle eripe me; & tuis, fac quantocyus dignum apparere conspectibus. Exauditus autẽ à Deo, iam proximus morti, tribus diebus, totidemq. noctibus in excessu mentis raptus, vidit cœlos apertos; monuit, & consolatus est Discipulos suos; accepit sacrosanctum Viaticũ; & videns Hostem astare cruentum, cum eo luctari auditus est à circunstantibus; & Victor dicere, se fonte lauacri Christi tinctum.

Astantibus Monachis trecentis imperauit, vt cum psallentibus;

tibus, iunctis psallerent vocibus (multi enim sibi apparuerant Sancti) ille autem iucundo aspectu, lætatus in Domino, gratias Deo egit, quod cœli ianuam sibi reserasset. Tandem signo Crucis se muniens, eorundem Sanctorum caterua vallatus, migrauit ad Dominum, anno salutis 665. ætatis 96.

Sur.to.4.Petr.in Catal.lib.6.c.127.Molan.in Indic.Baron. in Annal.to.8.

X V.

VVAZO Episcopus Leodiensis, febri correptus, non valens chorum Ecclesiæ frequentare, intra domus suæ penetralia, psalmodiæ dulcedine spiritum reficiebat. Ingrauescente autem morbo, Abbates, & Presbyteros, ac inferioris Ordinis Clericos, in Cappellam cubiculo proximam, conuocari iussit; vt illis præsentibus de rebus Ecclesiæ disponeret; Confessionem suam ipsis testibus Deo offerret; & eis orantibus, ac psallentibus, Vnctionem sacram perciperet. Ipse verò cum duobus tantum (secreti huius arbitris) corpus lauit, ob reuerentiam sanctæ Vnctionis, & in spem Resurrectionis æternæ. Post hęc, albis indutus vestibus, in Oratorium deducitur; ibiq. in Sedili locatus, missam audiuit, & sacrosancto Dominici Corporis Viatico, felicem animam præmuniuit. Deinde res Ecclesiæ disposuit; quarum partem vnam Successori suo; alteram Pauperibus, & Deo seruientibus delegauit. *Iul.8.*

Dispositis igitur prudenter omnibus, Otbertus Abbas Gēblacensis, ad peragenda circa eū sanctæ Vnctionis obsequia, sacerdotali veste induitur: Quo propinquante, Christi Sacerdos, quantulo valuit annisu, è lectulo surrexit; coram altari genua flexit; & audientibus, qui aderant, peccata sua, cum summa cordis contritione confitendo replicauit.

Suggessit autem ei Otbertus, vt confiteretur, siquid in Imperatorem (cum quo simultas fuerat) deliquisset. Sed respōdit: securum se prorsus esse; Imperatori nunquam nocuisse, in hoc verò solum esse culpabilem, quod cum esset à culpa immunis, humiliatione iniusta se pedibus eius aduoluisset; insuper & sacerdotalem dignitatem laicali personæ subijcere non

timuisset. His dictis, siquid in fratres peccauit, rogauit veniã, & tandem solemniter à præfato Abbate inũctus, cuncti recesserunt in sua; ipse verò mansit in lecto, intentissimè pro exitu suo supplicans.

Sequenti die post octauam sanctorum Apostolorũ (septima nempè Iulij) cũ iam imminens exitus putaretur, regressis ad eum fratribus cum Abbate, vt (morientium more) solo decessurum submitterent: Nolite (inquit) hodie circa me frustrà fatigari; sed die crastino occurrite discessuro: quo quidem migrauit feliciter ad Dominũ. Ad hanc vocem Abbas OTBERTVS, in lachrymas resolutus; leuatisq. oculis ac manibus in cœlum: Potentissima (inquit) Dei pietas, non me sinat post te, septem dierum spatio in hoc morari corpore; & exauditus est. Obijt Vuazo, anno Domini 1408.

Ansel. Leod. in Gestis Pontif. Leodien. tom. 1. *cap.* 110.

XVI.

VVENCESLAVS Presbyter, Vladislaus Diaconus, & Vislaus Subdiaconus fratres Vterini, Cracouienses, in Polonia (qui vno die habitum Religionis Prædicatorum è S. Hyacinthi manibus sumpserunt) cum, ijsdem institutis efformati, puritatis, sanctitatisq. conspicuæ illustria specimina dedissent; vna quoque die, nempè feria v. in cœna Domini, dum sacrosancta Eucharistia refecti, pro antiqua Prouinciæ Poloniæ cõsuetudine, ante aram maiorem prostrati, gratias Deo persoluerent, subitò exanimati, non amplius cum reliquis fratribus surrexère. Quorum animæ sanctæ Priori cœnobij (de earum salute dubitanti) apparuere, certiorem ipsum reddentes se cœlestes petijsse sedes, & ab illis aris ad regis Regum mensam obtinuisse locum. Contigit hoc, anno Christi 1272.

Diar. Ecclesiarum Cracouiensium par. 1.

XVII.

VVILLHELMVS primus Rex Angliæ, post multa perpetrata scelera, diuino tandem numine vlciscente, morbo correptus, & ad obitum vsque, acerbissimo fuit dolore confectus: cumque per medicos nuncium audisset mortis, eiulare cœpit, & con-

& conqueri nimium, quod eum præoccuparet mors, emendationem vitæ iamdudum meditantem. Resumpto autem animo, peccata sacramentali statim confessione diligenter expiare; seque sancto Viatico munire curauit. Postmodum (exuberante intrinsecus contritione) ex abundantia cordis, parum habuit, peccata sua, secreta confessione Sacerdoti ostendisse; sed eadem, cunctis qui aderant audientibus, voluit propalare; & quidem non solum, quæ nuper Ecclesiarum incendio publicè perpetrasset (quorũ causa ea tunc pati commeruisse fatebatur) verum & ea, quæ adhuc impubes deliquisset, sic inquiens.

Multis (ò amici) grauibusq. peccatis onustus contremisco, & mox ad tremendum Dei examen rapiendus, quid faciam ignoro. In armis enim ab infantia nutritus sum; & multi sanguinis effusione admodum pollutus sum. Nullatenus enumerare possum mala, quæ feci per sexagintaquatuor annos, quibus in hac ærumnosa vita vixi; pro quibus absque mora rationem reddere nunc cogor æquissimo Iudici. Pergit eadem facinora singillatim recensere cum lachrymis. Quibus enarratis, conuersus ad eos, qui aderant Sacerdotes, sic locutus est: Vnde vos (ò Sacerdotes, & ministri Christi) suppliciter obsecro, vt orationibus vestris me commendetis omnipotenti Deo, vt peccata, quibus admodum premor, ipse remittat, & per suam infatigabilem clementiam inter suos saluum me faciat. Thesauros quoque meos iubeo dari Ecclesijs, & pauperibus, vt quæ congesta sunt ex facinoribus dispergantur in sanctis Sanctorum vsibus.

Ne verò tantorum criminum recordatione in desperationem prolaberetur, multa etiam, quæ ipse fecerat bona subinde recensuit; constructa nempè ab eo decem & septem cænobia Monachorum; sexque Sanctimonialium; eleemosynas plurimas ijsdem, alijsque locis erogatas; Ecclesiæ Dei defensionem contra omnes æmulos fortiter susceptam; & alia huiusmodi recoluit, vt seipsum depressum, in spem violentus erigeret.

Tandem, quinto Idus septembris feria quinta summo mane excitus Rex, sonum maioris signi audiuit in metropolitana Basilica: percontante eo quid sonaret, responderunt ministri: Domine, hora prima iam pulsatur in Ecclesia S.Mariæ. Tum Rex, cum summa deuotione, oculos ad cœlum erexit, & sursum manibus extensis dixit: Dominæ meæ sanctæ Genitrici Mariæ me commendo, vt ipsa suis sanctis precibus me reconciliet charissimo Filio suo, Domino nostro Iesu Christo. His dictis protinus expirauit, anno salutis 1087.

ANNOTATIO.

Operæpretium visum est, inter Iustorum obitus, exitum quoque huiusmodi recensere olim facinorosi Regis; vt quem in vita sequuti fortè sumus errantem, sequamur & in morte pœnitentem.

XVIII.

Apr.6. VVILLHELMVS Abbas Hirsaugiensis instante Natali Beatissimorum Apostolorum Petri, & Pauli, languore correptus est; qui licet debilis esset, nocturnis tamen vigilijs, & diuinis officijs cum alijs interesse, in die autem festo ipsorum Apostolorum, Missam in priuato, celebrare voluit; manibus ab vtroque latere sustentatus fratrum, cum stare per se nullatenus posset. Cum maxima igitur mentis in Deum deuotione, qua potuit altitudine vocis, Missam inchoauit, dicens verbis Apostoli: Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus Iudex. Ad eum enim proficisci nouerat, cui in hac vita fideliter seruierat; & à quo sui operis erat mercedem recepturus.

Quarto dehinc die in Capitulum se portari fecit, conuocatisq. omnibus, exhortatus est eos de continuo Dei amore habendo; de feruore Monasticæ Religionis; de obseruantia mutuæ dilectionis; deque Hospitalitate solicitè custodienda.

Altera demum die in Oratorium B. Virginis (quod ipse construxerat) se denuò deferri fecit, celebrataq. coram se Missa, Corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi de

manu

manu Sacerdotis, cum ingenti deuotione ſuſcepit. Deinde (ſacro inunctus oleo) ad cellam ſuam reportatus eſt, vbi valedicens fratribus; die poſtera feliciter obdormiuit in Domino 4. Nonas Iulij 1091.

Io. Thrithemius in Chron. Monaſt. Hirſaugien. anno 1091. *Baron. in Annal. tom.* 11.

XIX.

VVILLHELMO Abbati Roſchildenſi in Dania, ante annos ſeptem priuſquam è vita migraret, nocte quadam aſtitit ei Vir in viſione dicens: Septem dies viues. Illo autem diſparente, Vir ſanctus manſit ſolicitus, neſciens quinam accipienda eſſent, quæ audierat. Cunque iam ſeptem ſoſpes exegiſſet dies, putat ſeptem hebdomadas, aut menſes ſeptem, aut certè totidem annos ſignificari. Ab eo igitur tempore vſque ad ſupremum vitæ ſuæ diem, adeò carnem ſuam crucifixit cum vitijs, & concupiſcentijs, vt anteacta vita (aſperrima licet) huius extremæ comparatione, delicata videri poſſet. Atque vt hinc probatior, & purgatior exiret, immiſit Dominus in totum corpus vlcera, quæ ille patienter tolerauit. *Apr. 6.*

Iam ſeptimus voluebatur annus, & Quadrageſimæ tempus agebatur: Eratque Vir Domini ſedulò occupatus commemorandis nouiſſimis ſuis; & quotidiè cum ſumma cordis contritione, & lachrymarum profuſione ſacrificium Miſſę Domino offerebat, & corporis & ſanguinis eius ſacroſancta Communione ſe pręmuniebat. Adueniente verò die Cœnæ Dominicæ, ad ſacrum altare ſacrificaturus acceſſit; & omnibus fratribus Euchariſtiam ſuis manibus porrexit. Peracto ſacrificio, cum circa pauperes mandatum impleſſet, vltimam cum fratribus cœnam facturus ingreditur: Viſaque ſunt in eius vultu futuræ beatitudinis indicia; tanta in illo, præter ſolitum, relucebat lætitia. Abſoluta cœna ſurrexit, vt fratrum lauaret pedes; ſed grauiſſimo lateris dolore impeditus, recedere coactus eſt. Morbo itaque ingraueſcente in lecto reponitur; & deficientibus corporis viribus, in ſabbato ſancto fratres eum hortabantur, vt ſacram perciperet Vnctionem. At ille liben-

ter se illius sacratissimæ noctis vigilijs interesse velle aiebat; sed neque viriũ imbecillitas, neque fratres id vt faceret permiserunt. Designati autem sunt certi fratres, qui apud illum ea nocte permanerent; ex quibus vni ad se accersito, ait: scis fili, quia noua adest solemnitas, Christianis omnibus veneranda. Itaque & nos debemus nouis vestibus indui: affer (quæso) ad me vestem, quam habeo, vt illa induar. Intellexit ille quam diceret vestem, attulitq. ei nouum cilicium; eoque (veteri prius ablato) eũ induit. Rursus autẽ admonitus ab astantibus, vt admitteret Vnctionem, respondit: Lucem (præstante Domino meo Iesu Christo) expectabo. Aurora igitur rutilante, cum canerent in Ecclesia fratres: Vt venientes vngerent Iesum, &c. Prior (accitis aliquot fratribus) chorum exijt, sacrum ferens oleum, & accessit ad Virum sanctum, ad extrema iam tendentem; & quia hoc expectabat, crebrius repetentem: Citò, citò. Peracta autem sancta Vnctione, depositus est super cinerem, & cilicium; ibique sanctum emisit spiritum, anno Christi 1202. ætatis 98.

Sur. tom. 7.

X X.

VVILLHELMVS Episcopus Roschildensis audita Suenonis Regis Danorum morte, dum corpus eius Roschildiam (sicut ipse Rex iusserat) perducitur, in occursum eius, cursu festinato contendit; & accersitis qui terram foderent, prius Regi, deinde sibi tumulum extrui iubet; asserens eisdem fossoribus (iussa admirantibus) non se voto fraudandũ, quo cum eo commori semper optauerat. Deinde citato equo in occursum exequiarum contendens, cum ad nemus quoddam peruenisset, duabus miræ proceritatis arboribus secus iter conspectis, vtramque præcidi, inque vsum lecti funebris aptari præcepit. Illi sibi Regalis feretri constructionem præcipi rati, imperium exequuntur; compactumq. vehiculum equis imponunt. Cumque Pontifex, Regium in vicino funus adesse cognosceret, aurigam sistere iussit; ac protinus (veluti laxamenti gratia) amiculum quod habebat, exuit: eique humi

expanso,

expanso, seipsum superiecit: Deinde (erectis supernè palmis) si quo rerum auctori seruitio placuisset, vitam à se finiri petiuit; absque vlla cunctatione amicum potius morte insequi, quam vitam deserere præoptans. Hæc fatus, veluti in domestico lectulo acquiescens, extinguitur, anno Domini 1077. A suis igitur feretro (quod sibi parari voluerat) exceptus, atque ante Regem eleuatus, exequijs impensius actis, amborum corpora coniunctis admodum tumulis concluduntur.

Saxo Gramaticus in Danorum hist. lib. 11. De eo Baron. in Annal. tom. 11. Anno Christi 1077.

ANNOTATIO.

Recenset ibidem Baron. ex eadem Danor. hist. facinus illustre tanti Viri, ex quo eiusdem seueritatis pulcherrimum, pariter ac Regis certissimum moderationis documentum, cunctis exhibetur. est autem huiusmodi.

Ipse Sueno Rex, sacro Circũcisionis peruigilio, solemni magnatum conuiuio feriatus, cum, quorumdam Principum clandestina obtrectatione, parum honoratè de se habitum sermonem comperisset, iræ aculeis actus misit, qui ipsos matutino tempore intra Trinitatis Ædem oraturos confoderent. Qua in re VVILLHELMVS Antistes, templi (vt par erat) violatione permotus, cum Rem Diuinam Pontificali more peragere debuisset, non solum aduentantem Regem occurrendi veneratione excipere supersedit, sed etiam sacrarium subire connisum, à primis eius liminibus absque respectu familiaritatis, Sacerdotij insignibus ornatus, baculo, quo vtebatur, exclusit; suppressoq. dignitatis nomine, non Regem eum, sed humani cruoris carnificem appellabat. Nec reum obiurgasse contentus, aculeum virgæ eius pectori infixit: nec dubitauit insuper, in præsentem, damnationis quoque proferre sententiam. Quamobrem infesto militum concursu petitus, applicatos ceruici suæ gladios animi firmitate contempsit; tantumq. se in despiciendis periculis gessit, quantum egerat in prouocãdis.

Cuius Rex inhibita nece, cum eum non temeraria offensa, sed publicæ seueritatis fiducia concitatum animaduerteret, conscientiæ rubore perfusus continuò Regiam repetit; Regiaq. veste deposita, obsoletam accepit. Neque enim tam tristi Pontificis sententia perculsus, Regalis magnificentiæ cultum gestare sustinuit,

ſed abiectis Regiæ maieſtatis inſignibus pœnitentiæ ſagulum ſumpſit, deinde nudatis pedibus ad atrium regreſſus, in eius ſe aditu proſtrauit; terramq. ſuppliciter oſculatus, dolorem, qui ex contumelia acerrimus infligi ſolet, verecundia, ac moderatione compreſſit. Antiſtes interea inchoamento pſallendi facto, primaq. concentus parte edita, cum Græcæ precationi *Kirie eleiſon* ſolemnem ritè Gloriam ſubnectere debuiſſet, ſupplicem foribus Regem adeſſe cognouit. Ceſſato igitur cantu, Cleroque conticere iuſſo, fores repetens, cum Regem, quid ita ſe gereret, percontatus fuiſſet, atque ille criminis confeſsione facta, religioni ſeſe ſatisfacturum promittens, ſacerdotalis ſubſidij veniam poſtulaſſet: continuò execratione remiſſa, iacentem amplexus, obortis lachrymis, depoſitiſq. doloris inſignibus, & cultum, & animum Regium reſumere iuſsit. Deinde imperatis pœnitentiæ rebus, cantores, quorum frequentia ſolemnitas agebatur, in occurſum eius procedere iuſsit; ſtatimq. venerabiliter exceptum, ad aram vſque perduxit, & omiſſa altaris ſacra repetijt.

Poſt triduum idem Rex regio cultu ornatus, inter ipſa Miſſarū ſolemnia excelſam ædis partem conſcendit, ſilentioq. per præconem acto, coram omnibus iterum ſemet grauiſsima accuſatione perſtrinxit, acerbum religioni vulnus inflixiſſe confeſſus. Deinde collaudata Antiſtitis indulgētia, quod tanto crimini tam repentè ignouerit, pro tam cruenti imperij expiatione, muneris loco, Steſnicæ Prouinciæ dimidium, aris à ſe conferri publicat. Orthodoxis Principibus Chriſtianis veræ Pœnitentię exemplum derelinquens, pariter ac in Eccleſiaſticos venerationis.

XXI.

Mart. 3. VVINVVALOCVS Abbas in Britannia per viſum edoctus fuit de ſui obitus die iam inſtante. Nocte enim quæ eius obitum anteceſſit, apparuit illi Angelus Domini dixitq. ei: Euge VVINVVALOCE ſerue Dei, Cœlicolæ omnes te ciuem cupiunt habere ſuum. Hodie migrabis ad Dominum, & iam emeritus miles nobis in regno ſociaberis. Euigilans autem Vir ſanctus, accitis ad ſe fratribus retulit viſionem; ſuum exitum commendauit; & ſucceſſorem delegit. Demum ſacrum fecit, & communione percepta, communicato cum diſcipulis, pacis oſculo, ita vt aræ aſſiſtebat, ſpiritum Deo reddidit circa annum ſalutis 459.

Sur.

Sur. tom. 2. Molan. in Natal. SS. Belg.

XXII.

VVLMARVS Confessor, multo iam senio grauatus, in molestam corporis incidit infirmitatem; acceitisq. ad se fratribus, suum sibi imminentem, prædixit obitum. Quod cum ad sanctimonialiũ notitiam peruenisset (quæ non longè aberant) rogauerunt eum, vt se inuisendi copiam ipsis faceret: verum ille renuit omninò; protestatusq. est, quod nunquam hic aliqua mulier eum esset visura. Eadem nocte feliciter obdormiuit in Domino; & accurrentes moniales, vt eum Sarcophago impositum viderent, nebula corpus eius obtexit; nec nisi luminaria, quæ funus antecedebant, & turbam quæ sequebatur conspicere potuerunt. Obijt circa annum Domini 689. *Iul. 29.*

Sur. tom. 4. Molan. in Indic. SS. Belg. Trith. de Vir. Ill. lib. 3. cap. 293. Baron. in Annal. tom. 8.

XXIII.

VVNIBALDVS Abbas Heyndelamensis cum iam sibi mortem instare videret, accersitis fratribus iussit, vitas eorum, & mores ad Dei voluntatem componere; fidem catholicam; charitatem mutuam; & monasterialis vitæ disciplinam seruare, subdens: Regularis vitæ constitutionem, & obedientiæ vinculum, quod mihi promisistis, & ego vos ligatos habebam, illo vos absoluo; sed rectæ institutionis formã, quam vos Deo subdidistis, illo vos non absoluo, nec meum est vobis laxare; sed omni modo, prout vobis vires sufficient, Deo reddite. Omnium, quæ in mea obedientia neglexistis, indulgentiam à me accipite; & quidquid vobis per me contrarium accidisset, remissionem vos omnium tribuite; & Deo commendati, in pace perseuerate; mihique prædestinatum iter (quod nunc est) ad pergendum de hoc sæculo, cum licentia, & reconciliatione concedite. Cumque hisce, alijsq. verbis luctuosam fratrum multitudinem compellaret, rursus eleuatis in cœlum oculis, dixit: In manus tuas Domine commendo spiritum meum; & sic sedens coram lectulo, sanctum exhalauit spiritum, *Dec. 18.*

tum, circa annum Domini 740. ætatis 60.

Canis. antiq. lect. tom. 4. Molan. in Indic. SS. Belg. De eo Trith. de Vir. Ill. lib. 3. cap. 187. & 187. Baron. in Annal. tom. 8.

ANNOTATIO.

Missus fuit hic cum S. Vuillibaldo eius fratre, & alijs decem Apostolicis Viris ex Anglia ad prædicandum Germanis catholicam fidem; dictusq. est & ipse Germanorum Apostolus.

XXIV.

Apr. 21. VVOLBODVS Episcopus Leodiensis, Paschali solemnitate deuotissime peracta, sensit se (vocante Deo) ad perennis Paschæ gaudia inuitari. Cumque ingrauescente morbo decumbere cogeretur, spiritum cœlo intentum, psalmodia, & oratione roborabat; vilibus stramentis, & superiecto nudus incumbens cilicio, fratres sibi assistentes monebat, quatenus instantem sibi mortis horam præsenti exemplo reformidare discerent. Omnibus ingressuris, domus (in qua iacebat) fores patere volens, suæ mortis præbebat spectaculum, vt tantò cuique sua caro in puluerem redigenda vilesceret, quantò eam abiectius in Episcopo emori viderent.

Astantem Satanam exprobrauit, & aspersione expulit aquæ benedictæ. Apparuit illi B. Laurentius, & diem obitus prænunciauit, dicens: Quinta feria mecum eris in Paradiso. Qua consolatione refectus, maioribus Ecclesię, Clericorumq. nonnullis lætabundus visionem exposuit; & Vnctione sancta, ac Viatico Christi se communiuit. Sed cum dies expectatus aduenisset, suo frustratus est desiderio; & culpam in se deprehendens, nempè visionem indignis æque ac dignis innotuisse, Clericum sibi familiarem obtestatus est per tremendā diuinitatis maiestatem, quatenus astrictum se loris, districtis subijceret verberibus. Vinctum igitur suum Dominus non despexit: sensit enim per spiritum, carnis se vinculis iamiam absoluendum, nempè feria quinta subsequentis hebdomadæ. Rogauit quoque circunstantes, vt orarent sine intermissione

pro exitus expectatione; orans & ipse, ac psallens pro posse; atque vt hoc efficacius implere posset, linguam (vicina iam morte siccam) madidari interdum aqua faciebat. Tandem oblata Crucifixi imagine, caput suum, eius petijt admoueri vestigijs; & inter salutandū, & inexplebili dulcedine deosculandum Crucifixum Dominum (cuius imaginem foris amplectebatur) reddidit spiritum, anno 1021.

Anselm. in Gestis Pontif. Leodiensium tom. 1. cap. 65. & seqq. Meyerus Annal. Flandriæ lib. 2.

XXV.

VVOLPHANGVS Episcopus Ratisponensis sub mortem omnia quæ habebat, pauperibus distribuit, iussitque se deferri in Oratorium, & ante aram deponi: Vbi Orarium accipiens, per Confessionem sese expiauit. Deinde omnes, qui aderāt, luculenta oratione admonens, eos, omnesq. sibi commissos Domino commendauit. Postea (sacro accepto Viatico) humi se prostrauit; cumque æditui; & cubicularij eius vellent omnes è templo, præter familiares, eijcere, Vir Dei illos prohibuit, dicens: aperite ostium; nec quenquam ingredi volentem excludite: nos enim mortales homines non nisi malefactis erubescere debemus: Mortis autem debitum necessariò soluendum nobis est. Itaque cum etiam Christus, qui nihil morti debuit, nudus in Cruce mori non erubuerit pro humani generis salute, aspiciat quisque in morte nostra, quod reformidare, & cauere debeat in sua. Deus verè pius, & bonus misereri dignetur, & mei miseri peccatoris, nunc mortem obeuntis, & omnium, id cum timore, & humilitate adspectantium. Quibus dictis, reuerenter oculos clausit; & tanquam se sopori tradens, in pace quieuit, anno Domini 999. *Oct. 31.*

Sur. tom. 5. Canis. Antiq. lect. tom. 2. Trith. de Vir. Ill. lib. 3. cap. 229. & lib. 4. cap. 226. Baron. in Annal. tom. 10. & 11. M.S. Bibl. Vall. ex Martyrol. Eccl. Constantiensis.

I.

Maij 25.  ENOBIVS Episcopus Florentinus, morbo, quo laborabat ingrauescente, cum iam certum suæ resolutionis diem sibi instare, Clericis ministrantibus prædixisset; & fama de hoc vsque ad vicinas Vrbes confestim conuolasset; Pontifices, Clerus, & Populus ad eum venerunt, vt benedictionem paternam ante separationem perciperent. Iussit igitur Vir sanctus lectulum aliquantulum ex superiori parte eleuari; & sic omnes est allocutus, dicens, se à Domino protinus euocari; monuitq. vt recordarentur, quæ frequenter ab eo audierant; soliciti essent in precibus; sobrij in operibus; cauerēt ab Hæreticis, & Schismaticis; ac obedirent Prælatis. Tandem ait: Iam Zenobius vester ad Deum suum migrat, cui crebras pro vobis propinquius preces effundet; & iam non erit amplius in præsenti sæculo vobiscum. His dictis, eleuata aliquantulum manu, benedixit omnibus; rogauitque astantes Episcopos, vt suis manibus eum quoque Crucis signo communirent, & paululum extendens pedes, mortem lætus aspexit, anno Domini 424.

Sur. tom. 3. Io. Aretinus, qui eius vitam conscripsit, Petr. in Catal. lib. 5. cap. 41. Anton. 2. par. tit. 10. cap. 12. Baron. in Annal. tom. 10. De eo Paulinus in vita S. Ambrosij, & supra in EVGENIO.

Hactenus Iustorum, quos Alphabetico ordine collegeram obitus. Sed quia plerique obierunt Iusti, quorum nomina in libro quidem sunt descripta vitæ, nobis tamen ignota penitus existunt: eorundem etiam Anonymorum obitus, præter eos, quos in suprascriptis mortibus Iustorum recensere contigit, hic seorsum collectos, describere libuit. Sunt autem sequentes.

ANONYMORVM
OBITVS IVSTORVM.

I.



IVVENIS quidam mundanæ vanitati deditus, cum æger lecto decumberet, & iam proximus morti fieret, monitus est à Presbytero, vt peccata sua confiteri non erubesceret; & præsertim crimen quoddam (vnde infamatus fuerat) salubri confessione manifestaret, vt eum sacrosancta Eucharistia, quam attulerat, reficere posset. Acquieuit ille, & confiteri scelera sua aggressus est. Quod dum expleßet, & rursus de præfato crimine interrogaretur, mentitus est, dicens se inde nullatenus reum esse. Cumq. Presbyter ab inquisitione non desisteret, ait ille: Sic (inquit) hoc Domini Corpus, quod attulisti, ad salutem suscipere merear, sicut huius rei, quæ mihi obijcitur, aliquando culpā non incurri. Hac igitur Presbyter assertione credulus redditus, Dominicam ei communionem, iam securus, tradidit. Qua ore suscepta, glutiendi virtus ægro protinus est ablata: vnde cum multoties conaretur, & frustrari semper suos cerneret conatus, ipsa glutiendi impotentia coactus, iuxta lectum, quo decumbebat, illud expuendo proiecit. Cuius rei euentu valde territus, Presbyterum, qui discesserat, ad se reuocari iussit; cui (spiritu Dei agēte compunctus) confessus est se male egisse; Deo mentitum fuisse; verumq. id, quod ante negauerat, esse. Eum igitur cū multo gemitu pœnitentem, & satisfacientem, is, qui aduenerat Presbyter intuens, compassus est; absoluit confitentem; & rursus Dominico refecit sacro Corpore. Quo suscepto, cū tanta illud libertate deglutiuit, vt verè tunc appareret non casu, sed diuina virtute prohibitum antea fuisse. Post hanc

igitur

igitur Confessionem, & Christi Corporis perceptionem paululùm superuiuens, in pace quieuit.

Petr. Cluniac. lib. 1. de Miracul. cap. 3.

I I.

FRATER quidam cum infirmaretur, ficta confessione peracta, sacratissimum Christi Corpus sumere ausus est. Hic etiam, glutire nec ipse valens, in vas, quod ori eius suppositum fuerat, refundere coactus est. Vnde compunctus, corde contrito, & veraciter, quæ ante lethali pudore celauerat, euomuit; & allatam postmodum Eucharistiam, deuotè, & absque vlla difficultate suscepit, sicq. in Domino confortatus, tertia deinde die defunctus est.

Idem Petr. lib. 1. Mirac. cap. 5.

I I I.

PVER paruulus inter Nouitios Ord. Præd. receptus, cum ex animi puritate, & simplicitate sæpius Christo Paruulo (Matris pectori adhærenti, cibos obtulisset (qui ab effícta Christi forma videbantur assumi) ab eodem tandem inuitatus est ad secum die Dominico in domo Patris sui comedendum. Sed cum puer Nouitius respondisset, sibi non licere extra conuentum, absque sui Præfecti licentia, comedere, licentiam ab eodem iussus est petere Præfecto. Qui cum causam cognouisset; & quid sibi hoc vellet intellexisset, puero dixit; Vade; dic, te ex ordinis consuetudine non posse absque Præfecto venire; & quod Ego (si velit) tecum veniam. Retulit puer quæ audierat; & hoc accepit ab imagine responsum: Abi, dic Religioso Patri tuo, vtrumque ipso die Pentecostes sub initiũ Hymni, Veni Creator Spiritus, ad nuptias meas venturum. Dictum, factum. Ipsa die, hora, atque momento, vterque in ipso templo decessit, & ad Agni nuptias beatas accessit. circa annum Domini 1345.

Rodr. in Virid. Sanctorum par. 2. cap. 5. Franciscus Diducus in Hist. Prou. Aragoniæ Ord. Prædic. Hispanicè lib. 2. cap. 43.

CON-

I V.

CONVERSVS quidam de fratribus Claræuallis, cum grauiter aliquandiu ægrotasset, tandem ad extrema deuenit. Intrauit autem ad eum visitandum B. Bernardus, & confortans eum ait: Confide fili, quia migraturus es iam nunc de morte ad vitam, de labore temporali ad requiem sempiternam. Ille verò cum ingenti fiducia respondit: Quidni pergā ad Dominum, & Creatorem meum? verè confido; & quantum de misericordia Domini mei Iesu Christi præsumere audeo, certus sum quia citò videbo bona Domini in terra viuentium. Porrò B. Bernardus timens homini rusticano, ne tam fida responsio, de præsumptionis magis temeritate, quàm conscientiæ puritate procederet, ait illi: signa cor tuum frater; signa cor tuum. Quid est, quod locutus es? Vnde tibi subrepere potuit tantæ præsumptionis audacia? Enimuerò tu es ille pauperculus, & miserabilis homo, qui cum nihil, aut propè nihil haberes in sæculo, necessitate forsan magis quàm timore Dei cogente, ad nos confugisti; multis precibus tandem aditum impetrando: nos verò Dei causa collegimus inopem; & parem te fecimus victu, atque vestitu, cæterisq. cōmunitatibus, his, qui nobiscum sunt sapientibus, atque nobilibus viris; & factus es quasi vnus ex illis. Quid igitur tribuisti Domino pro omnibus istis? Et ecce non sufficit ingratitudini tuæ gratis accepisse te tot beneficia de manu Domini, nisi & Regnum ipsius hæreditario iure vendices tibi! Ad hæc ille respondens blando vultu, & animo tranquillo dixit: Benè Pater charissime, Benè vtique perorasti, & vera sunt omnia, quæ dixisti; Verumtamen si iubes, loquar ad te Patrem meū; & paucis aperiam, vnde mihi pauperi, & misero, suggeri potuit tantæ, non præsumptionis, sed (vt ego spero) deuotionis occasio; si tamen vera est illa prædicatio tua, quam nobis sæpius inculcasti; qua scilicet Regnum Dei non carnis nobilitate, non terrenis diuitijs possidetur, sed sola obedientiæ virtute acquiritur. Hanc inquam sententiam sedula commemoratione apud me retinui. Quærite (si placet) ab omnibus magistris,

giſtris, & ſocijs, quibus me obſequi, ac ſeruire iuſſiſtis, ſi cuiquam illorum aliquando inobediens fui; ſi de fratribus noſtris quempiam verbo, aut ſigno, vel quolibet alio modo (quantum in me fuit) contriſtaui. Si igitur operam dedi, omnibus in Chriſto obedire; omnibus ſeruire; cunctoſq. per Dei gratiã diligere, quis prohibere me poteſt, vt de miſericordia ipſius non confidam? Beatus itaq. Pater cum tale reſponſum accepiſſet, gauiſus eſt valde, & ait: Verè Beatus es fili chariſſime, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi ſapientiam hanc; ſed Pater cœleſtis ipſe te docuit; ipſe poſuit animam tuam ad vitam, rectiſſimoq. tramite perduxit ad patriam. Iam ergò ſecurus egredere, quoniam patefacta eſt tibi ianua vitæ. Mortuus eſt igitur frater, & exequijs celebratis, B. Bernardus ſermonem in Capitulo habuit luculentum de conuerſatione, & conſummatione eius.

Spec. Exempl. de Vir. Illuſtr. Ord. Ciſtercien. diſt. 3. ex. 39. & edit. poſtr. tit. Mori. ex. 12.

V.

FRATER quidam Sacerdos cum quotidie magna cum deuotione celebrare conſueuiſſet, ſentiens imminere iam ſibi mortem, ad miſſam ſe parauit, & eandẽ (graui quamuis morbo prægrauatus) celebrare voluit; Qua peracta, ad lectum ſe compoſuit, & eadem die ſpiritum Deo reddidit.

Chron. Ord. S. Aug. ſeu Vitas fratrum, Auctore B. Iordano de Saxonia lib. 2 cap. 13.

V I.

PVELLA quædam in monaſterio S. Cæciliæ apud Coloniam degens, ad extrema peruenit, quando Sorores (hora Completorij iam inſtante) Chorum petierant, & primũ tantummodo inchoauerant pſalmum, ſed nec dum perfecerant. Cum igitur ſubitò, tactu ſigni notiſſimi, Sorores ad egreſſionem animæ migrantis euocatæ, Diuinæ laudis opere neglecto, ſingulæ Chorum relinquentes, ad morientem concurrerent, ad earum introitum oculos, mortis ſopore clauſos, aperuit violẽter Puella; & impetu magno (quaſi nil aduerſi paſſa)

è lecto

è lecto prosilijt: Abbatissam cursu petijt; eiusq. apprehensa tegminis parte, stridens dentibus, ac toto tremens corpore, se tenaciter obuoluit, clamans, & dicens: fer præsidium Domina mihi; fer præsidium. Cunctis autem in angustia positis, Mater & ipsa tremebunda: Quid habes (inquit) filia? illa respondit monstruosorum Dæmonum ingens, & horrenda multitudo cum Sororibus fores ingredientibus irrumpens, ad inferos me secum abducere velle minantur. Cumque causam huius mali Mater lachrymans sciscitaretur: nullas (inquit) alias ob culpas id patior, nisi quod propter me detrimentum seruitij sui Christus habet; cuius laudes (si mihi Sorores aliquid conferre vellent) oportebat prius debito fine concludi. Protinus ad imperium Matris cunctæ ad Chorum regressæ, tantò deuotius diuinis cœperunt laudibus insistere, quantò manifestius intellexerunt propter illas neglectas, Puellã esse periclitatam; & se transgressionis offensam incurrisse. Quibus cubiculi limen excedentibus, puella lectum repetens, ibi se strauit; & Sororibus ad psallendum Deo Chorum tenentibus, ipsa (nullius horroris gestus præseferens) paulatim, vt solent morientes, vita functa est, & in pace quieuit.

Sur.to.6.in Vita S. Annon.Colon.cap.36.

VII.

ANACHORETA quidam consueuerat die Dominico ad Monasterium venire, & ibi sacra sumere Mysteria. Semel autem scandalizatus, quinque hebdomadas manserat, nunquam iuxta consuetudinem veniens. Venit postea Dominica die, quem cùm vidissent fratres gauisi sunt; prostratiq. petierunt ab eo veniam: Ille similiter veniam petijt, feceruntq. charitatem. Anachoreta autem cum accepisset Corpus, & sanguinem D. N. Iesu Christi, posuit se in Ecclesiæ medio, statimq. obijt; cùm antea prorsus non ægrotasset. Cognoueruntq. Patres, quia præscisset diem sui obitus Anachoreta; & idcirco venisset, vt (nihil habens aduersus aliquem) migraret ad Dominum.

Prat. spirit. cap. 86.

VIII.

SACERDOS quidam Ord. Rhodiensium, vltra quàm dici potest Deuotus, postquam Eucharistiæ sacramentum die solemni eiusdem, in Processione publica reuerenter (vt moris est) circumportasset, mox deposita Pixide, finem viuendi fecit.

Io. Nyder formicar. lib. 4. cap. 12.

IX.

PRESBYTER quidam Monasterij S. Petri in Monte, Ciuitati Prænestinæ prominente, cum exitum suum non longè abesse sibi reuelatum esset, petijt ab Abbate, quatenus ei cõcederet, vt sibi sepulchrum pararet; cui Abbas respondit: ante te quidem ego moriturus sum; sed tamen vade, & sicut vis præpara sepulchrum tuum. Recessit igitur, & præparauit. Non post multos dies Abbas ad extrema deuenit, atque assistenti Presbytero iussit, dicens: in tuo sepulchro pone me; cumq. ille diceret: scis quia ego modò te secuturus sum? vtrosque capere non potest; Abbas protinus respondit dicẽs: ita fac vt dixi; quia sepulchrum tuum ambos nos capiet. Defunctus itaq. est Abbas, atque in sepulchro eodem, quod sibi Presbyter parauerat positus. Mox quoque & Presbyter corporis languore correptus est; quo crescente, citius vitam finiuit. Cumq. ad sepulchrum, quod sibi ipsi parauerat, corpus illius fuisset à fratribus deportatum, aperto eodem sepulchro, viderunt omnes, qui aderant, locum non esse vbi poni potuisset; quia corpus Abbatis omne illud sepulchrum tenebat. Cumq. fratres tantam sibi corporis Presbyteri sepeliendi factam difficultatem viderent, vnus eorum exclamauit dicens: O Pater, vbi est quod dixisti, quia sepulchrum istud ambos vos caperet? Ad cuius vocem subitò, videntibus cunctis, Abbatis corpus, quod supinum iacebat, se vertit in latere, & vacantem sepulchri locum ad sepeliendum Presbyteri corpus præbuit.

Gregor. Dialog. lib. 3. cap. 13. Simile habetur supra in SEVERO.

X.

SENI cuidam morienti circumsteterunt fratres, & vestientes eum cœperunt flere. Ille autem aperuit oculos suos, & risit; adiecitq; iterum ridere. Hoc autem factum est tertiò. Quod cum vidissent fratres rogauerunt eum dicentes: Dic nobis Abba: Quare nobis flentibus tu rides? & dixit eis: Primò risi, quia vos timetis mortem. Secundò risi, quia non estis parati. Tertiò risi, quia à labore ad requiem vado. Hæc cum dixisset, statim clausit oculos in mortem.

Vit. Patrum par. 2. §. 194.

XI.

CONVERSVS quidam Cistercìensis tertiò in præcipitiū Apostasiæ periclitatus; tertioq. à fratribus receptus, compunctus tandem, & quotidianis precibus, ac lamentis præterita sua peccata diluere solicitus (Deo disponente) percussus est circa femora vlcere pessimo; Apostemate scilicet canceroso; ingressaq; est putredo in ossibus eius: Et crescente in dies angustia doloris, totus distabuit; ita vt carnibus circa locum vlceris vndique corrosis, ossa nuda patescerent; & vlcera vermibus scaturirent. Annis itaq. plurimis Diuinæ animaduersionis flagellis humiliter subditus, quot horis viuebat, totidem penè interitionibus subiacebat. In doloribus autem, & pressuris suis, gratias semper agere satagebat; corde credens, & ore confitens, sese longè adhuc imparia meritis recipere. Tandem cum anima illa beata transferenda iam esset ad summi Regis Palatium, igne (velut argentum) examinata, meruit in hac vita prælibare fructum laboris, & patientiæ suæ; & nescio quid cœlestis dulcedinis prægustare. Qua gustata, erupit protinus in iubilum cœlestis præconij: Et serenata facie cœpit (quamuis idiota, & qui nunquam cantare, aut legere didicerat) suauissima melodia quosdā nouos, multumq. delectabiles Hymnos, ac modulos cantare de canticis Sion. Facta autem hac voce cōuenit fratrum multitudo videre eum (grandi miraculo) tantis miserijs, & calamitatibus oppressum, in ipso mortis accessu, cantando, ac tripudiando; quasi

mortem insultantem. Ita ergo modulizans, lætabundus, & laudans, in voce exultationis, & confessionis beatam illam animam exhalauit. De cuius felici consummatione S. Bernardus hilaratus, sermonem ad fratres in Capitulo habuit.

Specul. Exemplorum dist. 3. & in edit. postr. tit. Inconstantia exemplo 2. ex lib. de Vir. Ill. Ord. Cistercien.

XII.

PATERMVTIVS Abbas, cum sibi reuelatum esset, quendam ex eius Discipulis in extremis agere, festinauit de Eremo venire, vt eum videre posset; & quia hora erat iam ad Vesperam declinans; & longè adhuc aberat à vico, vbi decumbebat æger, solem stare iussit in nomine Domini, donec ad vicũ perueniret. Cum igitur ingressus fuisset domum illius fratris, pro quo festinauerat, & inuenisset eum iam defunctum, oratione facta accedens ad lectulum, osculatus est eum, & ait: Quid magis desideras frater? abire, & esse cum Christo, an permanere in carne? Tunc ille (recuperato spiritu) paululum resedit, & ait ad eum: Quid me reuocas Pater? melius est mihi redire, & esse cum Christo: Permanere autem in carne, mihi necessarium non est. Cui dixit: Dormi ergo in pace fili, & ora pro me. At ille continuò reclinans se in lectulo obdormiuit in Domino.

Spec. Exemplorum dist. 2. & in edit. postr. Ver. Mors & mori exempla 4. ex Vitis Patrum in Vita S. Genesii.

De eo plura in Vitis Patrum lib. 2. cap. 9.

ANNOTATIO.

Diuersus est hic à Patermuthio Mart. sub Iuliano, de quo cum Coprete celebritatem agimus die 9. Iulij.

XIII.

Idem PATERMVTIVS Monachus, inter alia pietatis exercitia, multa solicitudine curabat Christianorum defunctorum corpora sepelire: Quem cum videret Adolescens quidam Discipulus suus, summa cum diligentia mortuis indumẽta aptantem, dicit ad eum: vellem, vt & me mortuum ita in-

dueres,

dueres, ac sepelires Magister. At ille ait: ita faciam (fili mi) & tàm copiosè te induam, donec dicas, sufficit. Post non multum verò temporis, defunctus est Adolescens; & prædictus sermo completur. Cum enim plurima ei circumdedisset indumenta, ait ad eum coràm omnibus: sufficiunt tibi hæc ad sepulturam (filiole) an adhuc vis vt aliquid addamus? Tunc Defunctus vocem, cunctis audientibus, emisit (obuelata iam facie, ac vultu cōstricto) & dixit: sufficit Pater, implesti quod promiseras. Admirantibus autem qui aderant, ille, sepulto Adolescente, continuò ad Eremum redijt, summo studio iactantiam declinans.

Vita Patrum lib. 2. cap. 9.

X I V.

Idem quoque PATERMVTIVS visitans fratrem in lecto decumbentem, vbi vidit eum quietem mortis difficulter accipere, & grauiter conscientiæ suæ metu redargui, ait ad eum: cur imparatus es fili ad profectionem? Accusatrix (vt video) ignauiæ tuæ tecum pergit conscientia. Tunc ille exorauit cū dicens: obsecro te Pater, intercede pro me apud Deum, vt mihi paruum spatium temporis largiatur, quo possim emendare vitam meam. At ille, post reprehensionem negligentiæ, ait ei: si vltra non addes malis tuis mala, orabimus pro te. Bonus enim Deus est, ac patiens, & indulgebit tibi parum aliquid temporis vitæ, vt omnia debita tua persoluas. Et cum post hæc orasset, surgens de oratione, ait ad eum: Ecce tres annos tibi Dominus concessit in hac vita tantum, vt ex animo ad pœnitentiam conuertaris; & apprehensa manu eius dextera, eleuauit eum de lectulo. At ille surgens, sine aliqua dilatione secutus est eum ad Eremum: & vbi completi fuerunt tres anni, reuocauit eum ad locum, vnde assumpserat, nō iam quasi hominem, sed quasi Angelum ex homine factum, Deo consignans; ita vt omnes mirarentur de conuersatione eius. Cumq. venissent ad eum fratres plurimi, statuit eū in medio, atque ex ipso sumens materiam, per totam noctem Doctrinā de fructibus pœnitentiæ, & conuersionis produxit ad fratres.

Ipsô verò sermonem faciente, quasi dormitare paululum frater ille cœpit, & continuò quieuit in pace.

Vita Patrum ibid.

X V.

MONACHVS quidam senex, nimia, & intolerabili infirmitate confectus, cum non inuenirent fratres, qualiter succurrerent eius ægritudini, passus est se deportari in Ciuitatem ad cellulam famulæ Dei; quæ eum (sicut rogauerat) gubernandum suscepit. Cumq. per tres, & amplius annos apud eã sic affectus mansisset, & audisset quosdã de eo suspicari, quod non sinceram haberet conscientiam cum virgine, orauit Dominum, vt retribueret famulæ suæ mercedem in vita æterna; & appropinquante eius transitu, dixit astantibus, vt baculum suum post eius mortem tollerent; ac super sepulchrum plantarent; & cum radices mitteret, & faceret fructum, scirent mundam esse cõscientiam à famula Dei, quæ sibi ministrabat. Cum ergò Vir Dei exisset de corpore, plantauerunt baculum super sepulchrum ipsius, & fronduit; accedenteq. tempore, fructum etiam protulit.

Vit. Patrum lib. 2. §. 23.

X V I.

Cum quædam MVLIER, in Castro Montis Marani propè Beneuentum, S. Francisco peculiari deuotione cohærens, mortua esset; conuenientibus Clericis noctu ad exequias, & vigilias cum Psalterijs decantandas, subitò (cunctis cernentibus) erexit se mulier super lectum, & vnum de astantibus aduocauit Sacerdotem, dicens: volo confiteri Pater. Ego enim mortua, duro eram carceri mancipanda, quoniam peccatum (quod tibi pandam) nec dum confessa eram: Sed orante pro me S. Francisco, redire nunc ad corpus indultum est mihi, vt (illo reuelato peccato) sempiternam promerear vitam: Et ecce (vobis videntibus) postquam illud detexero, ad promissam requiem properabo. Trementer ergò, Sacerdoti trementi confessa, post absolutionem receptam, quietè se in lecto collegit, & in Domino feliciter obdormiuit.

Sur.

Sur. tom. 5. in Vita S. Francisci. De mortuis ab eo suscitatis.

XVII.

DISCIPVLVS cuiusdam Senis Anachoretæ, cum sepelisset patrem suum, descendit de monte iuxta loca habitabilia; inuenitq. hominem exercentem terram, & ait illi: fac charitatem frater, accipe fossorium, & sarculum, & veni mecum. Rusticus verò continuò secutus est eum; Cumq. venissent in montem, ostendens ei Anachoreta sepulchrum Senis, dixit ei: fode hic. Cum autem effodisset sepulchrum, Anachoreta stetit ad orationem; & finita oratione, osculatus est sæcularem dicens: Ora pro me frater; descendensq. collocauit semetipsum supra senem suum, & continuò reddidit spiritum. Sæcularis autem rursus aperto sepulchro, Deo gratias egit. Cum autem descendisset de monte quantū iactus est lapidis, ait intra semetipsum: Verè debui accipere benedictionem Sanctorum, reuersusq. illorum sepulchrū inuenire non potuit.

Prat. Spirit. cap. 96.

XVIII.

RELIGIOSVS quidam, in hora exitus sui, Ionam Prophetam, Ezechielem quoque, & Danielem cœpit aspicere; eosq. Dominos suos, ex nomine clamare. Quos dum ad se venisse diceret; & depressis luminibus eis reuerentiæ obsequium præberet, ex carne eductus est.

Greg. Dial. lib. 4. cap. 35.

XIX.

DVAE adolescentulæ in monasterio S. Burgundoforæ, vna capitis dolore, altera febrium incommodo detenta supremum exitum præstolabantur. Cumq. iam adesset sodalium cohors, & ad psallendi officium in earum exitu se præpararet, cœpit vna earum humanis auribus inaudita dulcia modulamina pio ore canere, orare conditorem miris sermonibus, inauditis precibus, ineffabilibus sacramentis. Odor autem miræ suauitatis quasi odor balsami totam cellulam replebat, & ab hora nona, vsque ad horam nonam sequentis diei vnà cū mo-

dulamine cantus perseuerabat. Deinde matrem astantem canere poscunt, & se iam abituras prædicunt: sicq. reddito spiritu, cum earum decessione, recessit & odor fragrantiæ.

Beda to. 3. in Vita S. Burgundofora.

XX.

ZOSIMVS Abbas inuenit Senem quendam Anachoretã; qui post salutationem, dimisso eo, abijt quantum iactus est lapidis, & cum duas horas in oratione compleſſet, venit, & faciem eiusdem Zosimi osculatus, dixit ei: Fili charissime, benè venisti. Deus enim te huc adduxit, vt commendes terræ corpus meum. Dixit autem ei Zosimus: quot annos in hoc loco habes Abbas? & respondit: quadraginta & quinque annos impleo. Apparuit autem facies eius tanquam ignis, & ait: Pax tibi fili, ora pro me. Quibus dictis, collocauit seipsum, & requieuit.

Prat. Spir. cap. 123.

XXI.

FRATER quidam negligens, repentè visus est cum omni studio, & alacritate se exercere; qui id admiranti, & laudanti respondit: Domine Pater, modò moriturus sum. & post tres dies mortuus est.

Prat. Spirit. cap. 5.

XXII.

FRATER quidam deferens vasa defuncti in locum Dispẽsationis, flebat dicens: hodie fratris vasa fero, & post duos dies alij portabunt mea. Tertiaq. die requieuit frater ille, sicut prædixerat.

Prat. Spirit. eod. cap. 5.

XXIII.

SENI cuidam simplici circa fidem, qui (vbicunque eum esse contigisset) indiscretè communicabat, apparuit Angelus, dicens: Dic Senex; si mortuus fueris, quomodo vis sepeliamus te? vt Aegyptij Monachi faciunt; vel vt Hierosolymitæ? Senex autem respondit: nescio. Tunc ait Angelus: Cogita, & delibera. Post tres autem hebdomadas veniam, & dices mihi.

mihi. Accessit Senex ad alium, & ab eo edoctus, & iussus, ne extra Sanctam catholicam, & apostolicam Ecclesiā communicaret, vbi nominantur Sanctæ quatuor Synodi; & vt venienti Angelo diceret, sicut Hierosolymitæ sepeliri volo, fecit, quod sibi iussum fuerat; & cum venisset Angelus statuto tempore; & eum sic respondentem audisset, ait Angelus: Benè. Senex autem continuò reddidit spiritum.

Prat. Spirit. cap. 178.

XXIV.

MATER S. Simeonis Stilitæ, cum per tres dies, & tres noctes non cessasset filium exorare, vt à se videri pateretur; nec obtinere posset (respondente Simeone, se visuros post modicum tempus in æterna vita) præ tristitia, & planctu in somnum conuersa est. Tunc B. Simeon orauit ad Dominum pro illa, & statim reddidit spiritum.

Vit. Patrum par. 1. *& apud Herebert. lib.* 1. *cap.* 9.
De S. SIMEONE sup.

XXV.

PVELLA quædam Olyssiponensis, morbum Aethicæ febris per nouem menses (maxima cum patientia) pertulit; Deo semper gratias agens: cumq. erat sola, audiebatur verba proferre Crucifixi Domini nostri imagini, satis deuota, & amoris plena; sæpèq. dicere audiebatur: Domine quando me de hoc carcere erues? Quando veniam, & apparebo coram te, & præsentia, ac pulchritudine tua fruar? Exaudiuit autem eā Deus, promisitq. fore, vt eam gloriosæ Ascensionis die secum ad cœlum tolleret. Consolata est itaq. Matrem lugentem, quod eam à Medicis derelictam sciret, dicens: ne lugeas Mater; has lachrymas in diem Ascensionis differas. Adueniente verò huius diei Vespere, non magis suo morbo, quàm antea afficiebatur. Vnde quædam illius familiaris, ei ridens dixit: mendax quidem es, nosq. decepisti, cum diceres te Ascensionis die migraturam. Aegrota autem nihil respondit; sciens id quod dictum erat proculdubio futurum. Die autem postero illius festi, nescio quid Confessori suo domum misit;

cui

cui dictum voluit suo nomine, benè valere; eo quod proficiscebatur eò, vbi suo Sponso, & Domino frueretur. statim etiam Matrem vocauit; & nonnullas Reliquias, quas in capite habebat, ei tradidit; Annulum quoque cuidam amicæ suæ reddi iussit. Iussit præterea Nutrici, vt nouum sibi ferret indusium, quod ipsa habebat; & vt eidem duo nummi aurei soluerentur, quos ab ea mutuò acceperat; & ob id quædam eius vestis venderetur; ac reliquum, quod superesset daretur pauperibus. His peractis, vbi Meridiei hora aduenit, Crucifixi imaginem altera manu accepit, altera cereum, & ita moriendi iter est ingressa. Cum verò Mater id vidisset: filia (inquit) ora Deum pro me, vt hunc haustum deglutire possim. Illa autem multa fide dixit fore, vt quod postulabat, illi concederetur. Hæc autem dicens; & deuota verba Crucifixo pronuncians, spiritum Deo reddidit.

Aloysius Granat. in Cathec. in symbolum fidei lib. 2, relat. ab Aug. Manno Hist. select. cap. 236.

X X V I.

MILES quidam, cum omnia loca, in quibus steterunt pedes Domini deuotè adorasset, & cum lachrymis exosculatus esset; vltimo loco ad Montem Oliueti perueniens, longam ibi habuit orationem, & largas effudit lachrymas. Deinde cum amore nimio anima eius liquefacta esset, hæc verba est prolocutus: Ecce Domine, vbique te quæsiui solicitè; nunc autem cum venerim ad locum, vnde cœlos ascendisti, vbi amplius te requiram ignoro. Iube ergo suscipi spiritum meum, vt ad dexteram Patris tui te videam in gloria coruscantem, & his dictis spiritum suum sine dolore reddidit.

Idem Mannus hist. select. cap. 237.

Vide simile infra in Anon. XLVIII.

X X V I I.

MONIALIS quædam adolescens (quæ Matrem etiam habebat in Monasterio) quadam die vidit cœlos apertos; & ad cœlestis claritatis lumen intenta, audire meruit; veni ad nos dilecta; & corporeis nexibus absoluta, æternam suscipe

clari-

claritatem. Illucescente autem in crastinum Dominica die, febri correpta adolescentula, supremum expectabat exitum. Quod videns anxia genitrix, inter singultus, ac gemitus, à filia poscit, vt si valeat impetrare, nondum excedat è vita, sin minus, ipsam citò post se ducat; quia non poterit post eius viuere exitum. Ad hæc illa: carnalibus (inquit) licet adhuc plus iusto desiderijs stimuleris; ego tamen (si valuero) post digna pœnitentiæ medicamenta, Te (Christo fauente) attraham. Nec mora. in extremis posita, B. Burgundoforam vocat; cumque festina ad egressuram adueniret Mater, eam aspiciens puella, ouans gratulatur, eique ac omnibus valedicens, genitricem commendat, & silentium deinde fieri postulat. Facto igitur silentio, & expectantibus omnibus animæ egressionem, illa ait: date locum; ecce iam Creator meus venit; Saluator ad me properat: rogauitq. Matrem, vt Dominicam Orationem, ac Symbolum recitari iuberet; quia ipsa tumentibus labijs, exprimere verba nequiret. Quibus peractis nimio splendore cellula renitente, animam cum laudibus reddidit Creatori.

Illicò genitrix morbo corripitur, & quadraginta dierum spatio in corpore flagellatur. Quo completo, primum terribilibus Dæmonum aspectibus territa est; deinde (largitoris ope) consolata, veniam se intercessione filiæ suæ meruisse fatetur; animamq. deinceps nexibus solutam, cœlo reddidit. *Anon. obit.*

Beda in vita S. Burgundofaræ tom. 3.

XXXIII.

RELIGIOSVS quidam Ord. Præd. (qui eleemosynam ostiatim pro fratribus quæritabat, & Clericorum cuiusdam Ecclesiæ Confessiones audiebat) cum esset in extremis positus, & fratres ignorarent, vocantur dicti Clerici ab Angelo, in Religiosi eiusdem ordinis specie, eis apparente; qui dicebat se missum à Priore, vt ad exequias illius venirent. Venientes igitur (Priore, & fratribus valdè admirantibus) & ad cellam Religiosi properantes, inuenerunt eum agentē animam. Qui statim confessus peccata sua, & Sacramentis Ecclesiæ munitus,

tus, obijt; Clericis eiſdem præſentibus,& exequias,ad quas vocati fuerant, celebrantibus.

Franc. Didacus in hiſt. Prou. Aragon. Ord. Præd. lib. 2. cap. 48. Hiſpanicè.

X X I X.

RELIGIOSVS alter eiuſdem Ordinis Theologus,qui ſingulis noctibus accipiens Crucifixi imaginem,de cella ſua ibat in comunem Bibliothecam, ibique in capite libri, ſuper menſam ponens eandem imaginem, perſeuerabat in lectione ad noctis vſque dimidium; quadam nocte, cum (de more) lectioni incumberet, audiuit ſonitum tubæ, procul (vt ſibi videbatur) à conuentu; cumque intempeſtiuum, & non conſuetum miraretur ſonum, audiuit eundem iterum, quaſi in platea Ciuitatis, audiuitq. pariter tertiò paulò poſt, quaſi in porta Conuentus. Tunc proſtratus ante dictam Crucifixi imaginem,à Domino miſericordiam poſtulauit. Vix hoc egerat, & audiuit quartò eundem ſonitum in Clauſtro Monaſterij. Surgens igitur cum timore, & vna manu Chriſti imaginem, altera candelam accipiens, oſtium aperuit, vt è Bibliotheca exiret: illicò verò audiuit eandem tubam apud ſe, & cognouit, tubam eſſe iudicij ſui, ac propinquæ mortis ſignificationem. Vnde parauit ſe, & ſub auroram cubiculum Prioris adiuit; ab eo expoſtulans Pœnitentiæ Sacramentum; & ſubinde ſacroſanctum Viaticum, dicens ei admiranti,ſe mentis omninò compotem eſſe.Munitus autem Viatico,petijt itidem ſacram extremam Vnctionem; quam cum ſibi negaret Prior, eò quod nullo detineretur morbo, precibus obtinuit, & illicò febri correptus eſt: qua mediante, vitam cum morte commutauit.

Idem Didacus eod. lib. 2. cap. 48. Hiſpanicè.

X X X.

VIRGO quædam,quæ frequenter cõmunicare conſueuerat, cum eſſet morti proxima; & ex vi morbi contractis neruis (quibus labia, & mandibulæ moueri ſolent) ora ad cibum capiendum aperire nullatenus poſſet; æſtuans cordis deſiderio

sacro-

sacrosanctum sumere Viaticum, nec valens, aduocato Sacerdote, & allata per eum Diuina Eucharistia, vt eam saltem infirma adoraret; statim cum eleuaretur, ora amplè satis laxata sunt; quibus confestim Sacerdos Dominicum corpus lætanter immisit, & eam Viatico, quod concupierat, cōmuniuit.

Io. Nyder in formicario lib. 2. cap. 7.

XXXI.

RELIGIOSVS quidam in Monasterio Claræuallis, qui oblitus erat confiteri peccatum graue in sęculo perpetratum, videns monachum sibi familiaritate coniunctum, in extremis vitæ suæ, maxima hilaritate, ac lætitia perfusum, sui corporis dissolutionem expectantem, rogauit eundem, vt postquam in cœlum abierit, recordaretur sui, & obtineret sibi bonam, atque celerem mortem. Paucis transactis diebus apparuit ei Monachus ille, & docuit eum de peccato, quod duodecim iam annis oblitus fuerat confiteri. Vnde lætus, confessus est generaliter peccata sua omnia; pœnitentiam peregit, & paulò post, quod cōcupierat obtinuit, migrans feliciter ad Dominũ.

Chron. S. Bernardi Hispan. lib. 4. cap. 57.

XXXII.

FRATER quidā infirmus vociferabatur clamoribus continuis, & toto annisu inclamabat: ò fratres, quare non succurritis? Cur non miseremini? Cur non remouetis à me maximum, & terribilem Runcinum istum, qui posterioribus pedibus contra me versis, calcibus caput meum conquassat; faciem dissipat, dentes conterit? Et conuersus ad eum, quem in forma Equi conspiciebat Dæmonem; loquebatur, cunctis audientibus: per Dominam meam sanctam Mariam matrem Domini, & per sanctos Apostolos adiuro te, ne me torqueas; sed me in pace dimittas: quos clamores Petrus Cluniacensis tunc infirmus, & in proximo cubiculo decumbens, fatetur, per totam quadragesimam pertulisse. Transacta autem Paschali solemnitate, cum ipse Petrus aliquantulum conualuisset (adhuc tamen æger) ad ægrum accessit, & quid sibi in tam diuturna vociferatione vellet, requisiuit. Ad quod ille respondit:

ſpondit: Runcinus ille mihi intolerabiliter moleſtus eſt: Vultnm meum aſſiduis ictibus conterit; & inter hæc oſtendebat quaſi digito locum (murum ſcilicet) cui ipſe adhærebat. Interea, videntibus quamplurimis qui aſtabant, cœpit caput huc, illucque conuertere; & quaſi à ferientibus ictibus ſubducens, nitebatur illud in puluinari, vel deſubtus abſcondere. Miſertus Petrus, afferri præcepit aquam benedictam; eademq. infirmum ipſum, & locum, quem oſtendebat aſperſit. Poſt aſperſionem verò, vtrum Dæmonem illum adhuc videret, quæſiuit: Qui ſe, & illum videre, & ſolita ab eo pati denunciauit. Quod ſtatim vt aduertit, eum vt ſtudioſè vitam ſuam præteritam perſcrutaretur, & ſi quid in ea noxium (maximè de grauioribus) recognoſceret, confiteretur hortatus eſt: Et poſtquam annuit, remotis alijs ante illum conſedit; & Cruciculam ligneam cum imagine Domini, vt magis ad confitendum animaretur, donec omnia conſumata ſunt, ante ipſum tenuit. Confiteri ergò cœpit, & confitendo aliquandiù proceſſit; cumque plurima explicuiſſet, & iam ad alia explicanda pergeret, ecce rurſus auertere faciem, & huc, illucque conuertere, atque ſub puluinari, aliquando nitebatur abſcondere. Cumque quæreret Petrus, quid ſibi hoc vellet: ecce (ait) Domine ille, qui mihi ſemper adeſt Runcinus, ſolito acrius inſtat. At Petrus: Inſta ergo, & tu frater; malignus ſpiritus eſt; impedire feſtinans ſalutem tuam, quem ſi perſtiteris, vinces. Mox ille ad Confeſſionem reuerſus, deuotius, quàm cœperat, confitebatur; cum ecce ſubitò noua querela exoritur, & vox infirmi ad alterum dirigitur: Quid (inquit) me impedis? Quid verba mea intercidis? Aut dic quod dicere volo; aut me dicere ſine. Cum verò interrogaretur, cui, vel quare iſta loqueretur? Reſpōdit: adſtat capiti meo Vir prorſus incognitus, à quo omnia quæcunque malè geſſi narrari audio; ſic tamen illa memorat, vt me illa proferre non ſinat. Verà quidem dicit; ſed me ea volentem loqui impedit. Petrus, & hunc Dæmonem eſſe dicens, ne à propoſito deſiſteret exhortabatur. Sed mirum erat ſpectaculum cernere, quo-

ties

ties ille verba mutare coactus, nunc peccata sua confitens loquebatur, nunc de Dæmonibus, aliquando verbis, aliquando verberibus os eius obturare laborantibus, conquerebatur; ferè enim quadragies hæc Confessionis interruptio à Dæmonibus facta est; productumq. est hoc prælium ab hora diei prima, vsque ad tertiam: tunc planè hora illa victus est hostis miseratione diuina; quæ perfectam fratri (in extremis agenti) purgationem, per plenam confessionis satisfactionem largita est. Confessione ergò completa, fratres aduocans Petrus, ægrum absoluit, pœnitentiamq. pro eo fratribus (si ille defungeretur) indixit. Quam absolutionem multa cum deuotione frater ille suscipiens, Crucem sibi oblatam adorauit; atque salutiferæ Passioni animam, corpusque suum intentissimè commendauit. His omnibus expletis, coram cunctis interrogatus, quid de Runcino, quid de pessimo illo Consiliario esset, cum multo timore eleuans caput, & oculos ad locum solitum dirigens, subito gaudio obortis lachrymis, abscessisse ait. Gratias igitur omnes ex toto corde egerunt Deo, qui saluat sperantes in se. Exinde verò, proprijs deputatis custodibus ad eum obseruandum, non fuit, qui postea eum (saltem in modico) clamantem audiret; totoque illo die cum subsequenti nocte lætus superuiuens, sequenti (circa sextam) in pace vitam finiuit.

Petr. Cluniacen. mirac. lib. 1. cap. 6.

ANNOTATIO.

Notat ibi Petrus causam, quare Dæmon aqua benedicta fugatus non fuerit, dicens. Sed ne miretur aliquis benedictæ aquæ aspersione Dæmonem non fugatum: Agnoscat tabe interius latente, vnguenta exterius adhibita nihil proficere. Tabem autem voco lethale peccatum, quod quandiu in interioribus cuiuslibet latuerit, nullius exterius Sacramenti perceptio ei prodesse poterit. Quod in præcipuis Ecclesiæ Sacramentis, videlicet Baptismate, & corpore Domini manifestè ostenditur, &c. affert ibidem rationes, & exempla præsertim Iudæ, & Simonis Magi.

XXXIII.

LAICVS quidam, cum infirmitate carnis vrgente, ad Monasterium Cluniacensium venisset, habitu à fratribus (vt fieri solet) induendus; & ab eisdem susceptus esset, ac ad domum infirmorum delatus, per aliquot dies, inter vitæ, mortisque confinia laborauit. Nocte itaque obitus sui diem præcedente, velut morti iam proximus; à duobus famulis, per vices sibi succedentibus, custodiebatur; quorum vnum æger ille vocauit, dicens: Qui sunt isti Rustici deformes, & rostrati, quos huc confluere, & paulatim totam domum implere video? Ad quod cum famulus respondisset, neminem in domo illa haberi; admirans ille adiecit: Non cernis (ait) tetros homines omne iam huius domus spatium compleuisse? quorum horrenda species, terrorem mihi non paruũ important. Tunc demum famulus intellexit, non hominum sed malignorum spirituum hanc esse frequentiam, vnde alta voce socium, vt surgeret inclamans, vas, quod fortè cum aqua benedicta in proximo dependebat, fide plenus accepit; & huc illucque eam confidenter aspergens, omnia illius habitaculi loca infudit. Hoc dum faceret, clamare ille fortiter cœpit; eia (inquit) eia, fac quod facis; intra, perurge aduersarios; quoniam ecce velut à facie gladij fugientes, summa cum celeritate exire contendunt. Quo ille audito, instare acriter, & aqua benedictionis, maledictionis filios à domo excludere contendebat. Quibus (ægro testificante) exclusis, à Dæmonum infestatione liberatus est; & die subsecuta, fratribus, huius visionis relatione lætificatis, in bona confessione nouus ille monachus obijt.

Petr. Cluniacen. Mirac. lib. 1. cap. 7.

XXXIV.

QVIDAM Canonicus Regularis apud Suessionem in Gallia, Vir miræ sanctitatis, ante mortem infirmitate grauissima laborauit; & ecce Diabolus immisit mẽti eius præsumptuosæ exultationis tripudiũ; ita vt lingua, & facies eius tanto iubilo resultaret, quod circunstantes eum crederent iam cœlestem

Patriam,

Patriam, & gloriam intueri. Solus quidem Vualterus, cognomento Paruus, magnus tamen merito sanctitatis, de huiusmodi tripudio morientis tacitus tristabatur. Cumque moriens agonizare inciperet, per spatium temporis ab illa exultatione retractus, flere cœpit vberrimè. Ad eum ergò quidam accedens de fratribus, quæsiuit causam tristitiæ post exultationem. Et ille, facias mihi (inquit) conuentum fratrum conuenire: nec mora: factum est vt rogauit;& mox omnibus dixit: Heu charissimi, vidistis in me (suggerente Diabolo) vanæ, & præsumptuosæ exultationis audaciam;sed non permisit me periclitari Mater misericordiæ, & Domina, quæ me redarguit, & admonuit, potius cum spe, & Dei timore diem vltimum expectare. Vos autem fratres charissimi Deum rogate, vt mihi de ista noxa, & alijs multis ignoscat; & iudicet me non secundum opera mea, sed secundum misericordiam suam saluet me. Mox vt hæc verba compleuit, & omnes respondissent, Amen, solutis in fletum oculis, expirauit.

Thom. Cantipraten. lib. 2. cap. 50. par. 9.

X X X V.

FRATER quidam Ord. Præd. grauiter infirmatus, cum lætissimo vultu appropinquare videretur morti, frater alter eiusdem Ordinis cum lachrymis flagitauit, vt siquid consolationis accepisset à Domino, sibi dicere dignaretur. Cui ille (silere præ gaudio non valens) verè (inquit) accepi; quia Dominus ipse Iesus se morti meæ præsentialiter adesse promisit. Cui frater: Et ego (inquit) per eundem Dominum contestor te, vt mihi digito, vel nutibus innuas, cum eum præsentem videris. Cui ille; faciam (ait) libenter; siquidem permiserit Dominus. Die postmodum tertia, ingrauescente morbo, tabula percussa est, & fratres ad infirmorum locum concurrerunt. Præstolantibus ergo, & orantibus fratribus, moriens digitum ad certum locum extendit; & circumfusis oculis, cum cantu lenissimo cœpit dicere: In Galilæa Iesum videbimus, Alleluia. & hæc dicens expirauit.

Thom. Cantipraten. lib. 2. cap. 50. par. 10.

XXXVI.

INFIRMVS quidam horribilis, & fœtidus iacens ad portam cuiusdam Ciuitatis, susceptus est ab inde transeunte Eremita qui ei inseruire, & ministrare voluit. Infirmus autem dicebat: Sit Deus altissimus benedictus, qui mihi hanc donauit infirmitatem, sed timeo ne Deus minuat mihi præmium in cœlis propter tuum humile seruitium; & ille: non est ita, sed pro mea mercede iussus sum huc venire. Sic sancta lis quotidie inter eos oriebatur; & quantò plus Eremita seruiebat, tantò plus seruire affectabat; & infirmus eum seruire non sinebat, vt magis sustinendo, magis præmiaretur. Tandem post annos quindecim expletos, infirmus deosculari cœpit manus Eremitæ, gratias eidem referens de pietate sibi impertita. Eremita autem rogabat Dominum, vt ostendere dignaretur, qualiter hæc anima sancta egrederetur de corpore; & ostensum est. Cum enim ad horam nouissimam deuenisset, audiuit vocem dicentem illi: Veni dilecte mi. Tunc illa felicissima anima ad omnes sensus corporis dicebat. Gratias ago vobis, quia mihi obedistis; oculi, vanitatem non concupiuistis; aures, vanitatem non audistis; manus, in delicijs delectatæ non fuistis; pedes, ad vana non cucurristis; olfactus, delicias contempsisti; Gustus, aliquid delicatè non edisti. Tu igitur (ò corpus meum) in pace quiesce, vt opportuno tempore recipias pro labore æternam remunerationem. Et hoc dicto cum concentu Angelorum euolauit in cœlum.

Spec. exempl. dist. 9. exemplo 136. & in ed. 1. post. tit. infirmitas, exemplo 19.

XXXVII.

SENEX Solitarius ægrotabat aliquando; & quia non habebat, qui ei seruiret, surgebat, & quodcunq; inueniebat in cella sua, manducabat. Transactis autem triginta diebus, & nullo veniente ad eum, misit Dominus Angelum suum, qui ministraret ei; & cum sic fieret per septem dies, recordati sunt Patres, & dixerunt ad inuicem: Eamus, & videamus, ne fortè infirmetur ille Senex. Cum ergo venissent, & pulsassent, di-

scessit Angelus ab eo. Senex autem de intrò clamauit: discedite hinc fratres. Illi autem leuantes à cardine ostium, intrauerunt, & interrogauerunt eum, quare clamauerit; & ille dixit: Quia triginta dies habui laborans infirmitate, & nemo me visitauit; & ecce iam dies septem sunt, ex quo Dominus Angelum misit, vt ministraret mihi; qui cum venisset, recessit à me. Et hæc dicens, dormiuit in pace.

Vitæ Patrum lib. 5. libello 7. De patientia, seu fortitudine. §. 44.

X X X V I I I.

DISCIPVLVS cuiusdam Senis ebriosi (qui vendens opera manuum vtrorumq. in vico vicino, quodcunq. lucrabatur expendebat in vino, & ipsi discipulo afferebat solummodo modicum panis) cum per triennium sustinuisset eum sine querimonia, cogitauit tandem inde discedere. Sed in se reuersus dixit in semetipso: Quò ibo? Sedebo hic. Propter Deum enim sedeo in hac vita communi. Et statim apparuit ei Angelus Domini dicens: nusquam discedas, veniemus enim cras ad te. Rogauit igitur Senem ipsa die dicens: Non discedas hinc alicubi, quia venient hodie mei tollere me. Sed cum facta fuisset hora, qua solebat Senex discedere ad vicum, dixit discipulo: non venient hodie, fili mi, iam enim tardè est; & ille dixit ei, modis omnibus venient: & hæc dicens, dormiuit in pace. Senex autem compunctus, factus est sobrius, & probatus.

Vit. Patr. lib. 5. libello 16. cap. 18.

X X X I X.

DVO fratres erant vicini cuidam Seni, vnus peregrinus, & vnus a Inchoris. Erat autem peregrinus, illo modicum negligentior: ille verò Inchoris studiosus valde. Contigit verò, vt dormiret peregrinus in pace. At Senex vicinus eorũ, cum esset præuidens, vidit multitudinem Angelorum deducentem animam eius; & cum perueniret ad cœlum, vt intraret, facta est quæstio de illo; & venit vox desuper dicens: Manifestum est, quia modicum negligentior fuit, sed propter peregrinationem

eius, aperite ei. Post hæc dormiuit & ille Inchoris; & venit omnis cognatio eius ad eum. Cernens verò Senex non venire Angelos ad deducendam animam eius, miratus est; & cadens in faciem suam in conspectu Dei, ait: Quomodo Peregrinus ille, cum negligentior fuerit, talem gloriam habuit; & hic, cum studiosus esset, nihil huiusmodi meruit? Et venit ei Vox dicens: Hic studiosus cum venit vt dormiret, aperuit oculos suos, vidit Parentes suos flentes, & consolata est anima eius; Peregrinus verò ille, licet negligentior fuerit, nullum suorum vidit, & fleuit; & Deus consolatus est eum.

Vit. Patrum libri 6. libello 1. §. 12.

ANNOTATIO.

a Inchoris, idest Incola.

Negligentiam suam expiasse credendum est Peregrinum, fletu; suorum Priuatione; Peregrinatione; vel alijs huiusmodi in hac vita. Non etenim absque Purgatorij pœnis, cœlorum ianua sibi patuisset; cum nihil coinquinatum illic admittatur.

X L.

DVO magni Senes ambulabant in Eremo iuxta Scithim, & audientes murmur cuiusdam Vocis de terra, quæsierunt introitum speluncæ; in quam ingressi repererunt ibidem quandam Aniculam virginem, iacentem infirmam; & dicunt ei: Quando huc venisti Anus? aut quis est, qui tibi ministrat? Nihil enim inuenerunt in ipsa spelunca nisi solam ipsam iacentē infirmam. At illa dixit: trigesimum octauum annum habeo in spelunca hac Eremi, seruiens Christo; & non vidi hominem, nisi hodie: misit enim vos Deus, vt sepeliatis corpus meum. Cumq. hoc dixisset; quieuit in pace.

Vit. Patrum libri 6. libello 3. nu. 9.

X L I.

SENEX quidam, Eremum perambulans, inuenit Virum, cuius capilli erant pro indumento; (erat autem & terribilis aspectu) Qui cum vidisset Senem stetit ad orationem; & expleto, Amen, cognoscens eum esse hominem, tenuit manum

eius, & interrogauit eum dicens: Quomodo huc aduenisti? & si adhuc constant omnia, quæ sunt in mundo? si adhuc sunt persecutores? Senex autem dixit ei; Vestri gratia, qui in veritate Domino Iesu Christo seruitis, hanc perambulo Eremũ; Persecutio verò cessauit per potentiam Christi: edissere mihi nunc (obsecro te) & tu quomodo huc aduenisti? At ille cum lamentatione plorans, cœpit dicere: Ego Episcopus eram, & persecutione facta, multis mihi illatis supplicijs, cum iam ferre non possem tormenta, postea sacrificaui. In meipsum deinde reuersus, agnoui iniquitatem meam, & dedi me ipsum ad moriendum in hanc Eremum; & sum degens hìc annis quadragintanouem in confessione, & obsecratione ad Deum, si fortè dimittatur mihi peccatum meum: & victum quidẽ præstitit mihi Dominus ex hac Palma: Consolationis verò indulgentiam non accepi vsque ad quadragintaocto annos. In hoc autem anno consolatus sum. Hoc autem dicens repentè surrexit; & currens exijt foras, & stetit in oratione diù. Cum autem complesset orans, venit ad Senem; Qui intuens faciem eius, exterritus trepidauit (factus enim erat ipse tanquã ignis) Dixit ergò ei; noli timere; Deus enim te misit, vt funeri tradas corpus meum, atque sepulturæ. Dum autem consummasset hæc dicens, statim extendens manus, pedesq., finem vitæ fecit.

Vitæ Patrum libri 6. libello 3. § 12.

XLII.

SANCTVS quidam Vir cupiens videre animam Peccatoris, & Iusti, quomodo abstraheretur à corpore; & nolens Deus contristare eum in desiderijs suis, dum sederet in cella sua, ingressus est Lupus ad eum, & tenens ore suo vestimenta ipsius fratris trahebat eum foras. Surgens autem frater sequebatur eum: Lupus autem duxit eum vsque ad aliquam Ciuitatem; & dimittens illum, recessit. Cum verò sederet foras Ciuitatem in Monasterio, in quo erat quidam habitans, qui habebat nomen quasi magni solitarij (ipse verò solitarius infirmus erat, expectans horam mortis suæ) vidit Frater multam præpara-

eius, aperite ei. Post hæc dormiuit & ille Inchoris; & venit omnis cognatio eius ad eum. Cernens verò Senex non venire Angelos ad deducendam animam eius, miratus est; & cadens in faciem suam in conspectu Dei, ait: Quomodo Peregrinus ille, cum negligentior fuerit, talem gloriam habuit; & hic, cum studiosus esset, nihil huiusmodi meruit? Et venit ei Vox dicens: Hic studiosus, cum venit vt dormiret, aperuit oculos suos, vidit Parentes suos flentes, & consolata est anima eius; Peregrinus verò ille, licet negligentior fuerit, nullum suorum vidit, & fleuit; & Deus consolatus est eum.

Vit. Patrum libri 6. libello 1. §. 12.

ANNOTATIO.

a Inchoris, idest Incola.

Negligentiam suam expiasse credendum est Peregrinum, fletu suorum Priuatione; Peregrinatione; vel alijs huiusmodi in hac vita. Non etenim absque Purgatorij pœnis, cœlorum ianua sibi patuisset; cùm nihil coinquinatum illic admittatur.

XL.

DVO magni Senes ambulabant in Eremo iuxta Scithim, & audientes murmur cuiusdam Vocis de terra, quæsierunt introitum speluncæ; in quam ingressi repererunt ibidem quandam Aniculam virginem, iacentem infirmam; & dicunt ei: Quando huc venisti Anus? aut quis est, qui tibi ministrat? Nihil enim inuenerunt in ipsa spelunca nisi solam ipsam iacentē infirmam. At illa dixit: trigesimum octauum annum habeo in spelunca hac Eremi, seruiens Christo, & non vidi hominem, nisi hodie: misit enim vos Deus, vt sepeliatis corpus meum. Cumq. hoc dixisset; quieuit in pace.

Vit. Patrum libri 6. libello 3. nu. 9.

XLI.

SENEX quidam, Eremum perambulans, inuenit Virum, cuius capilli erant pro indumento; (erat autem & terribilis aspectu) Qui cum vidisset Senem stetit ad orationem; & expleto, Amen, cognoscens eum esse hominem, tenuit manum

eius,

eius, & interrogauit eum dicens: Quomodo huc aduenisti? & si adhuc constant omnia, quæ sunt in mundo? si adhuc sunt persecutores? Senex autem dixit ei; Vestri gratia, qui in veritate Domino Iesu Christo seruitis, hanc perambulo Eremũ; Persecutio verò cessauit per potentiam Christi: edissere mihi nunc (obsecro te) & tu quomodo huc aduenisti? At ille cum lamentatione plorans, cœpit dicere: Ego Episcopus eram, & persecutione facta, multis mihi illatis supplicijs, cum iam ferre non possem tormenta, postea sacrificaui. In meipsum deinde reuersus, agnoui iniquitatem meam, & dedi me ipsum ad moriendum in hanc Eremum; & sum degens hic annis quadragintanouem in confessione, & obsecratione ad Deum, si fortè dimittatur mihi peccatum meum: & victum quidẽ præstitit mihi Dominus ex hac Palma: Consolationis verò indulgentiam non accepi vsque ad quadragintaocto annos. In hoc autem anno consolatus sum. Hoc autem dicens repentè surrexit; & currens exijt foras, & stetit in oratione diù. Cum autem complesset orans, venit ad Senem; Qui intuens faciem eius, exterritus trepidauit (factus enim erat ipse tanquã ignis) Dixit ergò ei; noli timere; Deus enim te misit, vt funeri tradas corpus meum, atque sepulturæ. Dum autem consummasset hæc dicens, statim extendens manus, pedesq., finem vitæ fecit.

Vitæ Patrum libri 6. libello 3. § 12.

XLII.

SANCTVS quidam Vir cupiens videre animam Peccatoris, & Iusti, quomodo abstraheretur à corpore; & nolens Deus contristare eum in desiderijs suis, dum sederet in cella sua, ingressus est Lupus ad eum, & tenens ore suo vestimenta ipsius fratris trahebat eum foras. Surgens autem frater sequebatur eum: Lupus autem duxit eum vsque ad aliquam Ciuitatem; & dimittens illum, recessit. Cum verò sederet foras Ciuitatem in Monasterio, in quo erat quidam habitans, qui habebat nomen quasi magni solitarij (ipse verò solitarius infirmus erat, expectans horam mortis suæ) vidit Frater multam præpara-

tionem fieri cereorum & lampadarum propter Solitarium illum; tanquam per ipsum Deus panem,& aquam inhabitantibus Ciuitatem illam præstaret,atque saluaret eos; & dicebãt: Si hic finierit, simul omnes moriemur: facta demũ exitus eius hora, vidit idem tartaricum Inferni descendentem super solitarium illum,habentem tridentem igneum; quem deposuit in cor eius, per multas horas torquens eum; & sic abstraxit animam eius. Post hæc autem ingressus frater ille Ciuitatem, inuenit hominem peregrinum iacentem in platea ægrotum, non habentem qui curam ei adhiberet; & mansit cum eo die vna. Et cum venisset hora dormitionis eius, conspicit frater ille Michaelem, & Gabrielem descendentes propter animam eius, vt egrederetur foras; & non exibat, quasi nolens relinquere corpus suum. Dixit autem Gabriel ad Michaelem: Assume iam animam istam,vt eamus; Cui Michael respondit: Iussi sumus à Domino,vt sine dolore eijciatur; ideoq. nõ possumus cum vi euellere eam. Exclamauit ergò Michael voce magna, dicens: Domine quid vis de anima hac, quia non acquiescit nobis vt egrediatur? Venit autem ei Vox: Ecce mitto Dauid cum cithara, & omnes Deo psallentes in Hierusalẽ, vt audiens Psalmum, ad Vocem ipsorum egrediatur. Cumq. descendissent omnes in circuitu animæ illius, cantantes hymnos,sic exiens anima illa sedit in manibus Michaelis,& assumpta est cum gaudio.

Vitæ Patrum libri 6. libello 3. §. 13.

XLIII.

SENEX quidam sedebat in Monasterio Turrium. Patres igitur eiusdem Monasterij, ipsum, & Magnum, & virtutibus clarum voluerunt constituere Abbatem. Senex verò orabat dicens: Ignoscite mihi Patres. & permittite me flere peccata mea. Ego enim talis meriti non sum, vt possim animarum curam gerere: Negocium istud magnorum,& excellentium Patrum est, Antonij, Pachomij, sanctiq. Theodori. Cum verò fratres illi non acquiescerent, ipsumq. diebus singulis orarẽt; videns se ab eis nimium vrgeri,dixit eis: Permittite me tribus

diebus orare; & quidquid me Deus facere iusserit, faciam. Erat autem Parasceue dies. Dominica verò die, manè requieuit.

Prat. Spir. cap. 7.

X L I V.

FRATER quidam defunctus est in Monasterio B. Gerasimi; cumq. ad Ecclesiam efferretur, & elationis signum audiret Monasterij Præfectus (nomine Agiodulus) qui eum mortuum ignorauerat, accurrit citius, & videns cadauer in medio Ecclesiæ iacere, contristatus est valde, quod non illum salutasset priusquam migraret è sæculo: Accedensq. ad lectulū, vbi iacebat, ait Defuncto: Surge frater, & da mihi osculum: qui protinus surgens osculatus est Senem. Tum dixit Senex: Dormi iam, quousque veniat Christus filius Dei, & resuscitet te; & iterum inclinauit se, & obdormiuit in pace.

Vitæ Patrum lib. 10. cap. 11.

X L V.

MONACHVS quidam cum negligentissimè per summum ocium vitam suam omnem exegisset, infirmatus est ad mortē. Cumq. iam vltimum spiritum duceret, suam ipsius mortem nequaquam perhorrescens, summa voluntate, magnaq. cum gratiarum actione (exolutus vinculis) excedebat. Ad quem assidentium Patrum vnus: frater (inquit) persuasum tibi habeto, & putasse nos, & vidisse, summa negligentia, animiq. remissione vixisse te vtique ad hoc vsque tēpus; & vnde hæc tibi nunc tanta securitas? Cui respondit frater: Est ita omninò Patres; vitam per summam negligentiam duxi: sed Angeli Dei eadem hac ipsa hora, peccatorum meorum ad me chirographum attulerunt; cumq. ea quæ fecissem (postquam sæculo renunciassem) peccata legissent, numquid agnoscerem, rogauerunt; Quibus ego: maximè verò (inquam) agnosco; sed idem ex quo renunciaui sæculo, vitamq. institui Monasticam, nec iudicaui quemquam; nec ab vllo mihi factam iniuriam meminisse volui. Igitur Domini verba ad me quoque pertinere opto, & oro, qui dixit: Nolite iudicare, & non iudica-

dicabimini; Dimittite, & dimittetur vobis. Quæ postquam Angelis dixi, chirographum peccatorum meorum conſciderunt; & ideo nunc ſumma cum lætitia, & ſecuritate proficiſcor ad Dominum. Hæc vbi frater ille narrauit Patribus, Domino in pace ſpiritum reddidit.

Baron. in Annal. to. 8. anno Chriſti 599. ex Anaſtaſio Synaita Epiſcopo Antiocheno in oratione de ſacra ſinaxi.

XLVI.

ADOLESCENS Indus ad fidem conuerſus ſacroſancta Euchariſtiæ myſteria, præcipuo quodam ardore, coluit ſemper; ſed ſupremo potiſſimum vitæ die. Tunc enim, accepto ſalutari Viatico, hæc effatus eſt: Delectabat (inquit) hæc antea me vita; nunc autem poſtquam Chriſtus ſuo Corpore me famelicum pauit, cur moror in terris? Aut quid cauſæ eſt, cur non his vinculis expeditus, cum Chriſto feror in cœlũ? Atque in his verbis, è cuſtodia, vinculis diſruptis corporis, anima educta eſt.

Flor. Exempl. to. 3. cap. 5. tit. 13. ex literis Annalibus Soc. Ieſu an. 1585. è Prou. Braſil. Reſid. Ilhem.

XLVII.

FRATER quidam Anglus Ord. Præd. cum iam animam ageret, ſuauiſſimè ridebat; cauſam verò interrogantibus, dixit: Primò S. Edmundum; deinde Beatiſſimam Virginem; & tandem Saluatorem Ieſum ad ſe venire. Ad Virginis igitur Deiparæ aſpectum inuitauit aſtantes, vt proni in terram melos illud, Salue Regina recitarent. Introeunte autem Ieſu, cœpit angi, pauere, & (præ anguſtia) ſudorem quoque emittere: ad Iudicium enim tunc veniſſe ſuum dicebat; vnde ſæpius auditus eſt reſpondere: Iſtud quidem verum eſt; Iſtud autem non admiſi (Oculos interim, ac vocem ad Sanctiſſimã Virginem eleuans, & ſuum implorans auxilium) inimicũ item ſibi apparentem increpare; & Ieſum, vt ſibi hanc modicam offenſam dimitteret, flagitare. Interrogatus autem ab aſtantibus, an grauioribus criminibus leues quoque noxæ adnumerentur? Vtique dixit. Monitus ſubindè, ne de miſericordiæ

diuinæ benignitate spem deponeret; eandem erga se exhibitam confessus, expirauit. anno 1250.

Franc. Didacus in Hist. Prou. Aragon. Ord. Præd. Hispanicè. Ferdinand. & Leand. in Chron.

XLVIII.

VIR quidam Pius (ex oppido Dinantheo) mare transijt: & ingressus terram Sanctam, loca singula (in quibus stetisse pedes Domini ferebatur) summa deuotione, & lachrymis visitauit. Cum verò venisset ad Caluariæ locum, vbi Redemptor noster mortis angustias, & Crucis supplicia pertulit, grauissimis suspirijs ingemiscens, cum clamore valido, & lachrymis ait: Quid tibi benignissime Domine; Quid (inquam) tibi Christe retribuā pro omnibus, quæ prius (Amator amabilis) mihi mirabiliter tribuisti? Vidi prius loca, in quibus natus, & inter homines conuersatus, Doctrinam Euangelicam prædicasti; & Deitatis tuæ indicia per miracula demonstrasti. Hæc quidem ob tui amorem, & reuerentiam sincero corde amplexus sum; Hunc verò locum Passionis, & mortis tuæ æquo animo videre non possum; vbi clauis configi; terebrari lancea; & animam pro nobis tradere voluisti. Hæc vt Beatus ille perorauit, exclamans, ruptis præcordijs, spiritum exhalauit anno Domini 1216.

Thom. Cantiprat. lib. 1 c. 25. qui floruit anno Domini 1267. & à fide dignis quod narrat accepisse testatur. simile ferè supra in Anonimo XXVI. *nisi idem sit à Manno relatus in sua Historia, in qua huius exempli auctor desideratur.*

XLIX.

QVIDAM Reus ducebatur vt decollaretur extra Ciuitatem, ad locum vbi perpetrauerat Homicidium. Monachus autem sequebatur retrò, vt illum decollari conspiceret. Qui autem ducebatur, cum vidisset Monachum sequentem, ait illi: Nunquid Abba non habes cellam, & opus manuū? Respondit Monachus: Parce mihi frater, & cellam enim, & opus habeo. Qui respondens ait illi: Quare ergo non resides in cella, & defles peccata tua? Dicit ei monachus: Verè frater mi,

valde

valde me ipſum negligo, compunctionemq. anima mea non habet; & idcirco venio, vt aſpiciam te dum morieris; vt vel ſic in compunctionem veniam. Tunc ait illi Reus: Vade frater, per Dominum, ſede in cella tua; & gratias agę Saluatori noſtro Ieſu Chriſto; ex quo enim ille Homo factus eſt, & pro nobis Peccatoribus mortuus eſt, homo iam non moritur.

Prat. Spir. cap. 71.

L.

DVO Monachi ferentes ficus ad ægrotum, in itinere ex inedia, nolentes eos tangere, orando mortui ſunt.

Vit. Patrum lib. 4. cap. 30.

LI.

LAICVS quidam Ord. Erem. S. Auguſtini, ſanus exiſtẽs, & incolumis, accerſiuit fratrem quendam, enixèq. poſtulauit ab eo, vt ſecum ad Eccleſiam pergeret; Confeſſionem ſuorũ peccatorum audiret; & Eccleſiæ ſacramenta ſibi (iam morituro) tribueret. Excuſauit ſe frater ille, vt qui varijs implicatus occupationibus exiſteret; ſed verius, quia iſte ſibi delirare videbatur. Importunis tamen eius precibus victus, ſecũ vadit; & facta Confeſſione, ante altare procumbentem, ſacro viatico communiuit. Deinde frater idem laicus poſuit ſe ad ſedem coram altari, & rogauit eundem, vt eum ſacro inungeret Vnctionis oleo: & quamuis rurſum contradiceret Sacerdos, cum iſte ſanus ſibi videretur, precibus tamen iteratis inſtans, obtinuit quod petebat. Vnde per ſemetipſum calceos extrahens, ſacramentum extremæ Vnctionis, maxima cum deuotione ſuſcepit. Demum calceos induens, voluit ſe à Barbitonſore barbam, & caput radi; mundum ſe dicens, & comptum velle ante Deum venire. Surgens autem de raſura: modò (ait) ad lectum ire volo, & inde nunquam exurgere, ſtatimq., vt decubuit, ægrotare cœpit, & ſequenti die ſpiritum Deo reddidit.

Chron. Ord. S. Aug. (Vitas fratrum inſcriptus) lib. 2. cap. 13. Auctore B. Iordane de Saxonia, qui ibidem laycum hunc ſibi notum, plurimum commendat.

VIRGO

LII.

VIRGO quædam cum impleſſet ſexaginta annos in exercitatione ſua, cum Matre propria, nunquam progreſſa, erat iam vita exceſſura. Ad eam igitur accedens Martyr, qui in eo loco erat, nomine Coluthus, ei dixit: Hodie es itura ad Dominum, & viſura Sanctos omnes; Veni ergo, & prande nobiſcum in [a] martyrio. Cum ergo mane ſurrexiſſet, & in ſporta panem accepiſſet, & oliuas, ac minuta olera, poſt tot annos eſt egreſſa; & cum veniſſet in martyrium orauit;cumq. toto die obſeruaſſet tempus,in quo nullus erat, & ſediſſet,rogauit martyrē dicens; Benedic cibos meos Colluthe Sancte, & me in via comitare tuis precibus. Cum ergo comediſſet, & rurſus oraſſet, domum venit circa occaſum Solis. Et cum dediſſet matri ſuæ opus Clementis Stromatei in Prophetam Amos, dixit ei: Da id Epiſcopo relegato, & ſubdidit: ora pro me, vado ad Dominum meum. Cumq. nec febri laboraſſet, nec ei caput doluiſſet, ſeipſam ad ſepulturam compoſuit, & in manus Domini emiſit ſpiritum.

Pallad. in Lauſiaca cap. 139. relatus in Vit. Patrum lib. 8. Heraclid. Paradiſ. c. 48.

ANNOTATIO.

[a] MARTYRIVM eſt idem quod Confeſſio, ſeu Oratorium, in quo Martyrum corpora requieſcunt.

Martyr autem hoc loco, non qui præeſt martyrio (vt in verſione Herueti, Notator adſcripſit in Margine) ſed ipſe martyr Coluthus, qui ibi colebatur.

Diuerſus verò ab alio Colutho Presbytero, hæreſeos damnato, de quo Baron. in Annal. to. 3.

In dicta Verſione Herueti noſter hic Martyr, Colothus appellatur, non Colluthus.

LIII.

IN Monaſterio (Aquæ nigræ nuncupato) propè Brixiam, iacebat Monachus quidam Vallis vmbroſæ, agens animam; cumq. illac tranſiret B. Bernardus de Vbertis Florentinus, S. R. E. Cardinalis, fratres in illo degentes exceperunt eum

omni

omni qua potuerunt humanitate; & rogauerunt vt morientem inuiseret, ac ipsius animam suis precibus Domino commendaret; sed alijs tunc detentus, & impeditus negocijs, dixit eis, vt præciperent animæ eiusdem morientis (ex obedientia, & in Dei nomine) ne discederet, donec ipse, quod à se volebant fratres, perfecisset. Paruerunt fratres. Paruit morientis anima; quæ tamdiu morata est in corpore, donec B. Viro redeunte, commendata Domino, eius iussu feliciter migrauit.

Siluan. Razz. in Vit. Sanctorum Hetruriæ in Vita eiusdem B. Bernardi S. R. E. Card. Episcopi Parmensis, olim Monachi Vallis vmbrosæ.

LIV.

CVM Sanctus Franciscus (Patriarcha Minorum) de vltra mare rediens, Celanum prædicaturus accederet, Miles quidam supplici eum deuotione cum instantia magna inuitauit ad prandium. Venit itaq. ad Militis domum Vir Sanctus; antequam verò cibum sumerent, de more offerens Deo preces, & laudes, oculis stabat eleuatis in cœlum. Oratione completa, benignum hospitem (familiariter aduocatum in partem) sic alloquutus est: Ecce frater hospes, tuis victus precibus, vt manducarem, domum tuam intraui: Meis nunc citò monitis acquiesce; quoniam non hìc, sed alibi manducabis. Confitere nunc peccata tua, veræ pœnitentiæ dolore contritus; nec in ea te remaneat quidquam, quod veridica confessione non pandas: Reddet tibi Dominus hodie vicem, quando tanta deuotione pauperes suscepisti. Acquieuit continuò Vir ille sermonibus Sancti; socioq. ipsius vniuersa peccata in confessione detegens, disposuit domui suæ; & ad mortem suscipiendam, se (quantum valuit) præparauit. Intrauerunt tandem mensam, & incipientibus alijs manducare, hospes subitò spiritum exhalauit.

S. Bonau. in Vita S. Francisci lib. 1. cap. 11. nu. 4. Habetur eadem apud Sur. to. 5.

QVI-

L V.

QVIDAM Nobilis moriturus, poſtquam interrogauit ſi temporalia ſua fuerant omnia benè diſpoſita ſoluendis; & reſponſum eſſet, ita eſſe; conuerſus ad Dominum dixit: Ecce Domine, ſum poſitus extra manus hominum, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Sicque terrenis exoneratus ſpiritus, rediјt liber ad Dominum, qui fecit illum.

Io. Gerſon. Cancell. Pariſien. qui id ſuo contigiſſe tempore narrat. tom. 2. operum eius, conſideratione 3. de teſtament. condendo.

Vide infra Peregrini quotidianum teſtamentum, quod idem Gerſon, ſub orationis Typo, ſubdit ibidem.

L V I.

MVLIER quædam Palæſtina (Cleopatra nomine) in Aegypto cum vnico filio ſuo degens, ac ieiunijs, & orationibus vacans, corpus ſancti Martyris Vari (cui decertanti propè aderat) noctu ſublatum, aromatibus conditum, & ſplendidis indutũ veſtibus, ſub lectum ſuum reuerenter depoſuit, accendens lumina, & ſuffitibus, vt potuit, ei honorem tribuẽs. Procedente tẽpore, rediens in patriã, à Pręſide corpus mariti ſui (Militis ſtrenuiſſimi pridẽ defuncti) ſecũ deferẽdi, pecunijs traditis, licentiam obtinuit; eiuſq. loco, Martyris ſacras Reliquias accepit, viri dimiſſo cadauere. Cum verò in Palæſtinam regreſſa eſſet, in honorem ſancti eiuſdem martyris, templum magno ſumptu conſtruere cœpit. Cumque interim ab Imperatore literas accepiſſet, quibus dignitatem filio ſuo (ſicut petierat) tribuebat, rem diſtulit quouſq. templi fabrica perficeretur. Qua abſoluta conuocauit prouinciæ Epiſcopos, & Presbyteros ad templi eiuſdem conſecrationem: Conuocauit & Monachos ſanctitate inſignes; & cum è loculo ſacrũ corpus Martyris extuliſſet, id in magnifico lecto præclarè depoſuit. Impoſuit etiam clamydẽ, & zonam dignitatis, quam filius ſuus erat induturus; volens, vt primum benedicerentur ab illis, qui illuc conuenerant; deinde vtramque indueret. Itaque cum per noctem (ſimul cum toto populo) vigilias ibi

omni qua potuerunt humanitate; & rogauerunt vt morientem inuiseret, ac ipsius animam suis precibus Domino commendaret; sed alijs tunc detentus, & impeditus negocijs, dixit eis, vt præciperent animæ eiusdem morientis (ex obedientia, & in Dei nomine) ne discederet, donec ipse, quod à se volebant fratres, perfecisset. Paruerunt fratres. Paruit morientis anima; quæ tamdiu morata est in corpore, donec B. Viro redeunte, commendata Domino, eius iussu feliciter migrauit.

Siluan. Razz. in Vit. Sanctorum Hetruriæ in Vita eiusdem B. Bernardi S. R. E. Card. Episcopi Parmensis, olim Monachi Vallis vmbrosæ.

L I V.

CVM Sanctus Franciscus (Patriarcha Minorum) de vltra mare rediens, Celanum prædicaturus accederet, Miles quidam supplici eum deuotione cum instantia magna inuitauit ad prandium. Venit itaq. ad Militis domum Vir Sanctus; antequam verò cibum sumerent, de more offerens Deo preces, & laudes, oculis stabat eleuatis in cœlum. Oratione completa, benignum hospitem (familiariter aduocatum in partem) sic alloquutus est: Ecce frater hospes, tuis victus precibus, vt manducarem, domum tuam intraui: Meis nunc citò monitis acquiesce; quoniam non hìc, sed alibi manducabis. Confitere nunc peccata tua, veræ pœnitentiæ dolore contritus; nec in ea te remaneat quidquam, quod veridica confessione non pandas: Reddet tibi Dominus hodie vicem, quando tanta deuotione pauperes suscepisti. Acquieuit continuò Vir ille sermonibus Sancti; socioq. ipsius vniuersa peccata in confessione detegens, disposuit domui suæ; & ad mortem suscipiendam, se (quantum valuit) præparauit. Intrauerunt tandem mensam, & incipientibus alijs manducare, hospes subitò spiritum exhalauit.

S. Bonau. in Vita S. Francisci lib. 1. cap. 11. nu. 4. Habetur eadem apud Sur. to. 5.

L V.

QVIDAM Nobilis moriturus, poſtquam interrogauit ſi temporalia ſua fuerant omnia benè diſpoſita ſoluendis; & reſponſum eſſet, ita eſſe; conuerſus ad Dominum dixit: Ecce Domine, ſum poſitus extra manus hominum, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Sicque terrenis exoneratus ſpiritus, rediјt liber ad Dominum, qui fecit illum.

Io. Gerſon. Cancell. Pariſien. qui id ſuo contigiſſe tempore narrat. tom. 2. operum eius, conſideratione 3. de teſtament. condendo.

Vide infra Peregrini quotidianum teſtamentum, quod idem Gerſon, ſub orationis Typo, ſubdit ibidem.

L V I.

MVLIER quædam Palæſtina (Cleopatra nomine) in Aegypto cum vnico filio ſuo degens, ac ieiunijs, & orationibus vacans, corpus ſancti Martyris Vari (cui decertanti propè aderat) noctu ſublatum, aromatibus conditum, & ſplendidis indutũ veſtibus, ſub lectum ſuum reuerenter depoſuit, accendens lumina, & ſuffitibus, vt potuit, ei honorem tribuẽs. Procedente tẽpore, rediens in patriã, à Prȩſide corpus mariti ſui (Militis ſtrenuiſſimi pridẽ defuncti) ſecũ deferẽdi, pecunijs traditis, licentiam obtinuit; eiuſq. loco, Martyris ſacras Reliquias accepit, viri dimiſſo cadauere. Cum verò in Palæſtinam regreſſa eſſet, in honorem ſancti eiuſdem martyris, templum magno ſumptu conſtruere cœpit. Cumque interim ab Imperatore literas accepiſſet, quibus dignitatem filio ſuo (ſicut petierat) tribuebat, rem diſtulit quouſq. templi fabrica perficeretur. Qua abſoluta conuocauit prouinciæ Epiſcopos, & Presbyteros ad templi eiuſdem conſecrationem: Conuocauit & Monachos ſanctitate inſignes; & cùm è loculo ſacrũ corpus Martyris extuliſſet, id in magnifico lecto præclarè depoſuit. Impoſuit etiam clamydẽ, & zonam dignitatis, quam filius ſuus erat induturus; volens, vt primum benedicerentur ab illis, qui illuc conuenerant; deinde vtramque indueret. Itaque cum per noctem (ſimul cum toto populo) vigilias ibi

egiſſet,

egisset, ipsa & filius simul subeuntes primi corpus Martyris, & id ferentes, deposuerunt in aram templi. Post hæc Cleopatra ardenter instans, & lachrymans, filio suo, & sibi bona fideliter petebat à Martyre. Deinde (mysterio peracto) Episcopos, & reliquos omnes splendida recreauit mensa; ipsamet ministrante cum filio, cui iusserat, vt nec cibum, nec potum sumeret, priusquam finitum esset conuiuium. Finito verò conuiuio, & die iam inclinante, puer defessus in suo lecto decumbebat; mater autem (filij osculata oculos) surge fili (dicebat) & cum matre cibum sume. Ille autem, cum à vehementi, & acuta febri detineretur, nec matri quidem poterat respondere: Tum mater, certè (inquit) nec ego quidem cibum sumam, aut aliquid aliud gustabo, nisi prius intellexero, quomodo hæc res euenerit filio. Ei igitur assidens insomnis, circa mediam noctem vidit filium iacentem mortuum. Humi igitur decidit mater, eamque statim vox defecit; sed cum parum ad se redijsset, humeris tollens mortuum filij corpus, & ad sacram aram deferens, ibi deposuit, & capillos vellens ac filium lugens, alloquitur cum lachrymis Martyrem, recolens, quæ in sui honorem fecerat, quæuè petierat; filij nempè salutem. Rogatque sibi eundem restitui, vel se quoque secum tolli. Interim somnus illi obrepens, eam fecit quiescere; & filius ei apparuit cum Martyre; amictus autem erat vtrisque pulcherrimus, ac splendidissimus; & coronæ miræ pulchrytudinis ornabant eorum capita. Videbatur autem Martyr dicere. Cur non lætaris ò mulier, sed tuus grauis luctus cor tuum affligit? num sum adeò ingratus, vt qui nihil senserim eorum, quæ à te facta sunt? Num pro ijs non sum te præclarè remuneraturus? Non vides qualem gloriam sit filius tuus consecutus? Cur non ergo hac relicta tristitia, transis ad animi tranquillitatem? Vocauit deinde puerum, vt ad matrem propius accederet; puer autem magis adhærebat Martyri, nolens eum omninò relinquere, nec volens vllatenus ad matrem venire, sed: abi mater mea, abi dicebat resistens, & minimè te dedas his luctibus. Malle enim vitam vestram quàm

quàm hanc mortem, æquè absurdum existimo, atque dolorem præferre voluptati, quæ non desinit, & vitam breuem, quæ est ad tempus, æuo sempiterno. Hæc cum mater audisset à filio, vt ipsa quoque assumeretur vehementer rogabat Martyrem. Ille autem suadebat vt magis eam viam sequeretur, quæ ducit ad salutem. Tandem (data pace) abijt, Martyr cum puero, suo adhærenti sinui, & vterque ab illius discessit oculis. Statim igitur experrecta, & ad se reuersa mulier, narrauit ijs, qui aderant, quantam ob Martyris, & filij aduentum consecuta esset animi tranquillitatem. Deinde cum filij sui corpusculum splendidè composuisset, id commendat Martyri, tota nocte cum consanguineis, & alijs quamplurimis faciens gratiarum actionem; mysticum demum curauit peragi sacrificium; & cum ad lautam cœnam, eos, qui secum fuerāt, inuitasset, in pauperes omnia sua distribuit; mundum valere iussit; & vili se induens tunica, sepulchro de cætero ministrauit Martyris; ieiunijs vacans, & orationibus. Singulis autem Dominicis ei Martyr apparebat & filius, in eodem quo prius amictu, eam consolantes; & septimo tandem suæ in melius vitæ mutationis anno, in pace quieuit.

Sur. tom. 5. in actis SS. Vari & Soc. Mart. 19. Oct. à c. 9.

LVII.

MVLIER quædam Alexandrina infidelis, sed misericors in ære alieno oppressum, ob idque se præfocare volentem, misericordiam à Domino consequitur; lumine etenim donata fidei, ab Angelis ad Baptismum ducitur; Angelosq. humana specie Sponsores habet. Quod cum Episcopo admiranti detegisset, statim obdormiuit in Domino.

Prat. spir. cap. 207. Relat. in Annal. tom. 7. anno Domini 537.

ANNOTATIO.

Facinus hoc tam præclarum his verbis ibi descriptum habetur. Puella quædam relicta fuerat pupilla à parentibus, magna facultate locupletibus. Erat autem adhuc sine Baptismo. Die verò

quadam;

quadam, ingressa pomarium, vidit quendam parantem sibi laqueum, vt se præfocaret. Cucurrit igitur, & dixit ei: Quid facis ô homo? dixit autem ei: Dimitte me mulier, quoniam in multa tribulatione sum; quæ ait: dic mihi causam, & fortassis adiuuare te potero. Dixit ille: Graui ære alieno premor, & valde suffocor, à creditoribus; elegiq. potius semel vitam finire, quàm quotidiè mori; quæ dixit illi: Quæso te, accipe omnia, quæ habeo, & redde; tantum ne perdas te ipsum. Sumens verò ille, reddidit omnia.

Puella ergo angustiari cœpit, non habens, qui sibi curam gereret. Itaque destituta parentum solatio, fornicari instituit, & inde sibi victum quærere. Post aliquantulum verò temporis infirmata est Puella; & in se conuersa, compuncta est, orauitq. Pontificem (Paulum scilicet Patriarcham Alexandriæ) vt faceret illam Christianam. Omnes autem aspernabantur eam, dicentes: Quis hanc suscipiat, quæ meretrix est? Affligebatur autem vehementer. Cum vero in his esset angustijs, astitit illi Angelus in specie hominis, cum quo misericordiam fecerat; cui illa dixit: Cupio fieri Christiana, & nemo vult pro me loqui. Qui ait: Nunquid re vera ista cupis? Respondit illa: Vtique Domine, & deprecor te vt hoc mihi impertias. Qui ait: Noli tristari; ego adducam aliquos, qui te accipiant. Adduxit ergo alios duos, & ipsos sanctos Angelos, duxeruntq. illam ad Ecclesiam; rursumq. seipsos transformantes in personas quasdam illustres, & notas ex ordine Augustalium, vocant Clericos, Presbyterum scilicet & Diaconum, qui in hoc ipsum constituti erant. Dicunt eis Clerici: Vestra charitas pro ea pollicetur? illi autem responderunt: Etiam, nos pro illa pollicemur. Sumentes ergo illam baptizauerunt, & albis induta, rursus ab eis subuecta est. Quam cum deposuissent, euanuerunt. Vicini ergo cum illam ita albis indutam viderent, postquam recesserunt illi, dixerunt ei; quis te baptizauit? Nunciauit autem eis rem totam dicens: Venerunt quidam, & tulerunt me in Ecclesiam, locutique sunt Clericis, & baptizauerunt me. Et dixerũt ad eam: Qui sunt illi? Cum verò non posset dicere qui essent, illi abeuntes nunciauerunt Episcopo. Dixit autem Episcopus his qui ad baptizandum constituti erant: vos illam baptizastis? & confessi sunt, se illam baptizasse exoratos ab illo, & illo Augustalibus. Porrò accersitis ex prætorio his, quos Clerici dixerant, dixit Episcopus: Num ipsi fideiussistis? Qui dixerunt: neque nouimus, neque conscij sumus nobis hoc fecisse. Tunc verò iam cogitauit Episcopus, Dei hoc opus esse, conuocansq. illam dixit ei: Dic mihi

filia,

filia, quid gesſiſti boni? Quæ ait: Meretrix exiſtens,& paupercula, quid boni operari potui?Dixit illi Epiſcopus: Nihilne omninò operata es? Dixit ei: non, niſi quod videns quendam, qui à creditoribus premebatur, ſe ſuffocare volentem, data illi omni ſubſtantia mea liberaui eum. Et his dictis continuò obdormiuit in Domino. Tunc Epiſcopus glorificans Dominum dixit: Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.

L V I I I.

MVLIER quædam amiſit in gremio ægrotantem filium cathecumenum lactentem. Quæ cum vidiſſet amiſſum,& irreparabiliter perditum,cæpit eum magis flere fideliter,quàm mater. Non enim filij ſui deſiderabat vitam, niſi in futuro ſæculo; & hanc ſibi ablatam, & perijſſe plangebat. Impleta affectu fiduciȩ tulit illum mortuum,& cucurrit ad memoriam beati Stephani Martyris; & cæpit ab illo exigere filium, & dicere: Sancte Martyr, vides nullum mihi remanſiſſe ſolatiũ. Non enim poſſum dicere filium præceſſiſſe,quem noſti perijſſe: Tu enim vides quare plangam. Redde filium meum, vt habeam eum ante conſpectum Coronatoris tui. Hæc, & talia cum precaretur lachrymis, quodammodo non petentibus, ſed exigentibus, reuixit filius eius: & quia dixerat,noſti quare illum quæram; oſtendere voluit etiam Deus verum animum ipſius. Continuò tulit illum ad Presbyteros; baptizatus eſt; ſanctificatus eſt; vnctus eſt: impoſita eſt ei manus; completis omnibus Sacramentis, aſſumptus eſt. Illa autem tali eum cum vultu deduxit, tanquam non deduceret ad requiem ſepulchri, ſed ad ſinum Martyris Stephani.

S. Aug. ſerm. 37. de diuerſis.

L I X.

MONACHVS interrogatus à quodam ſene quid lucratus eſſet in tanto tempore ſolitariæ vitæ,ſpiritualiſq.exercitij, reſpondit: Vade,& poſt decimum diem veni ad me,& dicam tibi. Senex autem abiens,poſt decimũ diem redijt,inuenitq. Monachum migraſſe ad Chriſtum, & teſtam, in qua ſic ſcriptum erat: Ignoſce, pater, quia nunquam, dum opus Dei age-

rem, aut horis constitutis psallerem, mentem meam dimisi in terram.

Prat. spir. cap.98.

LX.

Iuuenis quidā nobilis Flander, qui Dei seruitio, inuitis parentibus, se mancipauerat; & ab eisdem idcircò derelictus, summam rerum inopiam pati coactus fuerat: cum aliquandiu eiusmodi paupertatis incommoda, patienter admodum sustinuisset, ad cœlestes diuitias à Patre cœlesti euocatus, febri modica corripitur, lecto decumbit, & mortis iura lætus expectans, ad eiusdem venit tandem mortis agonem. In quo cum paululum laborasset, resumptis viribus, se super se erigens, in lecto resedit; & oculis, ac manibus in cœlum erectis Patrem omnium inuocauit. Deinde ad sibi astantes conuersus ait: Pater meus, & mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me. Et hæc dicens, in sinum cœlestis Patris, spiritum non magis emisit, quàm posuit.

Spec. exempl. dist. 10. exemplo 11. & in edit. postr. tit. Mors mori exemplo 25.



SELE-

SELECTAE MORIENTIVM IVSTORVM PRECES.

Preces varias conceptis verbis effuderunt Sancti in conspectu Domini, tribulationes, pariter ac desideria cordium (dum premerentur mortis angustijs, ante ipsum pronunciantes. Quæ autem habentur in supradescriptis eorundem mortibus, hæ sunt præcipuè.



RATIO (inprimis) Dominica, & Salutatio Angelica. *Albertus A.* 13. *pag.* 31. *Aloysius.A.*22.38.*Bartholomæus.B.*6.94. *Frãciscus.F.*13.220.*Hubertus.H.*15.271. *Lubertus. L.*13.327. *Maria. M.*18.362. *Reginaldus.R.*6.461.*Stanislaus.S.*26.504.

Symbolum Apostolorum. *Hubertus. H.*15.271.*Maria. M.*18.362.

Corona B.Virginis. *Francisca.F.*9.217.

Officium eiusdẽ. *Francisca.F.*9.217.*Lubertus.L.*13.327.

Officium S. Spiritus. *Lubertus.L.*13.327.

Litaniæ. *Austrebertha.A.*61.86.*Catharina.C.*9.131.*Chunegundis.C.*17.140.*Eduardus.E.*8.180.*Iacobus.I.*4.281.*Petrus.P.*27.429.*Vincentius.V.*8.536.

Cantica nonnulla, nempè

Benedictus Dominus Deus Israel, &c. *Gothardus.G.*25.247.

Magnificat anima mea Dominũ, &c. *Maria.M.*19.364.

Nũc dimittis,&c. *Adhelardus.A.*6.23.*Eligius.E.*13.184. *Marcus.M.*12.356.*Maria.M.*18.362.*Maria.M.*19.365.

Hymni pariter

Te Deum laudamus. *Clara.C.*20.142.*Petrus.P.*26.428. *Stanislaus.S.*26.502.

O Gloriosa Domina. *Antonius. A.*47.71.

Quæsumus auctor omnium, &c. *Pius. P.*41.451.

Psalterium totum. *Antoninus. A.*48.72. *Leutfridus. L.*10. 323. *Lubertus. L.*13.327. *Vincentius. V.*8.536.

Psalmi, qui dicuntur Pœnitentiales. *Amasius. A.* 25.42. *Antonius. A.*47.71. *Augustinus. A.*58.83. *Lubertus. L.*13. 327. *Petrus. P.*27.429. *Verdiana. V.*6.535. *Vincentius. V.* 8.536.

Qui etiam apud morientes ab astantibus recitari consueuerunt. *Conradus. C.*28.153. *Eduardus. E.*8.180. *Lubertus. L.* 13.326.

Psalmi Graduales. *Conradus. C.*28.153.

Psalmi aliqui præcipui, nempè

Ps. 25. Iudica me Deus, quoniam ego in innocentia, &c. *Martinus. M.*22.369.

30. In te Domine speraui. *Albertus. A.*13.31. *Margarita. M.* 17.360. *Nicolaus. N.*4.153.

53. Deus in nomine tuo saluum me fac. *Albertus. A.*13.31.

90. Qui habitat. *Hubertus. H.*15.271.

120. Leuaui oculos meos in montes. *Paulinus. P.*8.415.

118. Beati immaculati. *Lubertus. L.*13.328.

121. Lætatus sum. *Petrus. P.*18.424.

141. Voce mea. *Franciscus. F.*10.218.

148. Laudate Dominum de cœlis. *Antoninus. A.*48.73. *Gerardus. G.*12.235.

Laudate Dominum in sanctis eius. *Petrus. P.*21.424. *Seuerinus. S.*13.484.

Psalmorum aliqui versiculi, nempè

4. In pace in idipsum dormiam, & requiescam. *Gorgonia. G.* 24.246.

5. Introibo in domum tuam Domine; adorabo ad templum sanctum tuum. *Ludouicus. L.*20.335.

16. Satiabor cum apparuerit gloria tua. *Ioannes. I.*21.296.

24. Secundum misericordiam tuam memento mei Domine. *Anscharius. A.*40.62.

Ps.24. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. *Antoninus. A.48.73.*

25. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. *Maiolus. M.6.350. Martinus. M.22.369. Paula. P.7.415.*

30. In te Domine speraui non confundar in æternum. *Margarita Vngar. M.17.380. Nicolaus. N.4.393.*

In manus tuas Domine commendo spiritum meum. *Sancti ferè omnes.*

38. Notum fac mihi Domine finem meum. *Veranus. V.5.535.*

41. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. *Burchardus. B. 36. 121. Eutichius. E.34.210.*

Sitiuit anima mea ad Deum viuum: Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? *Hieron. H. 7.264. Io. Gualb. I. 21.296. Trudo. 7.530. Vdalricus. V.3.534.*

Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus. *Burchardus. B.36.121.*

42. Iudica me Deus, & discerne causam meam. *Persianus in Phil. P.40.442.*

47. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. *Decorosus. D.3.161.*

56. Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. *Laurentius. L.4.317.*

72. Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. *Erendrudis. E.24.198.*

83. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum; concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. *Burchardus. B.36. 121. Hieronymus. H.7.264. Maiolus. M. 6.350. Paula. P. 7.415.*

85. Misericordia tua magna est super me: quoniam eruisti animam meam ex inferno inferiori. *Herman. H.4.260.*

88. Misericordias Domini in æternum cantabo. *Carilephus C. 2.122. Epiphanius. E.20, 195.*

Ps.115. Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. *Nicolaus. N.6.395.*

117. Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos. *Nicolaus. N.6.394.*

118. Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine. *Hermannus. H.* 4.260.

120. Leuaui oculos meos in mõtes, vnde veniet auxilium mihi. *Seuerus. S.14.485.*

121. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. *Nicolaus. N.3 3 12.*

122. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in Cœlis. *Seuerus. S.14,486.*

129. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? *Stanislaus. S.26.501.*

141. Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo. *Conradus. C.30.154. Didacus. D.6.102. Iulianus. I.* 43.313.

148. Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. *Antoninus. A.48,73. Gerardus. G.12.235.*

150. Laudate Dominum in sanctis eius. *Petrus. P.21.425. Seuerinus.*499.

Omnis spiritus laudet Dominum. *Hieron. H.* 8.266. *Petrus.*P.21.*S.*13.484.

Præter hos psalmorum versiculos, alios quoque à sanctis Viris (in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei, in voce exultationis, & confessionis ingredi satagentibus) pronunciatos esse, ex supradescriptis eorumdem mortibus, probè nouimus. Quia verò quales ij fuerint ignoramus, coniectari libuit fuisse sequentes, nempè.

3. Tu autem Domine susceptor meus es.

Exurge Domine, saluum me fac Deus meus.

6. Domine ne in furore tuo arguas me; neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.

Conuertere Domine, & eripe animam meam, saluum me

me fac propter misericordiam tuam.
Ps. 7. Domine Deus meus in te speraui; saluum me fac, & libera me.
12. Illumina oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus præualui aduersus eum.
16. Sub vmbra alarum tuarum protege me.
17. Deus meus adiutor meus; & sperabo in eum.
Circumdederunt me dolores mortis; & pericula inferni inuenerunt me. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui.
21. De vētre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris à me. Quoniam tribulatio proxima est; & non est qui adiuuet.
Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me; ad defensionem meam conspice.
24. Ad te Domine leuaui animam meam; Deus meus in te confido; non erubescam.
Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiæ tuæ, quæ à sæculo sunt.
Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.
Secundum misericordiam tuam memento mei Tu, propter bonitatem tuam Domine.
Propter nomen tuum propitiaberis peccato meo; multum est enim.
Respice in me, & miserere mei, quia vnicus, & pauper sum ego.
Custodi animam meam, & erue me: non erubescam quoniam speraui in te.
26. Ne auertas faciem tuam à me: & ne declines in ira à seruo tuo.
Adiutor meus esto, ne derelinquas me: neque despicias me Deus salutaris meus.
Credo videre bona Domini in terra viuentium.
30. Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt saluum me facias.

Ps.30. Illustra faciem tuam super seruum tuum, saluum me fac in misericordia tua; Domine non confundar quoniã inuocaui te.
31. Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circundedit me: exultatio mea, erue me à circundantibus me.
32. Fiat misericordia tua Domine super nos quemadmodum sperauimus in te.
37. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.

Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Ne derelinquas me Domine Deus meus; ne discesseris à me.

Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

39. Tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas à me.

Complaceat tibi Domine vt eruas me, Domine ad adiuuandum me respice.

Adiutor meus, & protector meus tu es Deus meus, ne tardaueris.

40. Ego dixi Domine miserere mei quia peccaui tibi: Tu autem Domine miserere mei.
41. Apud me oratio Deo vitæ meæ; dicam Deo susceptor meus es.
50. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. *cum reliquis eiusdem psalmi.*
53. Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus susceptor est animæ meæ.
54. Cor meum conturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me, & contexerunt me tenebræ.
61. In Deo salutare meum, & gloria mea: Deus auxilij mei, & spes mea in Deo est.
68. Saluum me fac Domine, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.

Ps. 68. Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor velociter exaudi me.

Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me.

69. Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.

Ego verò egenus, & pauper sum, Deus adiuua me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu, Domine ne moreris.

70. In te Domine speraui non confundar in æternum; in iustitia tua libera me, & eripe me. Inclina ad me aurem tuam, accelera vt eruas me. Esto mihi in Deum protectorem & in domum refugij, vt saluum me facias.

In te confirmatus sum ex vtero: de ventre matris meæ tu es susceptor meus.

Ne proijcias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum respice.

72. Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram?

Defecit caro mea, & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

78. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: citò anticipet nos misericordia tua, quia pauperes facti sumus nimis. Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

85. Tu Domine suauis, & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.

90. Dicam Domino susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in te.

Quoniam tu es Domine spes mea.

Cir-

Ps. 114. Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me: O Domine libera animam meam misericors Dominus, & iustus: & Deus noster miseretur.

115. Quid retribuam Domino pro omnibus quę retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.

O Domine quia ego seruus tuus; ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. (*gloriosæ nempè matris nostræ Mariæ.*)

Dirupisti vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis.

118. Tuus sum ego; saluum me fac.

Suscipe me secundũ eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea.

Erraui sicut ouis, quæ perijt, quære seruum tuum.

Ps. 122. Sicut oculi seruorum in manu dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in mãnibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri.

123. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum, & terram.

129. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est; & propter legem tuam sustinui te Domine.

Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.

138. Proba me Domine, & scito cor meum; interroga me, & cognosce semitas meas. Et vide si via iniquitatis in me est; & deduc me in via æterna.

141. Clamaui ad te Domine; dixi, Tu es spes mea, portio mea in terra viuentium.

142. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus.

143. Misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus, & liberator meus.

Emitte manum tuam de alto; eripe me, & libera me de aquis multis. &c.

Preces

Preces itidem habentur, in supradescriptis Iustorum mortibus, variæ, ab eisdem fusæ. Dum infirmi decumberent: Dum Ecclesiæ Sacramenta susciperent: Dum fidei professionem, ac protestationem emitterent: Dum tandem ex hac vita migrarent. Sunt autem hæ sequentes.

In infirmitate.

DOmine hic vre hic seca, vt in æternum parcas: Domine hic non parcas, vt in æternum parcas. *Aloysius*. *A*. 22.38.

Sancta, & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio. *Antoninus*. *A*.48.71.

Vbi es amor meus? Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie: quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? O Deus meus! Veni Domine, & noli tardare. *Baptista*. *B*. 2.89.

Domine Iesu Christe miserere mei: Fili Dei adiuua me. *Dorotheus*. *D*.15.168.

Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. *Epiphanius*. *E*. 20.195.

Domine da mihi modò hic patientiam, & postea indulgentiam. *Fulgentius*. *F*.19.226.

Domine adauge dolorem, dum adaugeas patientiam. *Pius* *P*.41.451. *Stanislaus*. *S*.26.501.

Deus meus es tu, & ego seruus tuus. *Gaspar* *G*.5.230.

Domine tu scis, quia meus es tu, & ego tuus. *Idem ibid*.

Gloria, laus, & honor tibi sit Christe Redemptor. *Guilhelmus*. *G*. 33.254.

Dilectus meus mihi, & ego illi donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. *Conradus*. *C*. 29.153.

O pie Deus, requiem: Bone Domine, Deusq. verax dona tandem requiem (æternam scilicet) *Hugo*. *H*.18.274.

Dominus meus, & Deus meus. *Ioannes*. *I*.24.300.

Sit Deus altissimus benedictus, qui hanc mihi largitus est infirmitatem. *Anon*.36.578.

Domine quando me de hoc erues carcere? quando veniam, & apparebo coram te, & præſentia, ac pulchritudine tua fruar? *Anon.* 25.569.

Non ſecundum iniquitates noſtra retribuas nobis. *Staniſlaus*. S.5.501.

Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Iram tuã, & flagella quis ſuſtinebit? *Staniſlaus*. 525.501.

Ante Confeſsionem Sacramentalem.

TV Deus, qui noſti corda hominum, & Publicano longè poſito dum pectus percuteret ſuum, dimittere peccata dignatus es: Qui Lazarum dormientem, de monumento poſt reſolutionem carnis, die quarta dignatus es reſuſcitare, Suſcipe in hac hora Confeſſionem meam, & peccata, quæ innumerabiliter contraxi, ab oculis aufer tuis. Ne reminiſcaris mala mea; & iuuentutis delicta ne memineris.

Tu Domine non poſuiſti pœnitentiam iuſtis, qui non peccauerunt tibi, ſed mihi peccatori, qui peccaui ſuper numerum arenæ maris. Non inueniat in me hoſtis antiquus, quod puniat. Tu ſcis quia peccare numquam finiui, ſed vt iniquè agerem laboraui: Et quia tu dixiſti, in quacunque hora peccator à vijs ſuis reuerſus fuerit, omnes iniquitates ſuas traderes obliuioni, huius precepti memor ſum tui. Clamo vtique cum ſpe, & fiducia ad te, qui cœlos aſpicere non ſum dignus præ multitudine peccatorum meorum. Adeſto, & ſuſcipe orationem meam, & mihi peccatori veniam dona poſtulatam. *Iſidorus*. I. 38.309.

Ante Sacroſancti Viatici ſumptionem.

ISte Deus meus, & glorificabo eum. Ecce Deus Saluator meus. O Anima mea, ipſum lætè ſuſcipias, quia eſt amicus dulcis; conſiliarius prudens, auxiliator fortis. *Conradus*. C.29.153.

Aſcen-

Ascendat filius ad Patrem, & seruus ad Dominum suum. *Hugo.H.*21.277.

Benedictus qui venit in nomine Domini. *Nicolaus. N.6.* 394.

Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos. *Idem Ibidem.*

Ecce Amorem meum, ecce amorem meum. Domine non sum dignus, nec fui vnquam dignus, qui tuo sacro corpore pascar. *Philippus.P.*40.437.

Ego N. peccator confiteor vnum, & verum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnam ex hac Trinitate personam videlicet vnigenitum, & consubstantialem, & coęternum Dei Patris Filium, de Sacratissima Maria Virgine incarnatum, passum, mortuum, & sepultum tertia die resurrexisse; cœlos ascendisse; ad dexteram Dei considere; viuos, & mortuos extremo, & magno iudicio iudicaturum. Hanc autem sacratissimi corporis eius Eucharistiam, illud idem credimus corpus, quod assumptum est de Virgine: quod discipulis suis ad confœderandum, & vniendum, & in se commanendum contradidit. Hunc sacratissimum sanguinem, illum eundem, qui de latere eius in Cruce pendentis defluxit, & firmissimè credo & corde, & ore confiteor. Hocque sacratissimo Viatico decessum meum muniri, & contra omnem aeream potestatem certissima protectione defendi peropto. *Ludouicus. L.*21. 336.

Confiteor hoc Sacrum Saluatoris mei corpus, illud vere, & essentialiter esse, quod de sancta Virgine ab ipso sumptum est; quod pro mundi salute in Cruce pependit; quod tertia die à mortuis resurrexit; quod in cœlos ascendit; quod venturum est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem. Per ipsum credo incorporari ei, & fieri vnum cum ipso, & habere vitam æternam. *Mattheus.M.*24.372.

Ego planè credo, imò pro certo noui, hunc esse verum Deum, & hominem Iesum Christum, æterni Patris, & Virginis Filium. Et quod puro corde credo, etiam labijs sincerè confi-

confiteor. Sumo te pretium redemptionis animæ meæ, Viaticum peregrinationis meæ. *Thomas. T.16.527.*

Tu es Domine, in quem credidi, quem prædicaui; tu mihi testis es, quod in terris nihil præter te quæsiui, & tu nosti nihil me velle, nisi quod tu vis. Ita fiat Domine voluntas tua. *Edmundus.E.6.176.*

Sumpto Viatico.

AGne Dei per istas æterni Patris delicias, suscipe pro tua pietate vota supplicantis. Ecce ad te venio. Miserere figmenti tui. Me iam cœlestis excipiat gratia, vt te in paterno solio regnantem videam. *Audomarus. A.57.83.*

Confirmatum est cor meum in Domino; & exaltatum est cornu meum in Deo meo. *Carilephus.C.2.122.*

Nunc dimittis Ancillam tuã Domine, quia viderunt oculi mei salutare tuum; quoniam remissionem peccatorum in manibus accepi. Nunc abibo, quò me tua iubet potentia. *Theoctistes.T.8.516.*

Post extremam Vnctionem.

NVnc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace; quia percepi omnia tui Mysterij Sacramenta: & nunc quid superest, nisi vt ad te veniam? Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis; tantum fiat voluntas tua. *Adhelardus.A.6.23.*

Ad Crucis oblatæ conspectum.

SAlue Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorum eius margaritis ornata; securus, & gaudens venio ad te, ita & tu exultans suscipias me.

O bona Crux, quæ decorem, & pulchritudinem de membris Domini suscepisti, accipe me ab hominibus, & redde

me

me Magiſtro meo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit. Suſcipe me tu Magiſter mi Chriſte, quem dilexi, quem cognoui, quem confiteor, quem videre deſidero. Suſcipe Domine ſpiritum meum in pace, quia iam tempus eſt vt ad te veniam. *Andreas.A.*35.54. *Henricus.H.*2.259.

Haurietis nunc aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. *Edmundus.E.*6.176.

Ieſu Deus cordis mei. *Franciſcus.F.*14.222.

Te deprecor, ineffabilis miſericordiæ clemētiſſime Deus, ne me ſinas in perpetuum perire; neque condemnes cum ijs, qui deſcendunt in lacum mortis, neque obliuiſcaris in finem; ſed iubeas me à ſanctis Angelis ſuſcipi,& ad patriam Paradiſi perduci, quam generi humano per Crucem, & paſſionem tuam acquiſiuiſti, & aſcendens in altum captiuitatē noſtram tecum captiuam duxiſti, gratiſque dona hominibus dediſti: vbi te credo verum Deum, & vnicum Patris Filium cum Spiritu ſancto regnaturum in ſæcula ſæculorum, Amen. Te iterum, atque iterum totis viſceribus flagito, vt per virtutem huius vitalis ligni, vbi tu Sacerdos, & hoſtia pro ſalute totius mundi fieri voluiſti; quod nudus ſacris humeris de Prætorio exiens baiulaſti; in quo Diabolum, & tartareas legiones roſeo cruore captiuaſti, vt hoc ſignum ſanctæ Crucis ſit mihi ad te reuertenti ſcutum inexpugnabile contra omnes accuſatores tenebrarum quærentes animam meam, ne princeps tenebrarum occurrat mihi gaudens,ſed confuſus, & irretitus procul abſcedat. *Amicus.A.*31.48.

O crux aue ſpes vnica. *Guillhelmus.G.*33.254. *Staniſlaus.S.*26.504.

O pientiſſimæ Redemptor parce mihi indigniſſimo ſeruo tuo.Miſerere mei clemētiſſime Ieſu,& à peccatis meis auerte faciem tuam. Non meis meritis Domine, quia nulla ſunt, ſed illa tua ineffabili pietate, & infinita miſericordia motus, qua hominem redimere à morte per carnem tuam voluiſti. *Ioannes.I.*13.288.

Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera; quæ

sola fuisti digna sustinere Regem cælorum, & Dominum. *Didacus.D.5.460. Petrus. P.24.126.*

Salue Crux pretiosa, quæ digna fuisti portare Mūdi pretiū, quod in te quieuit, & sedit, & passionis æstu roseū sanguinem sudauit; & latroni misericordiam imploranti pepercit; suam Matrem Virginem Virgini discipulo commendauit; Deumq. pro se crucifigentibus rogauit. Ille per te me defendat in hac hora ab hoste maligno. *Nicolaus. N.6.394.*

Gratias tibi ago Domine Iesu Christe pro omnibus beneficijs quæ mihi præstitisti: pro pœnis, & opprobrijs, quæ mea causa pertulisti. Tu nosti Domine, quod si tibi placeret, omnia opprobria, atque tormenta, ipsam denique mortem propter te paratus sum tolerare; & sicut tu nosti me vera dicere, ita miserearis quæso mei, quia tibi commendo animā meam. *Richardus. R.11.466.*

Fidei professionem emittentes.

SYmbolum præcipuè Apostolorum recitarunt. *Hubertus 264. Iacoponus.I.5.281. Robertus.R.14.469.*

Vel ab astantibus recitari curarunt. *Maria. M.18.362. Nicolaus N.3.393. Anon.27.*

Symbolū S.Athanasij, Quicunq.&c. *Gilbertus.G.18.239.*

Epistolam S.Leonis Papæ ad Flauianum, in qua Catholicæ fidei ratio plenissimè continetur.. His additis.

Sic credo ò Trinitas ineffabilis. Ita confiteor Deus omnipotens. Ita de te sentio fili Dei Christe Iesu. Sic de te intelligo Spiritus sancte æterne Deus, atque ita vnum Deum in trinitate, trinumque in vnitate Confiteor. *Amatus. A.27.43.*

Confiteor quia omnes in hac carne (pellem suæ manus tenens) resurgemus. *Eutichius. E.34 2.*

Ego N. credo, & confiteor fidem, quam sancti Apostoli prædicauerunt; & sancti Patres in quatuor Concilijs firmauerunt. *Io.Gual.I.21.297.*

Credo, & credidi, teneo, & tenui, confiteor, & confessus sum fidem illam sanctissimam; quam Christus docuit; quam Apostoli prædicauerunt; quamq. sanctā Dei Romana Ecclesia (in qua nunc præsidet Domnus N. Papa) tenet, & docet. *Robertus.R.14.469.*

Vide supra, ante sacrosancti Viatici sumptionem, eiusdem fidei professionem ab Edmundo, Ludouico, Matthæo, atque Thoma emissam.

Sub mortem:

IN manus tuas, ò benigne Deus, commendo spiritum meum. *Abenner.A.2.17. & ferè Iusti omnes.*

Domine pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me; alioquin turmas non effugiam iniquorum; quia tu solus inuentus es inter mortuos liber. Venit enim ad te exactor, & non inuenit quidquam, quod suum esset. Idcircò fac me firmius in te inhærere, vt & ipse per te in tuo corpore, mali totius inueniar liber. *Adbelardus.A.6.22.*

Gratias tibi ago Domine, qui me custodisti ab infantia. Exaudi ergo me in hac hora. Accipe animam meam, & dignare me relinquere hunc Mundum, ac peruenire ad diuitem, & magnam misericordiam tuam. *Agatha.A.7.24.*

Domine Iesu Christe, qui cuncta creasti, & omnia pro tua voluntate disposuisti, conseruasq. ea sapientia, & prouidentia tua; conserua animam meam ineffabili misericordia tua. Tuere eam ab hoste maligno, & perduc eā in consortium electorum tuorum. *Albertus.A.13.31.*

Sancta Maria succurre miseris. *Annon.A.38.59.*

Secundum misericordiam tuam memento mei Domine. Deus propitius esto mihi peccatori. *Anscharius.A.40.62.*

Ecce ego ad te venio, quem amaui. Ad te propero, quem desideraui. Ad te sitio peruenire, quem semper ardentissimo amore dilexi. In te confido non erubescam. In te spero non confundar. Tu meum suscipe spiritum in pace sempi-

terna, ne aduersum me præualeant inimici iacula. *Austrebertha. A.61.87.*

Exiui à Patre, & veni in Mundum, iterum relinquo Mundum, & vado ad Patrem. *Baptista.B.8.90.*

Ascendo ad Patrem meum. *Electus.E.11.183.*

Egredere in occursum Christi anima mea. *Bauo.B.8.97.*

Parce supplici famulę tuę Christe Saluator, & quã innumeris, grauissimisq. obnoxiæ criminibus peccatrici: Ignosce, quę tua (toties præuaricando) discessit à lege. In te deliqui Domine Deus, & malum coram te feci. Indignam me esse, indignam certè, ad quã tu venias dulcissime Iesu, & testor, & defleo: sed tu pie Domine, Rex meus, & Deus meus: Tu Redemptor omnium mihi iam adesto, & misericordiæ tuæ excipe sinu. Ne explodas à Regno gloriæ tuæ, quam creasti, & redemisti. Tua in fide, & misericordia sperans, ad te euolat anima mea. *Barbara. B.3.91.*

Domine Iesu suscipe spiritum meum. *Bartholomæus. B.5.93. Palatiates. P.2.412.*

O Rex gloriæ, Domine virtutum, qui triumphator super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos Orphanos. *Beda.B.9.98.*

Vade secura anima mea, quia bonum habes conductum itineris. Vade quoniam qui te creauit, sanctificauit; & custodiens te semper (velut Mater filium) tenero amore dilexit. Tu Domine benedictus sis, qui me creasti. *Clara. C.19.141.*

Saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te. Fidelium Deus omnium conditor, & Redemptor, animæ meæ remissionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiã, quam semper optaui, pijs supplicationibus consequar. *Conradus. C.29.154.*

Nunc dimittis seruum tuum in pace. Memento quæso quod sicut lutum feceris me. Non intres in iudicium cũ seruo tuo Domine, quia nõ iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Memento mei, qui solus sine peccato es Christe Mundi Redemptor, & educens me de corpore mortis huius, sal-

tuum me fac in Regnum tuum cœleste. Tu semper fuisti protector meus. In manus tuas commendo spiritum meum. Scio me non mereri conspectum tuum; tamen tu scis, quia semper spes mea fuit in misericordia tua, & fides mea in tua credulitate permansit: & nunc quoque in confessione sancti nominis tui moriens, extremum Christe anhelitum efflabo. Suscipe ergo me secundum magnam misericordiam tuam, & non confundas me ab expectatione mea. Aperi mihi properanti ianuam vitæ; & principes tenebrarum non occurrant mihi; nec conturbent me potestates aeris huius; sed clemens dextera tua protegat me, & tua potentia me defendat; manusq. tua deducat me in locum refrigerij, & vel in vltimam mansionem ex ijs, quæ præparasti seruis tuis timentibus te. *Eligius. E. 13. 184.*

Per Crucem, & passionem tuam libera me Domine. *Elzearius. E. 16. 189.*

Domine Iesu Christe ne intres in iudicium cum seruo tuo, & ne des alteri iudicium meum, sed ante gloriosum tribunal fac vt dignè astare possim. Nam quem Dominus iudicat, misericordiam promeretur. Rogo, atque obsecro te Saluator, Dux, & Creator meus ne me affligens miserũ reddas, & conterens me, dolore afficias, atque condemnes. Si enim dignè ea, quæ à me gesta sunt perscrutatus fueris, vndique ruina me circundabit. Respice Domine ad humilitatẽ, & supplicationẽ meã: rogo te vt miserearis mei, dignumq. me facias, vnigenite Fili Dei: neque pro rebus à me in vita gestis retribuas mihi. Nam si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et si secũdum maiestatem tuã reddideris nobis, quis in iudicio tuo misericordia dignus cẽsebitur? Omne enim os (inquit scriptura) obturabitur, & totus Mũdus subditus fiet Deo. Non autem hæc affero tanquã gratiã spernẽs, nam ea loquor, quæ scripta sunt clementissime Christe. Quæ enim vtilitas in sanguine meo si in ignẽ ardentẽ missus fuero? Age igitur mecũ secundum consuetudinẽ miserationum tuarũ, & in eo tuæ cognoscatur gratia pietatis, atque clementiæ. *Ephren. E. 19. 193.*

Iesu fili Dauid miserere mei. Tu autem peccatorum meorum miserere. Mater Dei memento mei. *Franciscus. F. 14.222.*

Iesu Deus cordis mei. *Idem ibid.*

Dominus meus, & Deus meus. *Ioannes. I. 24.300.*

Domine tu scis, quia meus es tu, & ego tuus. *Gaspar. G. 5.230.*

Pater, Pater, In manus tuas commendo spiritum meum. Pater, Pater. Quanta dignatio Dei, Patrem hominum esse! Quanta hominum gloria, Dei filios esse, & hæredes! *Gerardus. 12.235.*

In pace in idipsum dormiam, & requiescam. *Gorgonia. G. 24. 246.*

Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini suscipientes animam meam, & offerentes eam in conspectu Altissimi. *Geraldus. G. 8.232. Poppo. P. 43.453.*

Adsum ego Christe Ancilla tua. Veni obsecro Rex pijssime, & me benigne suscipe. *Hunegundis. H. 23.278.*

Benedictus Deus noster nunc, & semper, & in sæcula sæculorum Amen. *Ignatius. I. 6.282.*

Iesu mi Rex omnipotens porrige manum. *Ioannes. I. 11. 286.*

Gloria tibi Domine omnium causæ. *Ioannes. I. 17.291.*

In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Alleluia alleluia. Redemisti me Domine Deus veritatis. Alleluia Alleluia. *Ioannes. I. 35.307.*

Venio ad Te ò bone Iesu. In spiritu humilitatis suscipe me bone Iesu, vita, & salus animæ meæ. Neque enim in iustificationibus meis prosterno preces meas ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Illa ego ouis amissa ad te Pastorem redeo; vocem tuam noui, non alienorum. Peto Domine vt ad ouile me reducas. Potesne spernere vocem clamantis, & confugientis ad te? Nonne Tu ille, qui dixisti, Clamabit ad me, & ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione? Ecce clamo plus corde, quam ore Domine. Ec-

ce tribulatio proxima est, & non est, qui eripiat, nisi Tu bone Iesu. Sed neque felicium sedes affectare spirituum ausim, qui faciem intuentur Sanctissimæ Trinitatis: portio tamen aliqua creaturæ tuæ postulat micas suauissimæ mensæ tuæ. Nimium mihi fuerit, & heu quam nimium, si subtus calceos infimi electi tui loculum aliquem huic pusillo tuo seruo non negaueris. *Laurentius. L.* 5.319.

Amor meus Iesu adiuua me. *Ioannes. I.* 22.299.

Educ de carcere Domine animam meam. Veni ò Domine Iesu, & noli tardare; ecquid moraris? ecquid animam hanc misellam ex hoc corpusculo nõ educis? *Iulianus. I.* 43.313.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutũ, Rex meus, & Deus meus; concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem tuam: Domine spes, & fortitudo mea, vita mea, & salus mea. *Launomarus. L.* 6.321.

Venio ad te ò bone Iesu. *Laurentius. L.* 5.318.

In gloria, in gloria, in bonitate, in bonitate, in misericordia, in misericordia suscipe, suscipe, suscipe. *Lubertus. L.* 13.329.

Domine Iesu Christe, Patris æterni fili vnigenite miserere mei senis iam fatiscentis; & si iam satis est bonitati tuæ, quod hucusque militaui in castris tuis, liceat mihi deinceps, diu optata libertate donato, ad ciuium supernorum transire consortium. *Marculphus. M.* 11.355.

Tu Domine, mortis metum nobis abstersisti, Tu effecisti vt huius vitæ finis, veræ nobis esset principium vitæ. Tu nostra corpora ad tempus somno tradis, rursumq. è somno excitas extrema tuba. Tu terram nostram, quam manibus formasti, tanquam depositum, terræ committis; & quod ei dederas; rursum repetis; quod in nobis mortale, atque deforme est, immortalitate, & gratia decorans. Tu nos ab execratione peccatorum liberasti, vtrumque pro nobis effectus. Tu draconis capita collisisti, qui per voraginem contumaciæ faucibus hominem corripuerat. Tu portis Tartari confractis, & debi-

debilitato qui mortis habebat Imperium, nobis ad resurrectionem aditum patefecisti. Tu ad Hostis perniciem, & vitæ nostræ securitatem dedisti signum metuentibus te, notam sanctæ Crucis. Aeterne Deus, cui addicta sum ex vtero Matris, quem ex totis visceribus diligit animus meus; & cui, & carnem, & animam ab adolescentia mea ad hoc vsque tempus conseruaui: Tu mihi adhibe Angelum lucis, qui me ducat ad locum refugij, vbi quietis est aqua in sinus Sanctorum Patrum. Tu qui flammeum fregisti gladium,& Paradiso reddidisti hominem, qui tecum Cruci suffixus erat, & ad misericordiam confugerat tuam, memento etiã mei in Regno tuo: siquidem & ego crucifixa sum tecum, configens timore tuo carnes meas,& ab iudicijs tuis metuẽs. Ne separet me chaos illud formidandum ab electis tuis. Ne impediat Inuidus iter meum. Ne reperiantur ante oculos tuos peccata mea. Si propter naturæ infirmitatem collapsa, aut verbo, aut opere, aut cogitatione peccaui, condona id mihi Tu, qui habes in terra dimittendi peccata potestatem, vt refrigerer; & in corporis spoliatione ante conspectum tuum inueniar non habens maculam in forma animæ meæ; sed sine reprehensione,& labe suscipiatur animus meus in manibus tuis, tanquam incensum in conspectu tuo. *Macrina, M.* 3.345.

Domine Iesu Christe, qui voluntate Patris cooperante Spiritu sancto per mortem tuam mundum viuificasti, libera me. *Margarita. M.* 15.359.

Ecce Domina venio, ecce Domina venio. *Musa. M.* 38. 388.

Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Oro supplex Domine, vt animam serui tui lætantem ire concedas in domum suam superna; eiusq. pedes stare facias in atrijs cœlestis Hierusalem. Adesto iam mihi ô bone Iesu, vnica spes mea, sola salus mea; cui soli vixi; cui vni morior: & suscipe in misericordia tua spiritum meum, quem in manus tuas commendo, quia Tu redemisti me Domine Deus veritatis. *Paulus. P.* 22.425.

Domi-

Domine Iesu Christe suscipe spiritum meum. *Palatiates. P.2.412.*

Sancte Pater N. quemadmodum viuentem in sinu tuo me educasti, ita morientem accipere ne dedigneris; Deumq. pro me exora. *Petrus Chrisol. P.22.425.*

Noui pijssime Domine quò corpus hoc deferatur, sed quò anima sit transferenda ignoro. Habet corpus, Redemptor, suum ad præsens in terra hospitium: Anima autem, ò benigne Iesu, ò æterne Saluator, vbi hac nocte hospitabitur? Quis eã suscipiet? Quis occurret? Quis consolabitur? Quis à morte, mœrore, doloribus liberabit? Quis locum, vitam, quietem post tot Mundi labores prouidebit? Nullus nisi Tu pie Iesu Saluator meus. longe fient à me omnes proximi mei, nec potero inuenire refugium nisi apud te Deus meus. Tibi ergo quod creasti committo. Tibi me omnium malorum reum confiteor. A Te misericordiam, quam diù expectaui nunc postulo, & in manus tuas corpus, & animam meam commendo. *Raingarda. R.2.459.*

Nudus egressus sum de vtero Matris meæ, nudus reuertar illuc. Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. *Ranimirus. R.5.461.*

Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu me ab hoste protege, & hora mortis suscipe. *Richardus. R.11.467.*

Ego ingredior viam vniuersæ carnis, tantum mihi misericors sit Saluator Mundi; & me modò defendat ab hoste, qui me olim ab hoste redemit: & quem præsentis vitæ habui consolatorem, æternæ vitæ mihi inueniam largitorem. *Richarius. R.12.467.*

Per passionem tuam Christe salua nos. Iesu Christe fili Dei viui miserere mei. Mane nobiscum Domine, mane nobiscum Domine. *Stanislaus. S.26.504.*

Regina Cœli, Mundi inclyta reparatrix, Animam meam tuis manibus committo. *Stephanus. S.33.510.*

Dirige Domine viã famuli tui in conspectu tuo. *Trudo. T.21.531.*

Ecce Domine ſum poſitus extra manus hominum, In manus tuas commendo ſpiritum meum. *Anon.* 55.589.

Pater, ecce poſitus ſum in articulo mortis, quoniam media vita in morte ſumus. Compareo coram curia miſericordiæ tuæ; cui me ſubmitto,& adeo cum fiducia Thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequar,& gratiam inueniam in auxilio opportuno,dum tempus eſt miſerendi, & hora comparendi. Da pœnitentiam veram. Da remiſſionem plenam. Da ſanctorum contra poteſtates contrarias conſolationem. Da in exitu vitam æternam. Et quoniam nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc,temporalia temporalibus relinquo. Reuertatur puluis in terram ſuam vnde erat (precor ad Eccleſiaſticam ſepulturam) & ſpiritus redeat ad Dominum, qui dedit illum. Domine Ieſu Chriſte ſuſcipe ſpiritum meum. *Anon. Idem Ibidem.*

O Rex gentium, Dominator omnium, propter ſedē maieſtatis tuæ da nobis indulgentiam Rex Chriſte, peccatorum, Alleluia. *Dunſtan.D.*16.155.

Expecta me Domine, ecce ad te venio. *Odo.O.*3.406.

Nihil aliud ego volo, quam quod Tu vis Domine. Fiat voluntas tua. Ne momento quidem temporis viuere cupio, vltra quod conſtituit mihi Dominus. Paratum cor meum. Paratum cor meum. *Staniſlaus.S.*26.501.

Quid ſum Domine, niſi tu, qui iuſtè iudicas, miſericorditer etiam defendas? Recordare quia aduocatus es meus: ipſe, qui iudicas. Quod ſi etiam in illo adhuc ſæculo aliquid in me iudicandum reſeruas; peto ne me poteſtati Dœmonum tradas,dum ſcelus meum purgatoria pœna detergis. *Ambroſ. A.*29.47.

TESTA-

TESTAMENTA IVSTORVM.

Seu

PRECES MORIENTIVM.

Quæ superius (breuitatis ergo) consultò prætermiseram, libuit hîc addere, Iustorum testamenta; sic appellata, quod iisdem vltimã voluntatem (fidei nempè protestationem, peccatorum confessionem, & eximiam in Deum pietatem) illi voluerint esse testatam. Preces verò potius, sicut & suprascripta, morientium sunt appellãdæ.

S. THEODORI STVDITAE TESTAMENTVM.



AVIDICAM vocem audiens: Paratus sum, & non sum turbatus; & iterum: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cum assidua miseri corporis infirmitate captus, non possim vos omnes, filij mei, & fratres, atque Patres, sub excessus mei tempus adducere; propterea quod monasteria ista in diuersis locis sita sunt, & quidam præterea peregrè profecti; velut instante iam migrationis ex hac vita meæ articulo, testamentum hoc vobis prius condere institui; rem congruam, atque vtilem me facturum arbitratus, vt cognoscant qui supremam meam vocem audient, quemadmodum credam, & sentiam; & qualem post me futurum Præpositum relinquam; tum vt concordiam inde, pacemq. in Christo seruetis, quam ascensurus in cœlos Dominus sanctis discipulis suis, & Apostolis reliquit.

Credo igitur in Patrem, Filium, ac Spiritum sanctum, sanctam consubstantialem Trinitatem, sicut baptizatus fui, regeneratus, & consummatus, Deum Patrem confitens, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, vnum tres deitate, sicut vice versa, tres vnum subsistentijs. Vnus enim est Deus Trinitas propter consubstantialitatem, licet distincta sit propter subsistentiarum distinctionem. Confiteor deinde vnum è Trinitate Dominum nostrum Iesum Christum per immensam erga homines charitatem suam in carne venisse ad salutem generis nostri; ex sancta, & immaculata Deipara sine humano semine carnem sumpsisse; atque ex vtero secundum diuinum oraculum naturæ lege natum esse, duplicem ipsum existentem, totum perfectum deitate, quatenus non immutatum est, id quod erat, & totum perfectum humanitate, quatenus non dimisit quidquam ex eo quod assumpsit, eundem vnum iuxta hypostasim; sicut in duabus naturis cognitum, sic in totidem voluntatibus, atque operationibus, per quas diuina, & humana congruenter operatus est.] Ista de sanctissima Trinitate, atque Christi incarnatione præmissa confessione, subijcit professionem eorum, quæ ab illius tēporis hæreticis impugnabantur. Deinde Præpositum futurū pluribus admonet, & fratres pariter, quibus hæc præcipuè.

Adeste & vos filij mei ac fratres, & audite misertimam vocem meam. Si diligitis me, mandata mea seruate, & pacem inter vos habetote: Angelicum promissum vestrum incorruptum custodite. In cœlis ambulantes, mundum odio habentes, ad mundi opera ne conuertamini. Solutis vinculis carnalium affectuum, ne in eosdem iterum impingatis, qui omnibus caducis huius vitæ illecebris renunciastis; à proposito vestri studio ne resiliatis, risum dæmonibus præbentes. Ad cursum obedientiæ vsque ad finem insistite, vt inmarcescibilem iustitiæ coronā reportetis; humilitatem sectantes, voluntatem propriam abnegate, ad ea solum vos conformantes, quæ à Præposito vestro fuerint approbata. Et siquidem hæc scitis, beati si ad finem vsque illa seruabitis. Vos enim Mar-

tyrum chorus excipiet, coroniſq. in Regno cœlorum redimiti ſempiternis bonis fruemini.

De cætero, fratres, valete. Iter enim ingredior, vnde reditus non patet, quod omnes ab æuo ingreſſi ſunt, quod & vos poſtmodum, hac vita peracta, ingreſſuri eſtis. Ignoro autem, fratres mei, quò pergam, & quale iudicium me maneat, aut quiſnā me locus excipiet. Opus enim bonū in conſpectu Dei nullum egi, ne vnū quidem: at cōtra, reus ſum omnis peccati] ita ſanctus ex affectu timoris (vt perpendit Baronius) ſeipſum conſiderans vt hominē. At ſecundum illud Dauidicum: Ad me ipſum anima mea cōturbata eſt, propterea memor ero tui, ſtatim inter ſcribendū, diuinę bonitatis cōſideratione, ſpé erectus, & fiducia exaltatus, lōgè diuerſa profert, iſtā mox ſubdēs. [Veruntamen lætor, & gaudeo quod ex hoc mundo in cœlum abeo, à tenebris in lucem, à ſeruitute in libertatem, ab incōlatu in veram habitationem, & patriā, à peregrinis, & alienis (incola enim ſum, & peregrinus, ſicut omnes patres mei) ad mea, & propria: confidentius adhuc dicam, quod ad Dominum meū abeo, ad Dominum, & Deum meum, quē dilexit anima mea, quem agnoui patrem, tametſi non colui vt filius, quem poſſedi præ omnibus, tametſi vt germanus ſeruus non ſeruiui. Hæc vt inſipiens dixi, ſed propter vos dixi, vt propenſiores ſitis, & oretis pro ſalute mea, quam vbi adeptus fuero (ea ſpondeo in oculis veritatis) non defuturum me confidenter orare Deum, ac Dominum meū pro omnibus vobis, vt benè vobis ſit, vt ſaluemini, vt impleamini, expectās vnūquemq. ſingillatim, cum ex mundo migrabit, vt videam, & excipiam, & amplectar. Fiduciam enim hanc habeo, quod bonitas eius in idipſum nos omnes hìc ſeruabit, & in futuro ſæculo, eius mandatis obſequutos ad celebrandam eius ſummam potentiam. Recordamini humilium ſermonum meorum, filij. Depoſitum cuſtodite in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Cuius gloria, & imperium in ſæcula ſæculorū Amen. Hactenus Theodori ſanctiſſimi teſtamentum.

Ex M.S. Bibl. Vall. & Baron. in Annal. tom. 9.

TESTA-

TESTAMENTVM Staniſlai Hoſij S. R. E. Card.

Seu potius

Proteſtatio fidei, ac precatio ſub mortem.

CVM crebrò auribus meis inſonet præclara Sapientis illa vox: Neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut Piſces hamo capiuntur, & Aues laqueo comprehenduntur, ſic rapiuntur homines: Nec vmquam illorum verborum obliuiſci poſſim, quibus nos monet ipſa Sapientia, parati ſemper vt ſimus, & euigilemus, quia, Neſcitis (inquit) diem, neque horam: Quare quoad & mentis, & corporis viribus non eſſe videor deſtitutus, vt meæ domui diſponerem, & ea, quæ ſunt nouiſſima prouiderem, faciendum eſſe duxi. Quocirca facultate mihi per Pium V. P. M. conceſſa, meam vltimam voluntatem continens, hoc Teſtamentum facio, condo, & ordino in hunc, qui ſequitur modum.

In primis Profiteor, & præmeſero, teſtatum etiam omnibus eſſe cupio, quocumque tempore Deus de ſtatione vitæ huius me decedere iuſſerit, quod non niſi in Chriſti nominis, & Catholicæ fidei confeſſione decedere cogito; eius inquam fidei, quæ non quinquaginta his annis nata, ſed ab ipſis fundatiſſimis Apoſtolorum ſedibus in hodiernum vſque diem, ſuccedentibus ſibi Epiſcopis, ſecundum ſeriem ſucceſſionis, & populorum confeſſione firmata, nobis eſt per manus tradita: eius fidei, quam puer didici, quam à beata Matre, deinde & à nutrice mea cum ipſo quodammodo lacte ſuxi; quam poſtea iuſtis aucta incrementis profeſſus, orbi teſtatam feci: quã ex omnibus Mundi partibus in vnum congregati Patres, frequenti numero, nec pietate minus, quàm doctrina præſtantes in ſacro Concilio Tridentino, cui (quamuis indignus) Pij IV. Pont. nomine cum alijs legatis S.R.E. Cardinalibus præſedi,

vnanimi

vnanimi consensu receperunt, & approbauerunt: Denique per longam Pontificum Romanorum successionem sibi per manus traditam, sequitur Pius quoque V. Pontifex, qui nunc in eius Cathedra sedens, eandem cum illo fidei Doctrinam profitetur. Quam etiam ob causam, quod aliquando quendam è Sanctis Patribus dixisse recordor, cum ad Ro. Pont. Damasum verba faceret: Non noui Vitalem, Meletium respuo, Paulinum ignoro; quicunque tecum non colligit spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. Hoc ego totidem verbis, mutatis Hæreticorum nominibus, ad successorem Damasi, qui nunc præsidet Ecclesiæ Catholicæ, dico. Non noui Lutherum, Caluinum respuo, Seruetum ignoro. Quicunque tecum Pie Pontifex non colligit, spargit. Qui Christi non est, Antichristi est. Qui Papista non est, satanista est. Nullum itaq. primum nisi Christum sequens, tuæ Beatitudini, idest Cathedræ Petri communione consocior. Super hanc petram, Ecclesiam ædificatam esse scio: Cui si quis iungitur, meus est. Huic igitur adhærere, nec vnquam ab ea, quoad spiritus hos reget artus, auelli me clara voce pronuncio: Ac secundum illud, quo Christiani censemur omnes, nullum vel gloriosius, vel salutare magis nomen mihi tribui posse persuasum habeo, quàm si Papista vocer. Si quid autem à me vel dictum, vel scriptum est aliquando, quod cum huius Cathedræ doctrina non consentiat (quod certè sciens, & prudens feci nunquam) id pro non dicto, & pro non scripto haberi volo. Quin si deinceps etiam grauiore morbo correptus dicerem tale quid, id errori mentis potius ascribi velim, quã quod ex animi mei sententia profectũ esse iudicetur. Hæc est enim vltima mea voluntas, quam (Dei fretus auxilio) mutabo nunquam. Quod sicut per omne vitæ meæ tempus ab Ecclesia Catholica me non disiunxi, sic nec moriens, ab ea, vel eius Doctrina disiungi cupio; ac non in ea modò, verum & pro ea, si res ita postulauerit, mori me paratũ offero. Non meis vllis viribus confisus, quas infirmas esse scio, verum Dei misericordia fretus, quod qui dedit promptam hanc volunta-

tem,

tem, si conferenda fuerit ad rem aliquando, dabit etiam facultatem.

Hac solemni facta protestatione: quod & viuere, & mori cogito in Ecclesiæ gremio, in qua sola spiritum veritatis, extra eam vero spiritum erroris, vertiginis, mendacij: in qua sola remissionem peccatorum, extra eam verò spem salutis nullã esse, mihi certum est, & indubitatum; quandoquidem in illius fide permansi semper, nec ab ea me disiunxi, vel etiam deinceps disiuncturus sum vnquam; tanto maiore cum fiducia accedo ad gratiæ tuæ Thronum, qui Pater es misericordiarum, & Deus totius consolationis, vt misericordiam consequar, & gratiam in tuis oculis inueniam. Quocumque tempore depositum tuum repetere à me tibi visum fuerit, in manus tuas commendo spiritum meum. Quem si tu contempleris qualis ipse est ex se, fateor quod non est dignus, qui sub oculos tuæ Maiestatis veniat, cum sit omni sorde plenus. Cæterum si filij tui sanguinem, quo lotus, & emundatus est; si Cruciatus inspexeris, quos longè tulit acerbissimos pro peccatis nostris, vt nos tibi redderet acceptabiles, digni certè sunt illi, propter quos tanto pretio redemptum, facias eum participem gloriæ tuæ sempiternæ.

Noli Pater clementissime, noli respicere in faciem meam; quin auerte potius à peccatis meis faciem tuam: &, O Protector noster aspice Deus, respice in faciem Christi tui. Respice in faciem dilecti filij tui pro peccatis meis in Cruce pendẽtis, & morientis, & in eorum remissionem, de saucio latere copiosum sanguinẽ profundentis. Confiteor tibi Pater, quod grauia sunt peccata mea, quibus iram tuam promerui. Sed vtinam appenderes ea Domine, in statera, & quam pro me calamitatem pertulit innocens filius tuus; certè multò grauior apparebit hæc, & magis digna, propter quam effundas in me misericordiam tuam, quàm illa sint, vt propterea contineas in ira tua miserationes tuas. Indignus ego sum, quem oculis tuæ Maiestatis aspicias, verum interea dignissimus est ille, propter cuius passionis, & mortis meritum, non modò res-


picias me, verum, & corones. Quamobrem venio ad Te Pater clementissime, venio ad Te nullis meis, sed multis filij tui Domini,& Redemptoris mei Iesu Christi meritis onustus:qui cum pretiosa morte sua non modò pro meis, verum etiã pro totius Mundi peccatis abundè tibi satisfecerit, huius mortis meritum, in quo solo meam spem, & fiduciam omnem habeo defixam, affero ad Te: Hæc est iustitia mea,& satisfactio mea, redemptio, & propitiatio mea. Meritum meum est mors Domini mei. Non sum inops meriti, quamdiu miserationum Dominus non defuerit. Et si multæ sunt misericordiæ Domini mei, multus,& ego sum in meritis meis. Quanto potentior Ille ad saluandum, tanto sum ego securior. Vides igitur Clementissime Pater, quibus meritis onustus ad te veniam; ijs nimirum, quibus negare nihil potes. Quamobrem quocunque tempore repetere tibi visum fuerit, accipe Pater cœlestis, accipe spiritum meum, non corruptibilibus auro, & argento, sed pretioso filij tui sanguine redemptum. In hoc pretium respice; propter hoc pretium esse me dignum pronuncia, quem inter oues tuas à dextris colloces, & vnà cum alijs electis tuis exoptatam illam vocem audire facias, Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione Mundi. Quod vt consequi possim, B. Mariæ Virginis, & Sanctorum, qui vel in cœlo cum Christo iam triumphant, vel in hac lachrymarum valle nobiscum adhuc militant, precibus adiuuari peto, spiritu meo Patri cœlesti commendato, quod circumfero corpus mortis huius, vnde prodijt mandari terræ volo.

Hucusque testamenti verba, omissis alijs quibus, Christũ, & seruos eius, exiguæ suppellectilis, quam relicturus erat, Heredes instituit.

TESTAMENTVM quotidianum Peregrini.

Ioannes Gerſon Cancellar. Pariſien. vbi plura de Teſtamento condendo diſſeruit, monet poſtremò peregrinos, homines nempè cunctos, eiuſmodi condere quotidianum Teſtamentũ,ſic inquiens.


Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. *Eſai. 38.* Sicut homo peregrè profecturus in longinquam regionem, ſolet condere teſtamentum, & copiam ſecum ferre, ſic agere nos conuenit, qui non habemus hic ciuitatem manentem, ſed futuram inquirimus. Sit igitur ſub orationis typo quotidianum peregrini teſtamentum.



PATER: Ecce poſitus ſum hic, & nunc, velut in articulo mortis: quoniam media vita in morte ſumus. Compareo corã Curia miſericordiæ tuæ; cui me ſubmitto iugiter: & adeo cum fiducia Thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequar, & gratiam inueniam in auxilio opportuno, dum tempus eſt miſerendi, & hora comparendi. Da continuè mentem ſanam: Da potentiam veram: Da, ſaltem in affectu, communionem ſacram: Da ſanctã Vnctionem: Da remiſſionem plenam: Da Sanctorum, contra poteſtates contrarias, conſolationem: Da in exitu vitam æternã. Et quoniam nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc; temporalia temporalibus relinquo. Reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat, precor ad Eccleſiaſticam ſepulturam, & ſpiritus redeat ad Dominum, qui dedit illum. Domine Ieſu Chriſte ſuſcipe ſpiritum meum.

Gerſon. to. 2 tract. de teſtam conden. Vbi idem Teſtamentum aliquibus conſiderationibus, veluti commentarÿs explicat pÿſſimis, lectuq. digniſſimis.

ORATIO, VEL CONFESSIO B. Isidori Episcopi.



VCCVRRE mihi Domine Deus meus, antequam moriar, antequam mors me præueniat, antequam tartara me rapiant, antequã flamma me comburat, antequam tenebræ me inuoluãt. Subueni mihi priusquam sine termino crucier. Reus enim, iudicij tui timore terreor; pauore peccati iram tuam formido; immanitate sceleris examen tuum trepidans, conscientia metuo. Si enim iustus vix saluabitur, ego impius vbi ero? quid faciam, dum venerit tremendi hora iudicij? cũ examen venerit, quid respondeam? quid ero dicturus, cum ante tribunal Christi fuero præsentatus? Væh diem illum, quando peccaui: væh diem illum, quando transgressus sum; vtinam non illuxisset mihi; vtinam non esset super me ortus; vtinam non apparuisset super me. O dies detestanda! ò dies penitus abominanda! ò dies penitus nec dicenda! quæ me in hoc sæculo protulit, quæ mihi claustra partus aperuit, quæ ortus mei ostia reserauit. Dies illa à luce in tenebras permutetur, profunda illa caligo confundat, æterna illa cœcitas obruat, amittat temporis statum, omni memoria extinguatur, nulli digna sæculi memoretur. Melius mihi fuerat non esse ortum, non fuisse genitum, melius non esse in sæculo procreatum, quàm æternos perpeti cruciatus. Optabam à peccati nexu resolui, cupiebam à consuetudine mala retrahi, desiderabam à vitio recedere: sed difficile est peccandi consuetudinem vincere. Prauus vsus vix aboletur, assidua consuetudo in naturam vertitur vitij, animus sceleribus deditus, ab his diuelli neutiquam potest. Tanta sunt mea vitia, vt vix euelli possint; vix credo peccata mea vllo spatio temporis exolescere. Vltrò me miserum ante vitiaui, spontaneo dudum studio me pollui, propria voluntate mea me maculaui. Bonus eram; spontaneè ad peccatum dilapsus sum. Liber eram, spon-

ſpontaneè factus ſum debitor mortis. Infelix ego peccatum ſpontè mihi prius ipſe paraui; ego prius occaſionem peccandi amplexus ſum, nunc peccando vſu aſtrictus teneor: mala conſuetudo me ſibi grauiter implicauit: longa conſuetudo in me vim ſibi, & legem fecit; peccandi conſuetudine etiam quando neſcio, ſic delinquo: peccandi vſui, non optando incurro malum. Volo agere bonum, ſed deſideria conſueta non ſinunt. Prauo vſui contraire nitor, ſed carnis deſiderio aggrauor. Ad iuſtitiam me amor erigit, ſed ad peccatum conſuetudo conſtringit. Flete me cœlum, & terra: lugete me omnes creaturæ: ingemiſce ſuper me vniuerſum genus, & omne, quo præuales vſu, ſuper me lamentum effunde. Peccaui enim crudeliter, lapſus ſum fortiter, cecidi grauiter, corrui miſerabiliter: nullum enim inuenitur peccatum, cuius ſordibus non ſim coinquinatus: nullus eſt enim morbus vitiorum, à quo non contraxerim contagium: nulla ſordium ſentina extitit, quæ in me miſerum non confluxerit. Probroſus, ſceleratus, flagitioſus, cunctis obrutus vitijs, innumerabiliter frequentaui impudicitiam fœditatis. Vt benè viuerem, vltrò promiſi: quod pollicitus ſum, nunquam ſeruaui. ſemper ad peccatum redij, ſemper delicta mea iteraui: prioribus ſceleribus ſemper deteriora iunxi, nunquam in melius mutaui mores, nunquam à malis factis meis veraciter receſſi, plurimos etiam maculaui, me perdens, plurimos prauis moribus meis in iniquitatem peruerti, ſcelere meo multæ animæ perierunt, exemplis vitæ meæ ſubuerſi ſunt multi, ego multis cauſa malorum fui, per me multorum propoſitum maculatum eſt, per me nomen maculatum eſt ſanctitatis. Obſecra pro me plebs omnis Sanctorum, ſi fortè miſereatur mihi Deus, ſi fortè recipiat me, ſi fortè deleat peccata mea, ſi fortè auferat iniquitates meas, ſi fortè miſericordiam præſtet mihi. Iratus eſt ſuper me nimis, quia creuerunt verſiones meæ, quia multiplicatæ ſunt præuaricationes meæ. Ideo implorate pro me Dei omnipotentis miſericordiam, omnes chori Beatorum. Intercedite pro me, omnis multitudo Electorum; ne infundat omnipotens

nipotens Deus ſuper me irā indignationis ſuæ propter multitudinem iniquitatum mearum. Væh mihi Domine, quia conſumptus ſum: væh mihi, quia defecit anima mea. Cur infelix natus ſum? vt quid miſer hanc lucem vidi? vt quid miſero mihi huius vitæ ortus occurrit? Parce Domine, parce dolori meo, parce, quæſo, mœrori meo. Da veniam, da indulgentiā. Heu mihi infelici, heu mihi miſero in tantis peccatis præcipitato. Quis miſerebitur mihi? quis conſolabitur me, niſi tu Redemptor animarum? Miſerere mei, quia eſt in tempeſtatibus anima mea. Vbi es Cuſtos hominum? vbi es animarum Redēptor? vbi es ò Paſtor bone? cur ſpreuiſti me? cur auertiſti faciem tuam à me? vtqui longè factus es conſolator animæ meæ? Reuertere iam Deus meus, & non me obliuiſcaris in finem; non me in perpetuum deſeras; non me in poteſtate dæmonum derelinquas. Licet enim offenſa ſit gratia, tu tamen clemens, tu patiens, tu multum miſericors, nullum relinquis, nullum ſpernis, nullum deteſtaris, nullum recuſas à miſericordia tua; ſed vltrò offers clementiā, peccantes expectas, vt redeant. Quanti enim ſcelerati? quanti luxurijs dediti? quanti concupiſcentijs ſæculi ſaginati, bonitate tua ad indulgentiam peruenerunt? multis non merentibus gratis peccata donaſti. Oſtende igitur in me clementiam tuam, pateat mihi venia, pateat indulgentia; non abneges vni, quod plurimis largitus es. Scelera mea non defendo, peccata mea nō vendico. Diſplicet mihi, quod malefeci: diſplicet mihi quod peccaui. Offenſam fateor, errorem confiteor, culpam agnoſco, vocem confeſſionis aperio. Suſcipe, quæſo, vocem confitentis, attende vocem deprecantis, audi vocem peccatoris ad te clamantis. Peccaui Domine Deus, peccaui, miſerere mei, parce malis meis, ignoſce peccatis meis, dele omnes culpas meas. Si enim iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Ad examen tuum nec iuſtitia iuſti ſecura eſt. Quis eſt enim iuſtus, qui ſe audeat dicere ſine peccato? Quis præſumat contra te aliquid de iuſtitia? Nullus enim hominū abſque peccato, nullus eſt mundus à delicto. Ecce qui ſer-

uiunt

uiunt Deo, non fuerunt stabiles, & in Angelis reperta est prauitas. Astra munda non sunt coram te: cœli non sunt mundi in conspectu tuo. Quantò magis ego abominabilis, & putredo, & filius hominis vermis; qui hausi quasi gurgites, peccata; & bibi quasi aquas, iniquitates? Qui habito in domo lutea, qui commoror in puluere, qui terrenũ habeo fundamentum? Memorare Domine, quæ sit mea substantia: memento quia terra sum: memento, quia puluis sum, & cinis. Operi manuum tuarum porrige dexteram. Consule infirmæ materiæ, succurre humanæ fragilitati. Patent tibi vulnera mea, coram te ægritudo mea; tu vides, quantum sauciatus sum, & languidus; medicinam, qua saner, tribue; medelam, quà curer, impende: refice infectum vitijs, reforma corruptum peccatis, extingue in me flammam concupiscentiæ, iacula ignita diaboli vltra me non penetrent, & non exardescant in me vlterius. Tu enim scis tempestates, quas fero: tu scis fluctus, quos patior: tu nosti tempestates; quibus percutior; vbi lapsus sum, vbi defluxerim, vbi infelix demersus sim, tu scis. Incurri enim negligens in ruinam: corrui incautus in turpitudinis foueam: decidi in cœnum flagitiorum: descendi in profundum malorum. Eripe animam meam ab inferis: erue me de immanissimo abysso: non me concludat profundum: non mihi deneget exitum. Ecce dies metuendus iam imminet: iam vltimus dies appropinquat: instant limites vitæ: nihil superest mihi præter sepulchrum. Parce mihi antequam eam; munda me, antequam ab hac vita egrediar; solue, priusquam moriar, peccatorum vincula, Trinitas sancta, qui viuis, & regnas in vnitate Deitatis, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ex M. S. perantiquo Codice Biblioth. Cœnob. Sublacen. à Constantino Abb. Caiet. in SS. Isidori, Ildefonsi, & Greg. Ostien. vit. & action. nuper edit.



LAVS DEO.

INDEX RERVM.

A

summè

aut

CATE-

Mona-

ei,

in

DISPV-

cum

Sibi

in

H

Inclu-

I

Alqui-

Infirmitatem pati optat.

Lau-

In-

Hydro-

Infirmitates non patiuntur.

in

Fratri-

Quid

MAR-

Siccis

Vide

bitum

Elee-

Mortis prænotio.

O

Iubente

Euse-

Per

gato-

Vide

Oratio-

Sancti qui morientibus apparuerunt, vel quorum pracipua in mortibus Iustorum habetur mentio.

Onu-

cum


Ad

image
not
available

V

ribus

F I N I S.



ERRATA SIC CORRIGITO.

Pag.	*Linea*	*Mendum*	*Emendatio.*
40		A ante Q	A ante M
49		A ante N	A ante M
53	*in marg.*	Ianuar. 2.	Ianuar. 11.
63	*in marg.*	Apr. 2	Apr. 21.
81		LVI.	LVII.
83		LVII. LVIII.	LVIII. LIX.
85		LIX.	LX.
86		LX. LXI.	LXI. LXII.
96	10	Bathildes	Bathildis
101	*in marg.*	Iun. 26.	dele
120	*in marg.*	Iul. 8.	Iul. 18.
127	*in marg.*	Febr. 1.	Febr. 11.
139	4	Chunegundes	Chunegundis
159	8	uem	eum
163	12	ne	vt
169	15	Dunſtauus	DVNSTANVS
	penult.	alare	altare
	vlt.	prædticaturus	prædicaturus
209		XXXVII.	XXXVIII.
210		XXXIV.	XXXIX.
225	3	Frederiſius	Frideriſius
240		H ante I	G ante I
282	*in marg.*	Oct. 29.	Oct. 23.
284	13	ſcum	cum
	16	læpius	ſæpius
354	4	aſſecti	affecti
358	3	Romana	Rauennas
359	*in marg.*	Aug. 28.	Aug. 27.
369	*in marg.*	Sept. 3.	Sept. 13.
397	29	Curopolata	Curopalata, *emend. in plurib.*
421		L ante E	P ante E
476	17	Sarcogaphum	Sarcophagum
541	32	dlexerat	dilexerat
548	*in marg.*	April. 6.	Iul. 4.


REGESTVM.

✠ a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc.

Omnes ſunt Quaterniones, pręter ✠, Duernio, a, Ternio, Q q, & Ccc, Quinterniones.



ROMAE, Ex Typographia Iacobi Maſcardi, MDCXXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

